A. R. P.

CASIMIRI CASANI

A MARSALA

DISSERTATIONES MYSTICO-SCHOLASTICÆ

ADVERSUS PSEUDO-MYSTICOS;

Digitized by Google

Digitized by Google

A. R. P.

CASIMIRI CASANI

A' MARSALA

EX-PROVINCIALIS EX ORDINE CAPUCINORUM
Consultoris, & Qualificatoris SS. Inquisitionis.

DISSERTATIONES MYSTICO-SCHOLASTICÆ

ADVERSUS PSEUDO-MYSTICOS HUJUS ÆVI,
SEU
CONTRA MOLINOSIOS LARVATOS,
Fuco purgationis passivæ decipientes animas, & docentes:
Dari, saltem in aliquibus animabus perfectis,
Tentationes extraordinarias, Novi generis, quæ sint Irresistibiles:
Ostenditur etiam, Deum non permittere Dæmonem Incubum vi opprimere Virum, aut Mulierem omninò renuentem,
JUXTA' DIVINÆ SCRIPTURÆ ORACULA,
SS. PATRUM TESTIMONIA,
Et rationum monumenta.
OPUS TUM POENITENTIBUS, TUM CONFESSARIIS UTILISSIMUM, ET NECESSARIUM
JUSSU

SS. INQUISITIONIS SICULÆ

Regii, & Apostolici tàm Supremi, quàm Generalis
Tribunalis Vigilantissimi &c.
EDITUM, EIQUE DICATUM,



BIBLIOTHÈQUE S. J.

PANORMI Ex Typographia Josephi Gramignani MDCCXLVIII.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMÆ
INQUISITIONIS
SICULÆ

Apoſtolico, & Regio, tàm Supremo, quàm Generali

TRIBUNALI

VIGILANTISSIMO &c.

EN ad Tui *pedes, unà mecum*, Diſſertationes Myſtico-Scholaſticæ, *quas mihi minimo inter Qualificatores, & Conſultores* Tuos *exarare juſſiſti*, adverſus Pſeudo-Myſticos hujus ævi, ſeù, contra Molinoſios larvatos: *qui purgationis paſſivæ purpuriſſo falſitatem, & ſordes ſuas obnubilare non erubeſcunt.* Tuæ *deſtino* Sapientiæ *præſens Opuſculum, quod Spuriorum Myſticorum noxios exenterat luxuriæ humo-*

res,

Digitized by Google

res, ſecat vulnera, putredinem aperit, peſtiferæ detegit virus doctrinæ. Quocunque namque ſe verterint: quibuſcunque Novi generis tentationibus, Carnis conatibus, Dæmonis violentiis, *facies ſuas operiant: quantumcunque aliàs in Scæna Theologica Mimi, mutatis veſtibus, ac ſuperindutis perſonis, licentiâ Doctorali, clament, & crepent:* Vis, & Violentia. *Omnia tamen monſtruoſiſſimam ſapiunt verbi, & vitæ anomaliam. Adeout, Iſcariotem imitati, oſculi blandimento, Chriſtum prodant, atque amarioris fellis ſpongiam politiori calamo impoſitam, ejuſdem ori propinent. Quos proindè, ſi quam obſiſtendi Concupiſcentiæ illecebris, & Diaboli inſidiis, petieris normam: pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro ovo ſcorpionem, pro veritate mendacium, pro antidoto porrigent venenum.*

Hujuſmodi doloſos deceptores: qui maleſuadum toxicum vaferrimo corde prementes, atque omni proximum ſeducendi

Digitized by Google

cendi occaſionem vernilitèr intenti: purioris perfectionis ſpiritualis ſpecioſam circumferunt larvam: mihi detegere præcepiſti, confutare, impugnare; ut ſagaciore totius Sectæ habita inſpectione, appareat deſolationis abominatio, Babylonis confuſio, Fidei rima, Spei parietina, Charitatis ruina, vitiorum cloaca, rudera carnis. Talia ſepulchra dealbata deprehendi, quantum ſapio, quantum potui, omni vitæ, ac morum ſqualore, fœtore, horrore, turpitudine, omnique ferè vitiorum anacephaleoſi perfuſa. Scripſi pro viribus mei ingenioli contra fallaces, veteratores, hypocritas iſtos homunculos, doctorculos, diſertulos, paucos, viles, & ſolùm mendaciorum divites. Feci quod juſſiſti. An res è ſententiâ evenerit? penès Te *judicium eſto. Meum fuit, erit & ſemper,* Tuis *obedire* mandatis. Tuum *quoque eſt caſtigare opuſculum, ſi quid in eo eſt corrigendum: tueri, ſi regulam tenet veritatis. Judex Supremus, Juſtus, & Fortis Deus, Te*

San-

Digitized by Google

Sanctum ſervet, ac verendum, in Fidei tutelam, in Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodiam, in Pſeudo-Myſticorum cruciatum. Ita calamo voveo: ſic lingua precor: plura loquatur animus.

Tui Qualificator, & Conſultor

Fr. Caſimirus a Marſala Ex-Provincialis Capucinus.

Digitized by Google

DE OPERIS HUJUS RATIONE.

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

QUI Michaelem Molinos Hydram putaret Sæculi anteacti, nec minimùm aberraret à vero. Ille namque ſpurciſſimus poſt Homines natos Hæreſiarca, & Anguis peſtiſer Orbis Catholici, profligatus, ac penitùs contritus ab Innocentio XI. Pontifice Maximo, ſuis redivivus cladibus, atque exitiis, tot adhuc in dies extollit capita, quot ab ejus cineribus, nova exſurgunt errorum monſtra.

Fœtus iſti execrabiles ſunt noſtri temporis Pſeudo-Myſtici, qui proprias libidinis fœditates novæ ſanctitatis ſplendore diſtinguunt, & ornant: Directores ſe jactant animarum, & reverà Duces cœci, qui non ſolùm incautas mulierculas, ſed & viros, etiam timoratos, trahunt ad renovandos impiiſſimos, ac turpes Beguardorum, Beguinarum, Dulciniſtarum, Illuminatorum, atque Molinoſiorum errores; ſub prætextu violentiæ (ut ajunt) illatæ à vehementi ſenſualitate, aut potiùs à Dæmone, non tantùm impellente, ſed & compellente ad exercendos actus ex ſe nefandos: qui non ſunt culpabiles; eò quià involuntarii, & ſine conſenſu.

Exiſtimant itàque recentiores Pſeudo-Myſtici dari *Tentationes novi generis, ſivè extraordinariæ, naturæ differentes à vulgaribus Irreſiſtibiles*; adeoque imputandos, non voluntati Hominis; ſed aut furori concupiſcentiæ, aut Dæmoni, qui (in caſu) nedum moralitèr provocaret, (ut evenit ordinariè) ſed etiam effectivè compelleret, ac phyſicè cogeret ad patrandas actiones illas obſcænas. Hinc fronte effrenâ gloriantur de hujuſmodi doctrinis peregrinis. Hinc in medio tritici vineæ Domini iſta ſuperſeminant zizania. Hinc eorum pœnitentes molli quiete decipiunt, atque in vitiorum ſentinam turpitèr pervolvunt.

Hæc Spuriorum Myſticorum deliramenta, & ſpurciſſima Dogmata urgent me ad conſcribendas Diſſertationes. Unicus eſt finis, ac Scopus; ipſorum perfringere Violentias ſomniatas, eorumdemque à Fidelium Cordibus removere ſordes; dicente meo Doctore Seraphico (in Apologia Pauperum) *Scripturæ Sacræ Catholici Tractatores, mox, ut ſoboriri ſenſerunt perverſorum Dogmatum germina, magno ſtuduere conatu ad illorum Convulſionem operam diligentem impendere; ne ſi in altum ſuccreſcerent, ſationis Dominicæ ſemina ſuffocarent.*

Quòd autem, hac noſtrâ ætate è vitiorum cœno illæ graveolentes ortæ fuerint doctrinæ, imò & nimis extorſæ; Teſtis eſt omni exceptione major Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Epiſcopus Meldenſis Jacobus Benignus Boſſuet, qui [de nova quæſt. tract. 3. in fine] concludit his verbis: *Reſurgit Quietiſmus toto Orbe terrarum: alibi craſſiùs, alibi mitiùs, eoque periculoſiùs incruſtatus. Huic nomina mille, mille no-*

Digitized by Google

cendi artes. Si valido ictu semel amputetur, ejusque radix, Dogmata, & quæcumque species obtruncentur, pax Ecclesiæ: Si molli, & levi manu (quod absit) tunditur, recrudescet, & serò nimis tanto morbo salutares curas adhibueris.

Faxit Deus, ut ego renascentis Quietismi capita pro viribus meis, etsi exiguis, hoc quali, quali opuscolo, penitùs recidere possim. Lectoris quoque benevolentiam obtestor, ut non unam, vel alteram harum Dissertationum sectionem, sed totam perlustret Opellam; ut ità veritatis zelum sensim imbibens, nutriens, atque confirmans, quotquot se hodiè ingerunt novæ Doctrinæ Blaterones, ut pestem vitet immedicabilem, vitandos denunciet, ac quibuscumque suis, suorumque, apud quos valet, & potest, limitibus propulset. Interim hunc nostrum boni consulat laborem, quem privatarum, publicarumque rerum, sollicitâ curâ, minùs reddidit exactum, non tamen absolutè ingratum; neque enim jurè potest displicere, quòd animo syncero, in Dei Gazophylacium, cum Vidua Evangelica, infertur. Menda, quæ plura scio irrepsisse, non mihi prælo absenti, sed calcographii affricabit.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO ORDINIS.

DE mandato Reverendiſs. Patris Joſephi Mariæ ab Interamna noſtri Ordinis Minorum Capucinorum Miniſtri Generalis, omni, quâ par eſt, diligentia, ac animi non minori oblectatione percurri Diſſertationes Myſtico-Scholaſticas adversùs Pſeudo-Myſticos hujus Ævi &c. ab Adm. R. P. Caſimiro Caſani à Marſala hujus Panormitanæ Provinciæ Ex-Provinciali ritè compoſitas. Ex quibus quaſi Virum ſanæ doctrinæ compotem Authorem deprehendi; ejuſque opus tàm dignum judicavi, ac ſummoperè neceſſarium ad extirpandam fucoſam illam Molinoſiorum Opinionem, aut potiùs mortiferam Animarum Luem, è Catholicæ Religionis finibus, eliminandam, inſimùl & abolendam; maximèque utile Conſcientiarum Moderatoribus ad Chriſti-Fideles inſtruendos in Via Salutis, ipſis Pœnitentibus valdè opportunum ad Dæmonis inſidias, graviſſimaſque tentationes ope Divina ſuperandas. Hinc cum in hoc opere nihil Orthodoxæ Fides, Apoſtolicis Sanctionibus, ac bonis moribus abſonum adverterim, imò totum conſonum, & conforme viderim; non eſt, quin prælo detur. Ità cenſeo, ſalvo omni meliori judicio.

Panormi Kal. Martii 1747.

Fr. Victorius à Panormo S.T. Prælector,
Ex-Diffinitor Capucinus.

ALTERA APPROBATIO ORDINIS.

JUſsu Reverendiſs. Patris Joſephi Maria ab Interamna Ord. Minorum Capucinorum Miniſtri Generalis, omni, quâ potui, diligentiâ perlegi Diſſertationes Myſtico-Scholaſticas adversùs Pſeudo-Myſticos hujus Ævi &c. Adm. R. P. Caſimiri Caſani à Marſala, hujus Panormitanæ Provinciæ ſemel, & iterùm Ex-Provincialis. Nec in eis aliquid offendi, quòd Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur. Immò Opus ſuo dignum eſt Authore, literarum Viro: ſummoperè neceſſarium ad eripiendam larvam, quam Molinoſii circumferunt ſpecioſam; ſed pedibus conculcandam: ad Ortodoxæ veritatis defenſionem: ad avertendos Chriſti-Fideles à Novatorum erroribus: ad *virilitèr* reſiſtendum Carnis tentationibus quibuſcumque, adhuc vehementiſſimis. In lucem edi poſſe, approbo: Laudator potiùs, quàm Cenſor.

Panormi Kal. Martii 1747.

Fr. Joannes Baptiſta à Ciminna S.T. Prælector,
Ex-Diffinitor Capucinus.

Digitized by Google

FACULTAS ORDINIS

NOS FR. JOSEPH M.ª AB INTERAMNA Totius Ordinis FF. Minorum S. Franciſci Capucinorum Nuncupatorum Miniſter Generalis.

QUùm Opus, cujus titulus eſt: *Diſſertationes Myſtico-Scholaſticæ adverſus Pſeudo-Myſticos &c.* à R. P. Caſimiro à Marſala, Provinciæ noſtræ Panormitanæ Ex-Provinciali, compoſitæ, duo ejuſdem Ordinis Theologi, quibus id commiſimus, recognoverint, ac in lucem edi poſſe probaverint: tenore præſentium facultatem impertimur, ut, ſervatis reliquis de jure, ac more ſervandis, Typis mandetur: ſi iis, ad quos ſpectat, benè in Domino viſum fuerit.

Dat. Romæ die 4. Aprilis 1747.

Fr. Joſeph Maria Miniſter Generalis,
qui ſupra.

APPROBATIO EXTRA ORDINEM.

CAllidam tartarei hoſtis, in rebus præſertim ad Venerem ſpectantibus, malitiam, Scripturarum, Patrumque teſtimoniis comprobatam, nunquam ſatis deplorandæ anteacti Sæculi exempla demonſtrant. Vtinàm verò, de quo triumphos Eccleſia ſemper cecinit, canetque ſemper, Fideles aliquot ſuis non læderet inſidiis, novaſque interdiù excogitans, pauientes auribus doctrinas, in æternam non induceret perditionem Animarum; propterea ſtuans zelo Piiſſimus Auctor (multis doctrinæ, & pietatis laudibus exornandus), ne in Syrtes incidant, ſapienter admoneat, digitoque veluti indicans, quæ Confeſſariis omninò cavenda ſint, Catholicæ Religioni non parvo eſt adjumento. Ità ſentio; atque in materiis, quæ Caſtitati opponuntur, optimum duco conſilium, quòd clarè exclametur voce: Peſtis periculum adeſt: caveto.

Panormi ex meis ædibus 14. Kalendas Decembr. 1747.

Michael Canonicus Scavo S. T. & J. U. Doctor,
& Librorum Cenſor Ordinarius.

Stante ſupradicta Approbatione Imprimatur.
Franciſcus Teſta Canonicus, & Vicarius
Generalis Cap. Sed. Vac.

ALIA

Digitized by Google

ALIA APPROBATIO EXTRA ORDINEM.

CUM ex mandato Illuſtriſſimi Domini D. Jo: Thomæ Loredani, Tribunalis M. R. C. Præſidis, & in hoc Siciliæ Regno Magiſtri Juſtitiarii Locum-tenentis perlegerim librum, qui inſcribitur: *A. R. P. Caſimiri Caſani à Marſala Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum Ex-Provincialis Miniſtri, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultoris, & Qualificatoris, Diſſertationes Myſtico-Scholaſticæ adversùs Pſeudo-Myſticos hujus Ævi, ſeu contra Molinoſios larvatos, fuco purgationis paſſivæ decipientes animas, & docentes dari ſaltem in aliquibus animabus perfectis Tentationes extraordinarias Novi generis, quæ ſint Irreſiſtibiles &c.* nihil offendi, quod Auguſtiſſimi Domini Noſtri Caroli III. Borbonii, Hiſpaniarum Infantis, utriuſque Siciliæ, & Hieruſalem Regis, Parmæ, Placentiæ, & Caſtri Ducis Hæreditarii &c. Juribus, Regnique ſanctionibus officiat; imò magna cum animi oblectatione multa comperi, quæ maximè conducunt ad detegendos, evitandoſque de Tentatione Irreſiſtibili errores Pſeudo-Myſticorum noſtræ ætatis, larvatorum Aſſeclarum vaferrimi Michaelis Molinos, cujus ſtudio, rectiùs dixeris, quadam novandi libidine, perfectæ contemplationis, paciſque interioris fuco contecta, laxiores etiam uſque ad fœdiſſimas carnis voluptates in Rempublicam Chriſtianam invectæ opiniones, (*Diabolo ſemper operante, & adjiciente quotidiè ad iniquitatis ingenia*, ut ſuo in ſæculo querebatur Tertullian. *de veland. Virg. c. 2.*) meritò diris devotæ, proſcriptæque fuere à Supremo Fidei, morumque Judice Romano P. O. M. Innocentio XI. recolendæ memoriæ; Doctiſſimus enim Auctor, Sacræ Theologiæ Profeſſor emeritus, in re Morali, & Myſtica callentiſſimus, acri præſtans ingenio, ſtylo faciliori, qualis ad enodandas quæſtiones, ad dubiaque intelligenda quærendus eſt, ac oratione copioſa, gravi, plena, eruditionis ſale reſperſa, iſtiuſmodi errores ſolidiſſimis rationibus, & argumentis ex Divinarum Scripturarum penu, Sanctis Patribus, Sanctæque Romanæ Catholicæ Eccleſiæ praxi elidit, evellit, exterminat egregiè; Idcircò ad expediendas abſque aberrandi diſcrimine in quacumque Tentatione conſcientiæ vias, Opus ſanè proficuum, quod in lucem, laudemque publicam prodeat, dignißimum cenſui, præſertim ſacræ exemologeſis Adminiſtris Sacerdotibus, juxtà ac Fidelibus pœnitentibus magno ſubſidio, uſuique futurum.

Dabam Panormi ex Regio Conventu S. Mariæ à Miſericordiâ die 8. Decembris an. 1747.

Fr. Salvator Maria Ruſſo à Panormo, Tertii Ordinis S. Franciſci S. T. M. & Librorum Cenſor Deputatus.

Stante ſupradicta Approbatione Imprimatur.

Loredanus Præſes.

IN-

Digitized by Google

INDEX

DISSERTATIONUM; AC SECTIONUM.

DISSERTATIO I.

DE Tentatione in genere.

PROLEGOMENON.

Quid, & quotuplex sit tentatio?
Tentatio Importuna.
Tentatio Dubia.
Tentatio Subita.
Tentatio Occulta.
Tentatio Perplexa.
Tentatio Violenta.
Tentatio Fraudolenta.

SECTIO I.

An moderna ætate, sint etiam moderna, & Novi generis Tentationes, quæ non fuerint priscis temporibus?

SECTIO II.

De Pondere, Numero, & Mensura Tentationum.

SECTIO III.

De Gratiâ hominibus necessaria ad superandas Tentationes.

SECTIO IV.

An Angeli Custodes, & ipsemet Christus Jesus pugnent nobiscum in Tentationibus.

SECTIO V.

Cur Deus permittit hominem tentari?

DISSERTATIO II.

DE Tentatione Carnis.

SECTIO I.

An inter omnes Tentationes gravior sit Tentatio Carnis?

SECTIO II.

An qui non resistit positivè Tentationi Carnis, sed negativè, & permissivè se habet, censeatur consentire, & peccare?

SECTIO III.

An Tentatio Carnis gravissima, & vehementissima possit vim inferre Voluntati, & ipsam violenter trahere ad consensum?

SECTIO IV.

An Concupiscentia vehementissima, seu gravissima Carnis tentatio cogere possit hominem ad exercendos actus ex se turpes, ipsius voluntate omninò renitente.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Tentatione Dæmonum.

SECTIO I.

De potentia naturali Dæmonis ad tentandum.

An Dæmon physicè tentet hominem, vel tantùm moraliter, seù occasionaliter dumtaxat.

SECTIO II.

De potestate Dæmonis ad tentandum, ejusque alligatione.

SECTIO III.

De imbecillitate Dæmonis in prælio Tentationum.

DUB. I.

An statim ac resistimus Diabolo, hic subitò fugiet à nobis?

DUB. II.

An Diabolus semel victus, iterum redeat ad tentandum eumdem?

DUB. III.

Quomodò resistere debemus Diabolo, ut fugiat à nobis?

SECTIO IV.

An Deus permittat, Dæmonem vim inferre Corporibus nostris, & violenter, ac physicè movere manus, aliaque Corporis membra ad actus objectivè malos, turpes &c. nostrâ penitùs renuente voluntate?

SECTIO V.

An Deus permittat, Dæmonem esse Incubum, Viro, aut Muliere omninò renuente?

SECTIO VI.

An si Mulier aliquandiù consenserit Dæmoni Incubo, sed postea verè pœnituerit, & per Confessionem Sacramentalem deleverit maculam criminis tàm execrandi; adhuc tamen deinceps nolens, ac totis viribus resistens, succumbere necesse sit Dæmoni Incubo: Deo sic permittente in pœnam prioris consensus, & peccati primitùs patrati?

SECTIO VII.

Doctrina Laurentii Aponte: de violentiâ à Dæmone illata ad actus turpes, appenditur in statera justa.

SECTIO VIII.

An sint censurâ dignæ hæ Opiniones, seù propositiones?

I. *Tentatio Carnis vehementissima cogere potest hominem sui compotem, & voluntate prorsùs obsistentem ad exercendos propriis manibus actus ex se turpes.*

II. *Deus permittit, quòd in aliquibus animabus, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat: etiam in vigilia, & sinè mentis obfuscatione; movendo physicè illarum manus, & alia membra, contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.*

III. *Deus*

Digitized by Google

III. *Deus permittit, Dæmonem esse Incubum, Viro, aut Muliere omninò renuente.*

IV. *Deus in pœnam prioris coitus cum Dæmone voluntariè patrati à Muliere, permittit, eamdem postea verè pœnitentem compelli, vi præcisa Dæmonis, ad iteratum, & nefandum concubitum.*

APPENDIX I.

Via formidanda, in quam nonnulli in prædictos errores incidère, & alii incidere possunt, & propterea maximè cavenda.

Ex Reverendissimo Illustrissimo Antistite Francisco Palanco. De peccabilit; & impeccabilit. quæst. XI.

APPENDIX II.

Cautela observanda contrà viam labendi expositam. Ex eodem ibidem.

APPENDIX III.

Ad hujus ævi Pseudo-Mystícos. Ex Epistolis B. Pauli Apostoli.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆMONITIO I.

Ex Evangelio Matth. 7. v. 15. & seqq.



Ttendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea, hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit Domum suam supra petram. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat supra petram. Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

PRÆMONITIO II.

Ex Epistola I. ad Timoth. Cap. 4. & II. ad eumdem Cap. 8.

SPiritus autem manifestè dicit: quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum: in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam.

Hoc autem scito: quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi.... incontinentes.... voluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita: ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Quemadmodum autem Jannes, & Mambres resistèrunt Moysi: ita & hi resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed ultra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.

Digitized by Google

PRÆMONITIO III.

Ex Epistola II. D. Petri cap. 2.

FUerunt verò Pseudo-Prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt Magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur... Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes... Oculos habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritiâ habentes, maledictionis filii. Dereliquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit.... Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reservatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur. Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: à quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur: facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illi traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbii (18. 6. 12.) Canis reversus ad suum vomitum; & Sus lota in volutabro luti.

PRÆMONITIO IV.

Ex Epistola B. Judæ.

CHarissimi omnem solicitudinem facimus scribendi vobis de communi vestrâ salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertari semel traditæ sanctis fidei. Subintrojerunt enim quidam homines, (qui olim præscripti sunt in hoc judicium) impii, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes.... Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi. Qui dicebant vobis: quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Vos autem charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei in Spiritu Sancto orantes, vosmetipsos in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æter-

Digitized by Google

æternam. Et hos quidem arguite judicatos. Illos verò salvate de igne rapientes. Aliis autem miseremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam. Ei autem, qui potens est vos conservare sine peccato ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in adventu Domini nostri Jesu Christi.

PRÆMONITIO V.

Ex D. GREGORIO Expositi. Moral. lib. 5. cap. 18.

LAtenter prædicant (*Pseudo-Mystici*) quatenus eorum prædicatio tantò sancta, quantò & occulta videatur. Communem autem scientiam habere refugiunt, nè cæteris æquales æstimentur. Et quædam nova semper exquirunt: quæ dum alii nesciunt, apud imperitorum mentes, ipsi de scientiæ singularitate gloriantur. Quam occultam, ut diximus, insinuant, quia scilicet, ut admirationem ostendere valeant, hanc se latenter percepisse confirmant. Unde apud Salomonem (Prov. 9. v. 17.) hæreticorum speciem mulier, tenens dixit: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior*. Unde hic quoque subditur: *Et quasi furtivè suscepit auris mea venas susurrii ejus*. Furtivè susurrii venas percipiunt, quia socialis scientiæ gratiam deserentes, ad hanc nequaquam per ostium ingrediuntur; Domino attteſtante, qui ait: (Joan. 10:) *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*. Venas itaque Divini susurrii furtivè suscipit, qui ad percipiendam virtutis ejus notitiam, deserto publicæ prædicationis ostio, pravæ intelligentiæ rimas quærit:

PRÆMONITIO VI.

Ex D. AMBROSIO. In Luc. lib. 6. cap. 9.

FIdes in primis Ecclesiæ quærenda mandatur, in qua si Christus habitator sit, haud dubiè sit legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus (*dic tu, Pseudo-Mystice*) deformet habitaculum, vitanda Hæreticorum (*dic tu Pseudo-Mysticorum*) communio, fugienda Synagoga censetur. Excutiendus pedum pulvis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus, tanquam humi arido, arenoso-que mentis tuæ vestigium polluatur.

PRÆMONITIO VII.

Ex D. AUGUSTINO. Contra Donatistas lib. 3. cap. 19.

ERror eorum veritas appellatur, & scelus eorum justitia putatur. Libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. No-

Digitized by Google

mine Martyrii se jactant, ut hoc pallio dealbati, facilius furentur, quia lupi sunt (*De verbis Dom. serm.* 50.) Eleemosinas multas faciunt, dant pauperibus, quia patiuntur molestias; sed pro Donato, non pro Christo (Tract. 6. in Joan.) Noli decipi nomine veritatis: hanc solum tu habes, & in lacte tuo, & in pane tuo.

PRÆMONITIO VIII.

Ex D. HIERON. Epist. ad Pammach. & Ocean.

QUisquis assertor es novorum Dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadragintos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? Usque in hanc diem sine vestra ista Doctrina Christianus mundus fuit.

DISSERTATIO I.

De Tentatione in Genere.

NON parum lucis credimus allaturos iis, quæ in sequentibus venient dicenda, si prius de Tentatione in genere inquiramus. Communia namque sunt veluti præludia ad singularium intelligentiam. In hac igitur dissertatione ea solummodo pertractabimus, quæ tentationibus in communi judicabimus accommodata; ut inde ad peculiares gradum faciamus.

PROLEGOMENON

Quid, & quotuplex sit Tentatio.

1. VIator quicunque, propria edoctus ab experientia, optimè novit, quid sit Tentatio; nostrum siquidem unusquisque, intus, & foris, omni ex latere, à dextris, & à sinistris, ubique locorum, temporibusque cunctis, tot, & talibus pulsatur tentationibus, ut non immeritò vita humana, etiam in recto, dici possit Tentatio. Sic testantur [Job. 7. v. 1.] *Tentatio est vita Hominis super terram* (D. Aug. super Psalm. 60.) *Vita nostra in hac peregrinatione, non potest esse sine tentatione*. Et (Homil. 35. ex Homil. 50.) *Ecclesia Catholica inter tentationes vivit, crescit, perdurat, pervenit.* Ita passim omnes P.P. & nos quotidiè experimur.

2. Verùm Tentatio, generaliter capta; *Est dictum, vel factum ad capiendum de aliquo experimentum; ut noscatur illius potentia, sapientia, bonitas, voluntas*, &c. (Ex D. Thom. super 1. ad Thessal. cap. 3. lect. 1.) Et sic generalissimè sumpta ab omnibus vulgariter dividitur, cum D. Aug. (lib. 2. de cons. Evangelist.

Digitized by Google

geliſt: cap. 30, & quæſt: 58. in Exod: ac Epiſt: 146.) Unam vocant *probationis*, aliam *deceptionis* aut *ſeductionis*. Prima dicitur *Probationis*; quia fit ad probandum hominem, ſeu detegendum quid lateat in homine. Secunda appellatur *Seductionis*, aut *Deceptionis*; quia tendit ad ſeducendum, & decipiendum, atque ad inducendum hominem in peccatum, qua de causâ Tentatio Subverſionis dici conſueverit.

3. Hujuſmodi autem Tentationis diſtinctio, potiùs ex fine attenditur, & intentione, quàm ab effectu; nam tentatio *Deceptionis* dicitur *Subverſionis*, non quia de illius ratione ſit, ut jam cum effectu ſubvertat, ſed quia tendit ad ſubvertendum, ſeu inducendum ad malum, ſcilicet, ad peccatum; ut advertit (D. Aug. ibi:) Hinc una eademque tentatio, reſpectu diverſorum, utramque induit rationem: ſic tentatio patientiſſimi Job, reſpectu Dei fuit *Probationis*: ſicut & tentatio Tobiæ (cap. 12.) cui dixit Angelus: *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te*. Utriuſque verò tentatio, reſpectu Dæmonis, fuit *Subverſionis*; hanc enim hoſtis humani generis principaliter intendebat. Imò eadem tentatio, ab uno, eodemque facta, ſub diverſis reſpectibus, *Probationis* eſſe poteſt, & *Subverſionis*; vel quaſi *Mixtam*, utramque disjunctim complectens tentationem. Ità eadem Domini Noſtri Salvatoris tentatio à Diabolo fuit; tùm ad probandum, an Chriſtus eſſet filius Dei: tùm ad ſubvertendum illum, ſi erat purus Homo, qui peccare potuiſſet.

4. Juxta hanc tentationis diviſionem, diſtinguuntur Scripturæ, & conciliantur. Nam interdum dicitur, Deum tentare homines (Sap. 3. v. 5.) *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe* (Gen. 12.) *Deus tentavit Abraham*. (Deutor. 13. v. 3.) *Tentat vos Dominus Deus noſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota animâ veſtrâ*. (2. Paralip. 32. v. 3.) *Dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus*. Alibi verò Scriptura teſtatur, Deum neminem tentare. (Jacob. 1. v. 13.) *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt*: Conciliantur, inquam, Scripturæ, ſi dicamus, quod Dei tentatio eſt ſolius *Probationis*, ſeu oſtenſionis, & augmenti virtutis; non verò ad decipiendum, vel ſubvertendum aliquem. Unde D. Aug. inquit (lib. 16. de Civ. cap. 32.) *Neque enim omnis eſt culpanda tentatio, quia & gratulanda eſt, qua fit probatio*. Quapropter David ait (Pſal. 25.) *Proba me, Domine, & tenta me*. Ideſt ſubdit D. Aug. (lib. de dono perſev. cap. 6.) *Tentatione utique utili, qua non decipimur, vel opprimimur, ſed probamur*. Idem docet Divus Ambroſius (lib. 1. de Abrah. cap. 8.) *Aliter Deus tentat, aliter Diabolus: Diabolus tentat, ut ſubruat: Deus tentat, ut coronet*. His adſtipulantur S. Cyprian. (lib. 3. Teſtim: ad Quirin. cap. 15. & libr. de orat. Domin.) Hugo à S. Vict. (ſuper 1. ad Corinth. 9. 81.) & aliis P.P.

5. Nobis autem his in diſſertationibus erit ſermo de tentationibus ad malum, ſeu ex quibus ſolet, aut poteſt induci ad peccatum. In quo

Digitized by Google

quo ſenſu tres ſunt Tentationis ſpecies, quot nempè ſunt Tentatores: videlicet, Mundus, Caro, & Diabolus. Quamvis enim homo non rarò alium tentet hominem, attamen hujuſmodi tentatio non conſtituit novam tentationis ſpeciem; nam vel bonus homo tentat alium ad experiendum, num ſit in eo probitas requiſita E. G. ad officium, honorem &c. ad quem vult eum promovere: & ſic hæc tentatio dicitur *Probationis*. Vel malus homo tentat alium ad malum, & hujus tentatio reducitur ad ſpeciem tentationis Diaboli; malus enim homo eſt inſtrumentum, & miniſter Diaboli. Siquidem actio agentis principalis, & ejus Miniſtri, eadem eſt in moralibus; hinc ipſemet Diabolus, in Scrip. (Matth. 13. v. 28.) appellatur *Malus homo*, *Inimicus homo*. Præterea tentatio mali hominis dupliciter fieri poteſt: vel decipiendo aliquem, aut ei ſuggerendo, ut faciat malum: & tunc propriè attinet ad tentationem Diaboli, cui proprium eſt decipere hominem, & ſuggerere malum. Vel alium injuſtè perſequendo: & iſta tentatio reducitur quoque ad tentationem Diaboli, in quantum mali homines perſequuntur bonos, ſuadente Diabolo: ſic dicimus aliquem manus violentas injeciſſe in Clericum, ſuadente Diabolo. Tres itaque ſunt tentationum ſpecies ex parte Tentatoris.

6. Ex parte verò objecti, circa quod homo tentatur, tres etiam inſunt tentationis ſpecies. Tria enim ſunt de quibus Homo tentatur; quia (ex 1. Joann. 2. v. 16.) *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*. Hæc tria dumtaxat dicuntur eſſe in mundo; quia hæc tria tantummodo mundani cupiunt, & in quibus homines peccare poſſunt: atqui homo tentari nequit, niſi de eo in quo poteſt peccare; aliàs non vocaretur tentatio, de qua loquimur. Igitur ex parte objecti eſſe nequit tentatio, niſi de his.

7. Sanè per *Concupiſcentiam carnis*, ea omnia intelliguntur, quæ caro concupiſcit, ideſt; cibum, potum, ac delectationes inordinatas. Motus quoque Iræ in hac ſpecie comprehenduntur, omnes enim procedunt ex carne. *Per Concupiſcentiam oculorum* veniunt bona fortunæ, quæ videri poſſunt tamquam pulchra, & concupiſci: cujuſmodi ſunt divitiæ, & bona, quæ poſſidentur. Tandem per *Superbiam vitæ* accipiuntur honor, fama, potentia, favor popularis, & illa fortunæ bona, quæ non videntur, ſed tantum ratione judicantur. Dicuntur verò *Superbia vitæ*; quia ex quadam ſuperbiâ, & animi elatione deſiderantur.

8. Id totum nos docuit Divinus Præceptor, qui volens erudire hominem, eique tradere doctrinam ad reſiſtendum cuicumque tentationi, permiſit de his tribus ipſemet tentari, quaſi in iſtis tribus tota includatur tentationis materia. Prima enim Chriſti tentatio fuit de concupiſcentia carnis, ſcilicet, de cibo (Matth. 4. v. 3.) *Et accedens tentator dixit ei: ſi Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant*. Secunda fuit de ſuperbia vitæ, nimirum de inani gloria, ut ſe præcipitaret de pinnaculo templi; & ita putaretur Filius Dei. *Si Filius Dei*

es,

Digitized by Google

es, mitte te deorsum. Tertia denique de concupiscentia oculorum, nempe de divitiis: *Ostendit ei omnia regna mundi: & dixit ei, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Hoc pacto Christus (ad Hæbr. 4. v. 15.) dicitur *tentatus per omnia.* Et (Luc. 4. v. 13.) *consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo.* Quem locum exponens D. Ambr. (Tom. 5. lib. 4. de recessu Diaboli à Christo) ait: *Non dixisset Scriptura, quod consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo, nisi in tribus præmissis esset omnium materia delictorum. Quia causæ tentationum, causæ sunt cupiditatum, scilicet, carnis oblectatio, spes gloriæ, & aviditas potentiæ.* Concordat S. Thomas (3. p. art. 4.) *In tribus tentatus fuit Christus Dominus à Diabolo: in gula, scilicet, in vanagloria, & in superbia. Ad hæc autem vitia omnia possunt tentamenta reduci; unde in his tentatus Dominus noster ad vincendum omne genus tentationis nos instruxit.*

9. Ex quo liquidò constat, Diabolum nullam habere peculiarem materiam, in qua possit tentare (quemadmodum habent Mundus, & Caro) sed tentat in illis, & de iis, quæ habent Mundus, & Caro. Quod si interdum Diabolus tentat de quibusdam vitiis purè spiritualibus, ut de Idolatria, Hæresi, Infidelitate, Schismate, Simonia, & similibus; hæc omnia intelligi possunt per *Superbiam vitæ*, quam tertio loco adnumeravit Joannes [ubi supra] Hæresis enim oritur à superbia, dum quis præferendo cæteris judicium proprium, respuit se submittere communi doctrinæ Ecclesiæ. Infidelitas provenit quoque à Superbia, quam quis credere nolit, quæ alii credunt. Vel, si mavis, dicendum, quod ista peccata spiritualia, etsi non sint pars aliqua illius materiæ, de qua fit tentatio; reducuntur tamen ad illam; eò quia de his peccatis non fit tentatio, nisi præmittendo aliqua de bonis concupiscibilibus Carnis, aut Mundi, per quæ in talia vitia declinatur. Ita cum Diabolus tentavit Christum de Idolatria, præmisit, & promisit omnia regna terræ, si cadens, ipsum adoraret.

10. Demum ex parte Mundi, D. Bernardus apud S. Antonin. [p. 1. tit. 6. cap. 13. §. 4.] Riccard. à S. Victore [par. 2. super Psal. 90.] & communiter Mystici, septem distinguunt tentationum genera, figurata per septem capita Draconis insidiantis partui mulieris amictæ sole [Apoc. 12.] idest Ecclesiæ, seu animæ virtuosæ. Et quidem prima tentatio dicitur Importuna. II. Dubia, III. Subita. IV. Occulta. V. Perplexa. VI. Violenta. VII. Fraudolenta. De quibus omnibus singillatim congruum erit, pro recta intelligentia, aliquid adnotare.

TENTATIO IMPORTUNA.

11. IDest, molesta, & diuturna, qua Diabolus non cessat hominem inquietare, & instigare ad malum, ut saltem tædio ipsum vincat. Quod Deus permittit, ne homines ignaviâ torpeant; juxta illud [Judic. 3.] *Hæ sunt generationes, quas Dominus dereliquit,*

Digitized by Google

quit, ut erudiret in eis Iſraelem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum: ut poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi . . . . dimiſitque eos, ut in ipſis experiretur Iſraelem, utrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non?

12. De hac tentatione exemplum do ex Vitis PP. Cum ad S. Abbatem Theodorum recurriſſet quidam Monachus, importunè tentatus de vita ſolitaria, utpotè ei nimis gravis, reſpondit illi S. Abbas: Vade, humilia mentem tuam, ſubde te, & habita cum aliis. Abiit Monachus in montem, ibique manſit unâ cum aliis. Poſt non multum temporis, reverſus ad Theodorum, retulit ei, quod nec cum aliis degens, quietem inveniret. Cui bonus Senex: Si Solitariam vitam agens non requieſcis, neque in ſocietate aliorum, cur voluiſti te facere Monachum? nonnè ut tentationes, tribulationes, cunctaſque Diaboli vexationes ſuſtineas? Dic autem mihi, quot annos ſub habitu conſumpſiſti eremitico? Reſpondit, frater, octo. Subjunxit, & ſapienter Abbas: crede mihi ſeptuaginta annorum jam tempus eſt, quod hunc habitum gero, & non una die potui requiem à tempeſtate mei ſpiritus invenire, propter aſſidua ex intùs, & extra tentamenta; & tu ſpatio ſolùm annorum octo vis requiem habere? Vade, pugna fortiter; quia requiem non hìc habentibus, & benè pugnantibus dabitur, ut victoribus, æterna cum corona gloriæ in Cœlis. Unde Apoſtolus Jacobus ait [Epiſt. cap. 1.] *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, quùm in tentationes varias incideritis.*

TENTATIO DUBIA.

13. VOcatur *Dubia*; quatenus, animus, ſeu mens tentati aliqua involvitur dubitatione circa quid faciendum, vel credendum. Ab hac tentatione videtur pulſatus Moyſes ad aquas contradictionis, quando dixit populo [num. 20.] *Audite rebelles, & increduli: Numquid de petra hac poterimus aquam ejicere?* Quaſi dubitans de miraculo, exitus, ſcilicet, aquarum de petra, prout Dominus promiſerat; magis attendens ad populi malitiam, & minus ad Dei clementiam.

14. Plura de hac tentatione adducuntur exempla, ſed unum referam (in Vita B. Ægidii de Aſſiſiis) Theologus quidam variè à Diabolo exagitatus, ut hæſitaret in fide, circa veritatem Virginitatis Deiparæ, Ægidium ſanctitate famoſum ſibi opitulaturum adit: non adhuc pervenerat, quùm Ægidius è cella egrediens, illi obviam factus, ter baculo terram percutit, variata ſemper percuſſionis meta, ſimul, & ſemel exclamans: Prædicator Frater, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo poſt partum. Mirabile dictu! unumquodque dictum, ſuæ percuſſioni aſſociatum, pulcherrimi lilii pullulatio ſubſecuta eſt. Quo candoris miraculo impuriſſimus ſpiritus diſcedere coactus, Theologum omni vexatione liberum dereliquit.

TEN-

Digitized by Google

TENTATIO SUBITA.

15. ALio nomine, *Inexpectata*, *Improvisa*, *Repentina*, qua secundum D. Aug. [lib. contra mendac. cap. 9.] aliosque sacros Interpretes, devictus fuit Lot, dum suas exposuit filias sodomitarum libidini [Gen. 19. v. 8.] Hac fuit aggressus Reverendissimus P. Jacobus à Forosarzinio nostri Ordinis Generalis, quùm Transpadanum Monasterium visitans, à nobili quadam muliere, sub colloquii spiritualis prætextu, domum per nuncium accersitur. Is, utpotè dulcis moribus, & erga omnes affabilis; quùm nihil suspicaretur siniſtrum, ad illam, captata temporis opportunitate, se confert. Decumbebat in lecto mulier, non corporis, sed animi languore graviter laborans: quùm Jacobi adventu perceptо, mox illum in cubiculum introduci jubet: & quasi cum eo de rebus graviſſimis actura esset, inde omnes exire imperat. Interea Faber tartareus ardentiores in mulieris carne libidinis prunas suo excitat flatu, quibus illa succensa, vix se solam cum solo conspexit, quùm nuda è strato exiliens, protinùs ruit in illius amplexum. Jacobus verò, qui ne id quidèm suspicari potuisset; primùm eo aspectu erubescere, tùm verbis suavibus à cœptо scelere revocare nititur impudicam. At ista graviùs, & acriùs urgens; ni in turpem consentiat copulam, illatæ violentiæ crimen eidem impositurum minatur. Sed Vir castiſſimus nefarias mulieris voces, minasque parvipendens; Socium, qui non longè aberat à cubiculo, altiùs inclamat: atque arte hac divina artem delusit impudentis fœminæ, tartareisque machinis novo spiritus stratagemate debellatis, glorioſum castitatis trophæum, inde placidè abscedens, retulit.

TENTATIO OCCULTA.

16. NOn rarò Diabolus sub specie boni inducere intendit ad malum: idque evenit, quùm ex Angelo tenebrarum transfigurat se in Angelum lucis. Hoc modo tentatus fuit Dominus Noster Jesus Christus, tùm à Diabolo, quando dixit ei (Matth. 4.) *Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandavit de te* &c. Tum etiam ab hominibus, dum ipsum adulabantur, & extollebant, ut caderе facerent, dicentes ei (Matth. 22. v. 17.) *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic nobis, quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari, an non? Hoc autem dicebant tentantes eum, volentes accusare eum.*

17. Ista Tentatio est valdè periculosa, præsertim Mysticis, nedum incipientibus, aut proficientibus in perfectionis semita, sed & contemplativis in via Unitiva; magis tamen iis, qui de facili Visionibus credunt, ac Revelationibus: & eò vel maximè, si has desiderant. En exemplum nimis terribile (in vita R. P. Bernardini à Collepetracio N. O.) Clericus quidam bona præditus indole, & ad pietatem

Digitized by Google

proclivis, vix è Magistri sinu, ac Novitiorum numero emerserat, quùm multis Christi, B. Virginis, & SS. visionibus, ut illi videbatur, frui cœpit. Profecto Cacodæmon, qui harum auctor erat visionum, ut callidiùs suas tegeret artes, sub Christi forma Clericum instruens, humilitatem, patientiam, obedientiam, abstinentiam, paupertatem, orationem, cæteraque Religiosi hominis virtutes ei summoperè commendabat: præsertim, ut quæcumque divinitùs visione, aut revelatione acciperet, Superiori suo protinùs communicaret, neque ullatenùs ab ipsius consilio recederet; ne aliquando incideret in laqueos Diaboli. Præclaram hanc SS. PP. nedum Dæmonis disciplinam, Clericus adamussim observabat, & ità virtutibus florebat, ut omnes familiæ Fratres Cœlestem illius vitam admirantes, & sanctam conversationem, in qua nequidquam vel minima labe respersum, aut minus virtute dignum animadvertere poterant; ipsius quoque visiones, ac revelationes à Deo profectas esse, haud difficilè sibi persuaderent. Quo factum est, ut quùm Provincialis eò, visitationis causâ, accessisset, omnes hujus Clerici vitam, mores, virtutes, apud eum veluti admirabiles commendarent. Ast prudens Provincialis, quùm rem maturiori consilio indigere perpenderet, Clericum R. P. Bernardinum à Collepetracio quamprimùm destinandum jubet: utpotè qui multâ rerum experientiâ, ac virtute in viâ Dei exercitatissimus habebatur: quique divinum, ad discernendos spiritus, lumen uberiùs hausserat; quid de Clerici hujus visionibus, ac revelationibus sentiendum esset, judicaret. Juvenis igitur Aquaspartam profectus (ubi ille tunc Guardiani munus agebat) quùm primùm sanctum virum adit, quamplurimas visiones, ac revelationes, quæ in dies magis augebantur, ipsi manifestat. Cui Bernardinus rei simulans se ignarum: quid visiones, inquit, aut revelationes commemoras? Apagè: Sanctorum hæ sunt Virorum, qui vitam magnis in virtutibus consummarunt, non Tyronum, qui vix spiritualis vitæ attigerunt limina, protinùsque à se inauditum repellit. Non multò post callidus hostis Christi formam indutus Clerico apparet, eumque ad virtutem istis provocat verbis; vides, Fili, quòd Virum sanctum, & optimum tibi dederim Guardianum: omni igitur studio vocem ipsius observa, eique in omnibus pare; humilitatem sectare, vana fuge colloquia, orationi insiste: & quæcumque à me dona, vel hactenùs accepisti, vel inposterùm accipies, sive magna, sive parva, tuo Guardiano aperi, & te ipsum totum ipsius voluntati in omnibus committe: sic fugies Diaboli technas, & rem mihi facies pergratam. His, aliisque spiritualibus monitis quùm dimisisset Clericum, mox iste ad Guardianum pergens, quæ sibi à Domino Jesu (ut putabat) dicta fuerant, integrè refert. Cui Bernardinus: sat, fili, sat est, apagetò. Quùmque novas, quotidiè visiones recitaturus ad Bernardinum rediret, Vir sanctus rem Domino in oratione aperiens, ab eo lumen, quo occultas Dæmonis fraudes, quas suspicabatur, discernat, obnixè postulat. Indè mox,

qua

Digitized by Google

quâ viâ; quove modo Clerici visiones examinare debeat, instruitur à Patre luminum. Quapropter Clericum ad se redeuntem interrogat: num qui sub Christi forma ei apparet, ac instruit, ipsum semper impellat ad sui Superioris obedientiam? Cui Clericus: semper, Pater. Jam ergo fili, animum auge, (ait Bernardinus) & verbis meis obtempera: quùm primùm tibi quisquam sub Christi, aut B. Virginis, vel Sancti alterius specie apparuerit, protinus illum verbis istis expelle: apagè, maledicte Dæmon, jam tibi nullam, aut fidem, aut reverentiam adhibeo; Dæmon es pessimus, qui me tua fraude circumvenire cupis. Num tibi animus, fili, ad id præstandum sufficit? Cui Clericus; sufficiet equidèm Pater. Age ergo strenuè (subdit ille) neque ulla melefacti te conscientia premat. Post hæc Clericus à Guardiano digressus, quùm absolutâ ejusdem diei refectione, quinquies orationem Dominicam, & totidem Salutationes Angelicas, post cæteros in Choro devotè persolveret; en illi supra fores, quæ ad Altare viam aperiunt, Diabolus sub eâ Christi formâ apparet, quâ à Pilato Judæis post flagellationem propositus fuit, quùm diceret: *Ecce Homo*. Quam simulac Clericus aspexit, quæ sibi à Guardiano præcepta fuerant, ad mentem revocans, statim Dæmonem his aggreditur verbis: abi, apagè, impure Dæmon. Quid me tuis artibus circumvenis? Jam tibi nullam fidem, aut reverentiam exhibeo; quin potiùs odio, atque execratione prosequor. Hæc cum ex obedientia verba protulisset, Dæmon obtritus, & ingenti strepitu evadens, exclamat fugiens: heu! dispereat, qui hæc tibi jussa dedit, ac verba præcepit. Clericus autem Dæmonis voce, ac strepitu perterritus, vehementiùs clamans, ad Bernardinum festinat, remque narrans gestam, ab eo didicit: haud sanè aliundè, præterquam ex occulto cujusdam propriæ existimationis vitio ortum habuisse hujusmodi tentationem. Quod si ab exordio, quùm prima illi visio oblata fuit, ipsam humilitatis, & propriæ indignitatis gladio obtruncasset, cum ea simul & Diaboli fallaciam jugulasset,

TENTATIO PERPLEXA.

18. ANima, præsertim hominis scrupulosi, dum tentationum agitatur procellis, & variis phantasmatum excitatur undis, sæpè fluctuat anceps: nunc meditata approbat: nunc laudata condemnat: nullâ introsus pace potitur, nullâ stabilitatis virtute solidatur; cui namque parti debeat inhærere, penitùs ignorat.

19. Causæ hujus tentationis plures enumerantur, nempè I. Ignorantia, quâ nescit, quò se vertat. II. Amor proprius, quo non contentus de modo prudenter operandi, alium, & alium quærit certiorem. III. Humor melanchonicus, qui tetras immittit species in phantasiam, imaginativam lædit, & mentem obnubilat. IV. Dæmon, qui trepidare facit, ubi non est timor; ut ità homo fluctuationibus anxius,

Digitized by Google

mœstitiâ circumplexus, cogitationibus dissipatus, dubietate plenus, spiritualis dulcedinis expers, & insipidus; tandem tædio affectus, & sibi ipsi gravis, incidat in desperationis foveam: sicque diffidendo de peccatorum venia, relinquat inchoata virtutum opera, & ad pristina redeat carnis oblectamenta. V. Deus quoque, ad Animas purgandas, eas hac probat tentatione: mortificat, ut vivificet: deducit ad inferos, ut reducat ad superos.

20. Innumeros ista tentatione à Deo probatos, legimus Sanctos: inter quos David, qui ab eâ pressus, & postea liberatus, gratias egit Domino, dicens: (Psal. 54. v. 9.) *Salvum me fecit à pusillanimitate Spiritus, & tempestate.* Unum ex meâ Religione referam, P. Alphonsum Lupum (in ejus vitâ) in quo Altissimus perfectum Apostolicæ fortitudinis simulacrum, & sodissimæ virtutis exemplar delineare voluit; ut in eo, quotquot Seraphicam Regulam profitentur, potissimùm Sacri Verbi Prædicatores, quid imitari debeant, abundè nanciscantur. Triennio, igitur, antequam Vir Sanctus spiritum Deo redderet, variis corporis, & animæ languoribus premi cœpit, ut primis ultima responderent: & qui ab exiliis, carceribus, persecutionibus, variisque tribulationibus vitam inchoaverat Apostolicam, hanc rursus afflictionibus, angustiis, & tentationibus perficeret. Paralysis, itàque, morbo correptus, mirùm planè quàm patientèr, quàm fortitèr, quàmque hilaritèr sustineret intentos illius morbi cruciatus; ità ut iis carere pro summo damno duceret. His paralytici morbi doloribus Deus Optimus Maximus (quandòquidem illustriorem servo suo, quem maturius ad Cœlum evocare decreverat, coronam parabat) graviorem, tùm in quibusdam Catholicæ Fidei Dogmatibus, tùm præsertim diffidentiæ, tentationem addit: quâ universæ prædicationis labores, vigilias, orationes, jejunia, & quæcumque in Religione pertulerat incommoda, jam inania, omnique merito vacua sibi esse videbantur: atque adeo hujusmodi tentatio in Viro Dei creverat, ut spem omnem salutis æternæ abjecisse videretur. Non lachrymæ, haud preces, nec aliorum argumenta, quibus ad fiduciam animo concipiendam propellebatur quidquam proderant. Siquidem ejus mens tàm profundis obvolvebatur tenebris, ut quo animo, quove consilio omnes anteactæ vitæ actus instituisset, prosequutus fuisset, ac perfeciisset, nullo modo discernere posset. Quo fiebat, ut Alphonsus perpetui cujusdam luctus, & mœroris pelago demersus, ad Cœlum, unde sibi aliquod poterat mendicare solatium, caput efferre non auderet: sicque inter perennes animi, & corporis angustias, vitam duceret, ut nullâ prorsus consolatione frueretur. Prior quidem tentatio longè ante ipsius obitum, ab eo sublata fuit; sed hæc posterior (Deo ità salutis ejus moderante habenas, ejusque virtutem probante) ad extremam usque ægritudinem data fuit:

Antiquus est, hic Dei mos, qui teste Apostolo (Hæbr. 12. v. 6.) *Omnem filium, quem suscipit, tentationibus flagellat.* Hinc D. Gregor. (lib. 3. moral. cap. 5.) ait: *Quid est, quod Deus Omnipotens sic vehemen-*

Digitized by Google

menter in hoc ſæculo deſpicit, quos ſic ſublimiter ante ſæcula elegit? niſi hoc, quod Fidelium pietati patet; quoniam idcircò ſic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in ſummis: & foris uſque ad deſpecta dejicit, quia intus uſque ad incomprehenſibilia perducit.

TENTATIO VIOLENTA.

21. NUllam dari tentationem, quæ talem homini vim inferat, ut ſit *Inſuperabilis*, ſeu *Irreſiſtibilis* (prout ſomniant Pſeudo-Myſtici) in toto iſto opuſculo demonſtrabimus. Tentatio igitur dicitur *Violenta*, quandò tàm acriter, & fortitèr impugnat, ut ab humana fragilitate ſuperari vix poſſit, quin homo fretus Dei gratiâ (quæ ſemper præſtò eſt) viriliter, & conſtanter reſiſtat. Hac tentatione aggreſſa eſt Suſanna, quùm à Senibus impudicis ſollicitata ad turpia, fortiter reſtitit. Hanc paſſi ſunt Chriſti Martyres, variis tormentis, & ipsâ morte adacti ad Chriſti fidem deſerendam. Hanc experti ſunt Beatiſſimi Patriarchæ Benedictus, & meus Seraphicus Pater, tam diris carnis ſtimulis agitati, ut neceſſe fuerit, nunc ad ſpinas, nunc ad nives, nunc ad alia inſueta confugere remedia: & ità carnis pruritum, aut ſanguine ex vulneribus totius corporis erumpente, aut nimio frigore ſuffocare. Hanc ſenſiit David, dum clamabat (Pſal. 58. v. 4.) *Irruerunt in me fortes*. Hac pulſatus fuit invictiſſimus Job, quùm inquit (cap. 30. v. 14.) *Quaſi rupto muro, & apertâ januâ irruerunt ſuper me*. Hanc SS. Viri, mulieres innumeræ, ac præſertim Virgines ad mortem uſque ſuſtinuere.

22. Tot inter ſacras hiſtorias hujuſce tentationis ex Annal: Capucinorum (Anni 1567.) Iſtud refero exemplum: Frater quidam Clericus, in Venetiarum Urbe, aſpectu decorus, ſed honeſtate venuſtior; cum Eleemoſynario panem mendicans pro Fratrum familiâ, ſeorſumque cujuſdam domus fores pulſans, atque eleemoſynam petens: geminæ mulieres, quæ ſimul inhabitabant, turpi illius amore exardeſcentes, quaſi eleemoſynam largiri vellent, intus advocant, atque cubili oſtia claudentes, ipſum ad nefaria pelliciunt. Horret caſti Juvenis animus illarum impudentiam, quùmque inſanæ Veneris cupiditati, quâ utraque flagrabat, ſtrenuè reluctaretur, impudicæ minantur ei cultris necem, niſi ad illicitam copulam conſentiat. Verùm Clericus Divinâ virtute conſtantior factus, neci præferens caſtitatem, earum rejicit effrontem audaciam. Aſt Procaces jam paſſæ amoris repulſam, eò furoris evadunt, ut Sanctum Juvenem cultris aggredientes, adgeniculatum, ac manus in Cœlum tendentem, crudeliter enecaverint. Extinctum ſepeliunt ſub domus gradibus, ut ſcelus cœlarent perpetratum. Id, quùm ex iis mulieribus altera, facti pœnitens, aliquot poſt menſes elapſos, cuidam Patri Societatis Jeſu, qui illi à confeſſionibus erat, retuliſſet, is factum Capucinis retulit in hæc verba: Scio, Patres mei, Vos, quid de Clerico veſtro actum ſit, hactenus ignorare; at vobis ſolatium ſit eum

velut

velut integræ Caſtitatis Martyrem, pro eâ mortem ſubiiſſe. Remque totam ſis tantum ſilentio præteritis, quæ ad ſigillum Sacramenti ſpectant, ut exarata eſt, enarravit:

TENTATIO FRAUDOLENTA.

23. HÆc inter tentationes ultimo loco poſita, eſt Maxima, & periculoſior cæteris. Dici ſolet, *lapis offenſionis, & petra ſcandali*, in quam viri etiam ſpirituales, ſed præcipuè mulieres, non rarò incidunt. Iſtâ tentatione ſeductus fuit ille Vir Dei (3. Reg. 13.) qui miſſus à Judæâ ad inerepandum Idolatriam Jeroboam, & prohibitus à Deo, ne ibi comederet, nempè in Samariâ; nihilominus invitatus, ex parte Domini ab alio Prophetâ mendaci ad comedendum, ibi comedit. Si autem Vir Dei, & Prophæta Domini fuit deceptus ab alio Prophetâ, ſed mendaci; nos cavere debemus à Pſeudo-Myſticis, *qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. (Matth. 7. v. 15.)

24. Mulieres præſertim caveant ab iis Directoribus, qui aliquam ſibi vendicant libertatem, vel in affectatis locutionibus, vel in geſtis parùm compoſitis, & ſimilibus; nam Directores iſti; quamvis à plebe vocentur Apoſtoli, & venerentur ut Angeli; reverà tamen ſunt falſi Prophetæ, & Miniſtri Diaboli. *Sunt aliqui* ait Paul: (ad Galat: 1. v. 7.) *qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti: ſed licèt nos, aut Angelus evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. Si Confeſſarii novas docent Doctrinas, varias, & peregrinas, quas, nec Evangelium, nec PP. tradiderunt; *hi non intrant per oſtium Domini, ſed aſcendunt aliundè: fures ſunt, & latrones* (Joann. 10.) Si Quietiſtarum deliramenta putant *Animarum purgationes*, ac inuſitatæ tentationis pallio cooperiunt. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta*. (Thren: 2. v. 14.) Si pœnitentium laudant pulchritudinem: ſi earum domus frequentant: ſi ipſarum negotia peragunt: ſi munuſculis familiaritatem fovent, & amorem; audiatur Apoſtolus (ad Galat. 3.) *Quis vos faſcinavit? ... Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?*

25. Caveant quoque animarum Directores, ne citò credant ſuis filiis ſpiritualibus. *Chariſſimi*, monet Div. Joan: (Epiſt: 1. cap. 4.) *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*; alioquin & ipſi Directores in foveam cadunt: eò vel maximè ſi fœminis promptum præbent auditum. Sexus namque muliebris (omnes Philoſophi, & Theologi fatentur) eſt magis obnoxius ludibrio Dæmonis; tùm propter naturæ imbecillitatem: tùm propter acriores, ac vehementiores paſſiones: tùm propter humorum conſtitutionem: tùm propter imaginationem promptiorem, ac tenaciorem: tùm, denique, propter curioſitatem, levitatem, ſuperbiam, & malitiam, quibus fœminæ ſatis, ſuperque abundant. Nam (Eccli: 25. v. 26.) *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris*. Unde

Digitized by Google

de Gerſon (Alphab. 18. lit. I.) advertit: *Sequitur altera cautela pro Prælatis, & ſpecialiter Doctoribus, apud inferiores, præſertim idiotas, et ſine literis mulierculas. Caveant, qui dati ſunt in regimen, & exemplum, ne leviter ſuis verbis, aut factis approbent doctrinas earum, vel miracula, ſeu viſiones inſolitas, ipſis maximè ſcientibus, ſeu coram eis. Nulla planè poſſet altera dari talibus ad fingendum fortior occaſio. Experti pluries loquimur. Et Gregorius XI. teſtis fuit idoneus, ſed tardus nimis. Hic poſitus in extremis, habens manibus Sacrum Chriſti Corpus, proteſtatus eſt coram omnibus, ut caverent ab hominibus, ſive viris, ſive mulieribus, ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis; quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat & Eccleſiam ad diſcrimen ſchiſmatis imminentis; niſi miſericors provideret Sponſus Jeſus.*

26. De Tentatione Fraudolenta innumerabiles, ſimul & lachrymabiles leguntur caſus: at ſufficiat pro mille Tertulliani lapſus. Qualis ingenii Doctor iſte, quantæque fuerit Doctrinæ, ejuſdem ſcripta teſtantur. Aſt, (proh dolor!) tantus Vir in fraudolentam incidit tentationem, ſicque altam, & profundam doctrinam multis fœdavit erroribus. Verùm unde deceptus? ipſum audiamus. *Eſt hodie* verba ſunt Tertulliani (de Anima cap. 9.) *Soror apud nos revelationum charismata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſolemnia per extaſim in ſpiritu patitur: converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino: & videt, & audit Sacramenta: & quorumdam corda dignoſcit: & medicinas deſiderantibus ſubmittit. Jam verò, prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur; ità inde materiæ viſionibus ſubminiſtrantur. Fortè neſcio quid de Anima differueramus, quùm ea Soror in ſpiritu eſſet: poſt tranſacta ſolemnia, dimiſſa plebe, quo uſu ſolet nobis renunciare, quæ viderit (nam & diligentiſsimè digeruntur, ut etiam probantur) inter cætera, inquit: oſtenſa eſt mihi Anima corporaliter, & ſpiritus videbatur; ſed non inanis, et vacuæ qualitatis, imò quæ etiam teneri repromitteret tenera, & lucida, & aërei coloris, & forma per omnia humana.* Hucuſque infelix Tertullianus, qui eſtò eruditiſſimus, & prudentiſſimus videretur, tandem mulierculæ commentis traduci paſſus eſt, ac ſeduci. Cauſam tantæ deceptionis aſſignat Baronius (ann. Domini 201. num. 13.) *Acceſſit ad faciliorem hominis lapſum, quòd ipſe licèt durus in diſciplina, in credendo tamen magnâ erat animi facilitate præditus: adeout quæcumque mulierecula ſe aliquid ſecundum viſum accepiſſe diceret, mox tantam illi præſtaret fidem, ut, quùm alioqui eruditiſsimus eſſet, omnem illi poſthaberet doctrinarum veritatem. Eſt de eâre patens exemplum ab ipſo deſcriptum in lib: de Animâ c. 9. quo quidem apertiſsimè demonſtratur, inſaniiſſe planè hominem, dum arbitrio mulierculæ à cardine dimoveretur, non tantùm Chriſtianæ Theologiæ, ſed etiam humanæ Philoſophiæ, ut Animam corpoream, coloratam, antropomorphitamque crediderit: tantùmq; valuiſſet apud eum phanatica fœminæ quælibet effictæ, & affectata relatio, ut*

Digitized by Google

omnia pro illa neglexerit catholica dogmata, atque ſcientiæ.

27. Omnes tandem cavere debemus à Tentatione Fraudolentâ. *Induamus armaturam Dei*, monet Apoſtolus [ad Epheſ. 6. v. 11.] *ut poſſimus ſtare adverſus inſidias Diaboli.* Quamvis enim hoſtis antiquus, poſt Chriſti adventum, utrâque careat manu ad tentandum, expandit tamen retia ſua, ut omnes fraudolenter capiat. *Serpit hoc malum Diaboli*; advertit D. Aug. (lib. 18. quæſt.) *per omnes aditus ſenſuales: dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, adhæret ſonis, odoribus ſe ſubjicit, infundit ſe ſaporibus, & quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ: aliquando crudeliter torquet dolore, ac metu: aliquando jocosè diſtrahens, vel ſubſannans ludicris.*

Hæ ſunt tentationum ſpecies, quas PP. & omnes veri Myſtici agnoſcunt: & ad iſtas, ſi quæ aliæ ſint, reducuntur. An verò curſu temporis alia novi generis tentatio emerſerit, hactenus incognita? mox videbimus.

SECTIO I.

An Moderna Ætate ſint etiam modernæ, & novi generis tentationes, quæ non fuerint priſcis temporibus?

28. SUperbum Animal homo, non valens quid creare, renovat eo modo, quo poteſt, jam creata: nec ipſa nova amplectitur, vel approbat, ni Moderna ſint, & Hodiana. Hinc nedum ædificia, villas, vineas, victum, veſtitum, & quæcumque ſpectant ad corporis neceſſitatem, aut ornatum; verum etiam (quod amarioribus lachrymis flere debemus) quæ inſtituta ſunt ad animi cultum, contemnit, ſi non fuerint temporis viciſſitudinibus accomodata. Quiſque canit cum Ovid. (3. de Ponto.)

Eſt quoque cunctarum Novitas gratiſſima rerum.

Et cum Calphurnio (Ecl. 6.)

Vilia ſunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectavimus olim.

29. Sanctitatem ipſam (delirantes) autumant innovaſſe mores: & quę primum nimis rigida, ne contaminaretur, ſolitaria degebat in Æremitarum Cryptis, aut verecunda detinebatur in Religioſorum Clauſtris: jam animoſior facta, civilis, & urbana, prodit in medium fori: & inter carnis delicias, & mundi illecebras, apparet venuſtior, nec minus pudica. Læta fronte ſe jactant (impudentes) novam adinveniſſe artem ſociandi juſtitiam cum iniquitate, tenebras cum luce, Chriſtum cum Belial, Templum Dei cum Idolis. *Hanc, qui ſciunt prudentiam*, magno ploratu exclamat Div. Greg: [lib. 10. moral. cap. 16. in c. 12. Job] *cæteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt, ſubjecti, & timidi in aliis mirantur.*

30. Quinimò, eouſque Hodianorum devenit audacia, ut affirmare non erubuerint, Deum ipſum, na-

Digitized by Google

naturâ immutabilem, jam mutasse modum purgandi, & transformandi Animas: *& quos præteritis temporibus faciebat Sanctos Tyrannorum ministerio; nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in eis violentias ad actus carnales, etiam in vigilia, & sine mentis obfuscatione, movendo physicè illorum manus, & alia membra contra corum voluntatem: facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annichilent, et se Deo resignent.* Ità insanivit Michael Molinos (prop. 43. inter damnatas ab Inn. XI.)

31. Tandem Pseudo-Mystici nostri temporis, è superis descendentes ad inferos, apertè docent, quòd etiam Diabolus, estò veterator sit hostis, & sæculis anteactis mille adhibuerit nocendi artes; hac tamen ætate novo utitur tentandi modo: priùs tantummodò suadebat, nunc cogit ad malum: priùs moralitèr tantùm impellebat, nunc etiam physicè compellit ad turpia. Quas *Tentationes*, appellant, *novi generis, sive extraordinarias, naturæ differentis à vulgaribus: Insuperabiles, & Irresistibiles*. At quàm temerè hi loquantur, quàm stultè, & sine fundamento, in omnibus, & singulis hujus Opusculi sectionibus clarè patebit.

32. Pro resolutione autem præsentis quæsiti, præmittendum I. Sola *Novitas* non inducit *censuram*; idest si doctrinæ non opponuntur Scripturis, Decretalibus, Conciliis, aut unanimi Patrum, ac Theologorum judicio, illarum *Novitas* nullam *censuram* continet Theologicam, nec gradum *Propositionis damnabilis*; ut advertit Saura [in suo Plat. vot. de exam. prop. cap. 17.] Ratio est, quià si *Novitas* præcisè inspecta, esset simpliciter, & absolutè improbanda, nec commendari debuisset (Matth. 13. v. 52.) *Scriba doctus in regno Cœlorum, qui profert de thesauro suo nova, & vetera*. Nec Æterni Patris Sapientia de præcepto dilectionis pronunciasset (Joann. 13. v. 34.) *Mandatum novum do vobis*. Itaque non omnis *Novitas* est rejicienda. Ut autem in praxi innotescat, quænam sit *Novitas* improbanda, inspicienda est potissimùm materia, circa quam eam haberi contingit. Unde

33. Præmittendum II. Si in dogmatibus fide divina credendis, *Novum* aliquod insurgat assertum ab Antiquorum mente abhorrens, radicitùs erit evellendum. Neque enim Patres, ac Theologi fortiùs, ac convincentiùs argumentum unquam excogitarunt contra Hæreticos, quàm quòd eorumdem dogmata *Nova* essent: & nec à Christo, nec ab Apostolis tradita; & proinde omninò inepta, & insufficientia, ut præferrentur doctrinæ de Mysteriis Divinis traditæ ab Ecclesia Catholica; quæ inter alias præexcelsas prærogativas ei singulariter competentes, est, Apostolica, ex legitima ab Apostolis successione, & ab ipsomet Divino Verbo ortum agnoscens. Hinc D. Epiphanius [hæresi 76.] Aëtium sic redarguit: *Sancta Dei fides ab initio existens, & semper antiqua, & non inveterascens, semper est, & firmatum est hujus fundamentum, & existit habens suum Dominum sine tempore. Ideo neque ipse temporalis existit, sed cum Angelis conversatur, & sanctos per generationem ornat. Tu verò potiùs temporalis es, pastus, ac deceptus ab errore, & elatus mente etiam gregem suum fusim in pabu-*

Digitized by Google

lum ſpinoſum implicuiſti. Nemo enim ex veteribus tecum ſentit, o Aëti, qui contra Antiquarios ſcribens, ipſe temporalis es, & minimè antiquarius.

34. Præmittendum III. In materia morum nihil eſt pernicioſius, quàm novas inducere doctrinas, & opiniones. Adeout etiam Sinæ Populi, non admodum literis exculti, id intelligant: quapropter creant in urbe *Præfectos*, ut vocant *Novitatum*: quorum munus eſt, quidquid novi in regno contingit, ad Regem deferre, ne *Novitas* illa ramos extendat ſuos, & in altum ſuccreſcat, ſed radicitùs evellatur vix nata. *Novitas* enim in materia morum (quidquid ſit in alio genere) eſt veluti vinum novum, quod eſtò videatur magis delectabile, eſt tamen minus utile; quia plurimas habet fœces intermixtas: ità opinio, ſeù *doctrina nova*, in rebus moralibus, ſemper habet aliquid fœculentum, nimirùm aliquid mali admixtum, falſitatis, ſcilicet, ſuperbiæ, impuritatis, &c. Idque magis cavendum in materia ſexti præcepti Decalogi, circà quòd omnis *Novitas* tendit ad laxandas conſcientiæ habenas. Audiatur D. Aug. [lib. 15. contra Fauſtum] *Quid agunt iſti evangelizantes nobis præter quòd accepimus? niſi ut nos à caſtitate corrumpant, quam Chriſto ſervamus, quando legem Dei culpant nomine Vetuſtatis, & errorem ſuum laudant nomine Novitatis?*

35. Præmittendum IV. In Sacrarum Literarum interpretatione, ſicut eliminare debemus perverſæ *Novitatis* pruriginem: ità ſervare oportet eam *Novitatem*, quæ ſic *Novitatis* potitur vocabulo, ut dicenda potiùs veniat *Antiquitatis*, vel nova manifeſtatio, vel declaratio, vel etiàm explanatio, ac illuſtratio. Hujuſmodi erit *Novitas*, quæ pruriginoſa non ſit, nec irreverens in Sanctos Patres; ſed quæ obſequentiſſimè excipiens explicationes abeis traditas, aliquam aliam eruat, ipſismet Patribus ducibus, ac veluti facem ad eam indagandam præſeferentibus; juxta Petri Cellenſis [lib. 3. epiſt. 4.] adnotationem: *De multiplici verò ſenſu Scripturarum, vel Judiciorum Dei, quæ nunc plura fiunt, quaſi diverſa, non tamen contraria à fide ſentire, non eſt exorbitare. Hic enim ſonus eſt alarum Animalium in Ezechiel ſe ad invicem percutientium; quia ſanctæ animæ de theſauro ſapientiæ, & ſcientiæ Dei largiter accipiunt; inde corpus Eccleſiæ in augmentum Corporis Chriſti diverſarum gratiarum compagine ſatis eleganter componunt.*

36. Ex his habes, Novas quaſlibet opiniones, & doctrinas, quæ ex luxuriantibus ingeniis excogitantur, & à Magiſtris prurientibus auribus ſuſtinentur (ſaltem in genere moris) diſciplinam infringere Eccleſiaſticam, & Dominicum Segetem zizaniis replere. Idque eò vel maximè cavendum, ſi *Novæ* opiniones, & doctrinæ verſantur circa rem veneream, in quâ non datur parvitas materiæ. Valdè ità-que advertendum, ne circumferamur præcipites omni vento doctrinæ, abſque urgenti ratione, ſolidoque fundamento, quidquid in cerebrum venit propugnando; ſed priùs diſcutiatur, an hæ, illæque doctrinæ aliis repugnent doctrinis, quas SS. PP. edocuerunt? an ea de re ex profeſso Antiqui diſſeruerint? an difficultates emerſerint poſteris tem-

Digitized by Google

temporibus, quæ prioribus non fuerint pertractatæ? an eædemet circumstantiæ, quæ in particularibus casibus ad præsens militant, olim fuerint ponderatæ? an sint affines propositionibus, seù opinionibus proscriptis à Romanis Pontificibus? an in praxi pernicioſæ? &c. His omnibus benè perpensis, & maturè discussis, non secundum proprium affectum, sed juxta veritatem, & trutinam Sanctuarii; *Novas* possumus amplecti doctrinas.

An igitur (ut revertamur ad quæsitum) *Tentationes* dentur *modernæ Novi generis*, & quæ non fuerint priscis temporibus? seù an nostrâ ætate *Novæ sint Tentationes, extraordinariæ, naturæ differentis à vulgaribus: insuperabiles, & irresistibiles*, quæ propugnari possint, non solùm ut possibiles, sed etiàm de facto; saltem in aliquibus animabus perfectis? An, inquam, absque *nota, & censura Theologica*; id opinari liceat? Sit

CONCLUSIO.

37. OPinio affirmans dari hac nostrâ ætate *novi generis Tentationes*, quæ non fuerint sæculis retroactis, est *Temeraria*. Opinio verò ulteriùs asserens, hasce Tentationes esse *Irresistibiles*; est in praxi Scandalosa, Pernicioſa, & ut minimum, Proxima erroribus Michaelis Molinos, Beguardorum, & falsò Illuminatorum.

Conclusio plures habet partes, quarum quælibet peculiarem expectat sectionem. Impræsentiarum sola prima pars propugnatur; cæteræ autem in propriis locis.

OSTENDITUR EX SACRIS SCRIPTURIS:

ECCLESIASTEN: Cap. 7. v. 11.

NE dicas: quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.

Meliora; exponit Cornel. à Lapide; *intellige tùm physicè, ideſt, ditiora, fertiliora, feliciora: tùm ethicè, ideſt, justiora, sapientiora, sanctiora.*

Meliora fuere, premit Hugo à S. Charo, *ad benè operandum, & contemplationi vacandum opportuniora..... Nullum tempus alio melius est; sed homo Dei, omni genere virtutum armatus, tempore belli utatur virtutibus bellicosis: & est tempus bonum, & fertile sibi: tempore pacis utatur pacificis, & æqualiter inveniet tempus bonum. Stulta est hujusmodi interrogatio, & opinio, quæ supponit tempora alia aliis esse meliora. Omnia enim sunt æqualia ad serviendum Deo.*

Homines plerumque sæculorum suorum pravitatem causantur; nihil unquam sibi vitio verti patiuntur. Adnotat Calmet hìc: *Nos bonum, vel malum efficimus sæculum pro nostris virtutibus, vel vitiis.... Nequaquam abbreviata est manus Auctoris, & naturæ, & gratiæ. Hodie agit ut olim: si nos degeneres sumus, nobismet succenseamus.*

Digitized by Google

PROVERB: 22. v. 28.

NE tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.

Calmet. *Ne ſtudeas novis rebus, quòd ſemper periculoſæ aleæ refertiſſimum eſt, tunc præſertim cum agitur de Religione.*

Hugo à S. Charo. *Ideo autem bonum eſt non tranſgredi terminos antiquos, quia infra limites eſt ſecuritas, & in Marchiis eſt guerra.*

AD HEBR. 13. v. 8.

JEſus Chriſtus heri, & hodiè ipſe in ſæcula. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.

Ideſt, explicat hìc Hugo à S. Charo: *Ex veritate, & falſitate permixtis. Nulla enim falſa doctrina eſt, quæ ut dicit Gloſ. non aliquando vera intermiſceat. Talis doctrina eſt lepra volatilis, unde, & ipſi leproſi ſunt. Dicit ergo* (Doctrinis variis) *ex veritate, & falſitate permixtis, vel ex diverſis Scientiis Spiritualibus, et ſecularibus* (& peregrinis) *ideſt extraneis è ſtudio SS. PP.*

1. AD TIMOTH. 6. v. 20.

O Timothee depoſitum cuſtodi, devitans profana vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis Scientiæ.

Pulchrè Vincentius Lirinenſis (in aureo ſuo libello contra hæreſes) *O' Timothee, ò Sacerdos, ò Doctor! Oh, exclamationis eſt, & præſcientiæ, & charitatis. Prævidebat enim futuros, quos prædolebat errores* (Cuſtodi) *propter fures, propter inimicos* [Depoſitum,] *ideſt Doctrinam Sanctam, quæ tibi, quaſi Epiſcopo credita eſt à me, & à Chriſto, non quæ à te inventa: quam traditione accepiſti, non quam excogitaſti: cujus non Auctor debes eſſe, ſed cuſtos .... Aurum accepiſti, aurum redde, ne plumbum, ne æramenta ſupponas: eadem, quæ didiciſti, ità doce, adorna, illuſtra, ut cum dicas, Novè, non dicas Nova* (Depoſitum) *ideſt Doctrinam unam, eamdemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones, incorrupta veritatis traditione manentem, & uſque in ſæcula ſine fine manſuram* (Cuſtodi) *quaſi viperam,* (Devitans) *quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum* (Prophætas) *ideſt, quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi* (Vocum) *ideſt, Dogmatum, rerum, ſententiarum, & conſequenter ſermonum* [Novitates] *quæ ſunt Vetuſtati, quæ Antiquitati contrariæ.*

CONFIRMATUR EX SS. PATRIBUS.

DIv. Aug. (Opuſcul. de utilitate credendi cap 1.) Hæreticum ſic definit: *Qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia, novas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.*

Idem (lib. 3. contra Julian. cap. 3.) *Mira ſunt, quæ dicitis: falſi ſunt*

Digitized by Google

sunt, quæ dicitis: mira stupemus: nova cavemus: falsa convincimus.

Idem (De Moribus Manich. cap. 10. in fine) *Novitatis appetitio in magnas quemque deducit angustias.*

Idem (ad Optatum) *Semper Viris Sanctis suspecta fuit Novitas.*

D. Bonav. (lib. 1. Sentent. distint. 26. Dub. 1.) *Quando est talis adinventio, quòd sententiam etiam facit, quæ non habet ortum ex veritate antiqua; tunc verè est Novellum. Et sic dicit Apostolus. 1. Timoth. 6. esse fugiendum.*

S. Chrysost. [Serm. 3. super Epist. ad Rom.] *Novitatis affectatores, nihil aliud demonstrant, quàm veram stultitiam, & arrogantiæ ostentationem.*

Idem [Hom. 8. super 11. Timoth.] *Qui novitatibus student, nusquam erroris finem inveniunt.*

D. Cyrill. Alexandr. [lib. 1. de Trinit.] *Qui in novas opiniones discedunt, incurrunt in morbos curatu difficillimos.*

S. Bern. [Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses] *Novitas est mater Temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.*

Idem [Epist. 190.] *Nonnè omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? omnes, inquis, sic; sed non ego sic. Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtiliùs invenis? Quid secretiùs tibi revelatum jactas, quòd tot præterierit sanctos, effugerit Sapientes? aquas furtivas, & panes absconditos puto apponet nobis iste. Dic tamen, dic quidquid illud est, quod tibi videtur, & nulli alteri.... Hoc planè nemini, te excepto, videtur: tu videris, ubi videris. Non enim hoc à Sapiente, non à Prophæta, non ab Apostolo, non denique ab ipso Domino accepisti. Magister gentium accepit à Domino, quod & tradiderit nobis. Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam* (Non enim, ait, à me ipso loquar.) *Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti* [Qui loquitur mendacium de suo loquitur [Joan. 8.] *Tibi proinde sint; quæ tua sunt. Ego Prophetas, & Apostolos audio: Obedio Evangelio, sed non Evangelio secundùm Petrum. Tu nobis novum condis Evangelium. Quantum Ecclesia Evangelistam non recipit.*

D. Ireneus [lib. 1. cap. 18.] *Qui recentiores agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, & fructificare: quod nunquam quisquam excogitavit.*

Tertull. [De præscrib. cap. 31.] *Ex ipso ordine monstratur, id esse Dominicum, & verum, quod sit priùs traditum: Id autem extraneum esse, & falsum, quòd sit posteriùs immissum.*

Idem [lib. 1. contr. Marc. cap. 13.] *Omninò res Christiana sancta Antiquitate stat: nec ruinosa reparabitur; quàm si ad originem censeatur.*

His liceat addere Senecam [ad Lucill. Epist. 95.] *Antiqua sapientia nihil aliud, quàm facienda, & vitanda præcepit: & tunc longè meliores erant viri. Postquam docti prodierunt, desunt boni. Simplex enim illa, & aperta virtus, in obscuram, & solertem scientiam versa est: docemurque disputare, non vivere.*

CON-

Digitized by Google

CONVINCITUR RATIONE.

38. UT ſatis conſtet ratio à priori, quâ oſtendemus, opinionem aſſerentem, *dari hac noſtrâ ætate Novi generis Tentationes, quæ non fuerint ſæculis retroactis*, eſſe *Temerariam*; prænotare neceſſe eſt, quid ſit *Propoſitio*, ſeu *Opinio Temeraria*. Et quidèm apud Cenſores Theologos eſt illa, quæ communi Patrum ſenſui opponitur: vel, quæ contra Doctores Theologos ſentit ſine ſufficienti fundamento. Ità Card.de Lugo (De virtute fidei Divinæ diſp.20.ſect.3. n. 96.) vel *Propoſitio Temeraria* eſt illa, quæ in rebus attinentibus ad fidem, vel bonos mores, ſine ullâ rationis regulâ procedit, & omni prorſus caret auctoritate, aut levi nititur fundamento. Sic Alberghinus (de propoſ. cenſurâ cap. 12. n. 11.) Alphonſus de Caſtro (Lib.1.de juſtâ Hæret.punitione cap.3.) Lorca (2.2.diſput.4. n.17.) & alii, qui omnes definitionem *Temeritatis* à D. Thom. (2. 2. 9. 53. art.3.o.& art. 4. ad ſecundum) amplectuntur.

39. Dupliciter autem Propoſitio dici poteſt *Temeraria*: nempè *Poſitivè*, aut *Negativè*. Quoties enim aſſertum repugnat contra receptam ſententiam, vel Patrum, vel Theologorum, ità ut omnes, aut ferè omnes conveniant in illâ, etiamſi non aſſerant eſſe fide Divinâ certam, ſed vel ſimpliciter veram, vel omninò probabiliorem: quia hoc attento, vix fieri poteſt, ut ſecundum rationis dictamen queat aliquis tantæ auctoritati opponi, quòd credibile non appareat, tot Patres, & Doctores ſine urgenti motivo, vel teſtimonio in eam ſententiam concorditer conſpiraſſe: toties aſſertum *poſitivè*, & contrariè *Temerarium* habendum. *Privativè* verò, quoties aſſertum fuerit ſolo proprio judicio, & ſine ſufficienti fundamento excogitatum. Ità Reverendiſſimus P. Antonius à Panormo (Scrutin. Doctrin. cap.7. art.5.n.8.) & alii communiter.

40. Itaque (concludit laudatus de Lugo [ibi n.98.] *optima regula ad dignoſcendum, an propoſitio aliqua ſit temeraria, quamvis de eâ explicitè Patres, vel Doctores non ſint loquuti, hæc eſſe poteſt. Nimirum, attendere quid dixiſſent Patres, vel Doctores interrogati de hac propoſitione in particulari, quantum ex reliqua eorum Doctrina colligere poſſumus. Si enim certum eſt, eos, licèt de facto propoſitionem hanc non expreſſerint, negaturos tamen illam fore, ſi eis proponeretur: hoc ſufficit, ut cenſeatur Temeraria; quùm ſit contra habitualem, ſultem, Patrum, & Doctorum ſenſum: qui ità fuerunt, & ſunt habitualiter diſpoſiti, ut interrogati, ità formaliter dicerent, & exprimerent.* Hactenus, & egregiè ille Eminentiſſimus, quem refert, & ſequitur R. P. Antonius prælaudatus.

Juxta hanc regulam, opinio affirmans, dari hac noſtrâ ætate Novi generis Tentationes, quæ non fuerint ſæculis retroactis, eſt *Temeraria poſitivè*. Quod liquido patet ex Patribus, & Doctoribus paulò antè allegatis, & fuſiùs, ac clariùs patebit in toto hoc Opuſculo. Hic contenti erimus probare, præfatam opinionem eſſe *Temerariam negativè*, nimirùm, abſque ſufficienti fundamento novitèr excogitatam.

41. Ra-

Digitized by Google

41. Ratio à priori hæc est. Eædem tentationum causæ extiterunt priscis temporibus, eodemque modo se habuerunt, ac nostro sæculo. Ergo non dantur nunc tentationes novi generis, quæ non fuerint retroacta ætate. Ergo irrationabiliter, & absque sufficienti motivo excogitantur; & consequenter *temerè*. Consequentia est manifesta; nam ubi sunt, & quando sunt eædem causæ, eodemque modo se habentes; nisi impediantur; sunt etiam iidem effectus; ut omnes docent Philosophi. Ant. probatur. Causæ tentationum sunt tres: scilicet, Mundus, Caro, & Diabolus. Tria quoque sunt objecta, de quibus tentamur; juxta sententiam D. Joan. [1. Epist. cap. 2. v. 16.] *Concupiscentia carnis: concupiscentia oculorum: & superbia vitæ*. Demùm septem modis tentamur, seù septem sunt tentationum genera; ex præmissis supra. Atquí Tentatores, nec robustiores, nec formidabiliores sunt hac nostrâ ætate, quàm fuerint sæculis anteactis. Eadem quoque nunc, ac prius permanent tentationum objecta. Nec tandem aliam novam nocendi artem, aut alia inusitata arma habent nunc humani generis hostes, quæ priùs non habuerint. Ergo &c. Hæc minor ostenditur quoad singulas partes:

I. EX PARTE MUNDI.

42. NOmine Mundi Tentatoris, veniunt homines impii, & iniqui; juxta expositionem D. Aug. [in Psalm. 54.] qui vel suo malo exemplo, aut nefariis persuasionibus alios tentant, & ad malum inducunt. At si homines, quoad mores in dies fierent pejores; quia nimirum Mundus seneścit (ut loquuntur Hodiani) & ad interitum properat; hujusmodi lapsus, quùm natura suis in rebus ordinatè procedat, fieri deberet sine retrogradatione (ut ità dicamus) nec denuò juveneścere. Quemadmodum quùm homo incipit seneścere, nunquam recuperat vires, quas amisit; nam à privatione ad habitum non datur regressus, ex Arist. [Post prædicam. cap. de opp.] Cernimus autem nostris temporibus optimos homines, tùm moralitèr quoad ea, quæ non excedunt ordinem naturæ, ejusdemque præcepta ad unguem servantes: tùm quoad bonitatem superantem vires naturæ; prout in tot Sanctissimis Viris, ac Mulieribus nostræ ætatis, vident etiam cœcutientes. Ergo &c.

Præterea, si homines ab initio fuissent in dies facti deteriores, jam tot millibus annorum omnes degenerassent, aut in belluas, aut in alastores. Nullum jus, nulla fides, nulla Religio, nullæ bonæ artes colerentur. Quod est manifestè falsum.

43. Confirmatur inductione, discurrendo per singula vitia capitalia, ex quibus cætera omnia originem ducunt; & clarè apparebit, homines olim in eadem, & fortè majora scelera fuisse proclives, atque à virtutis semita, saltem æquè deflexisse, quàm hodiernis temporibus. Et quidem I. quod attinet ad *Superbiam*. Primi nostri Parentes floccifacientes Dei gratiam, ac tanta beneficia, quæ ab ipso acceperant, inflati vento Super-

Digitized by Google

perbiæ, dictis Serpentis [Gen. 3. v. 5.] *Eritis ſicut Dii*; conſenſum præſtiterunt; & præceptum Divinum ſuperbiendo tranſgreſſi ſunt. Deinde, nonnè Superbi fuerunt, qui dicebant (Geneſ. 11. v. 4.) *Faciamus nobis Civitatem, & Turrim cujus culmen pertingat ad Cœlum: & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras?* Nonnè tumore ſuperbiæ inflata fuit Agar ancilla Abrahæ, quæ quùm ſe concepiſſe videret, ſuam deſpexit Dominam? (Gen. 16. v. 4.) Nonnè una ex cauſis deſolationis Sodomorum fuit ſuperbia? *Hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ Superbia* (Ezech. 16. v. 49.) Nonnè ſuperbiſſima fuit Athalia, quæ, ut regnaret ſuper Juda, interfecit omne ſemen regium? [4. Reg. 11.] Hæc, & alia innumera in Sacris Bibliis de vitio Superbiæ leguntur Exempla.

Si autem profanæ perluſtrantur hiſtoriæ, perſpicuum erit, quam plurimos adeò fuiſſe infectos vitio Superbiæ, ut eos potiùs monſtra, quàm homines dixeris; quùm etiam non pauci, ut Dii coli voluerint. Rex Cyrius ab ipſis elementis reverentiam exigebat [apud Herod. lib. 1. hiſtor.] Rex Amalius Sylvius tantæ Superbiæ fuiſſe traditur, ut non ſolùm hominibus, ſed ipſiſmet Diis, ſe Superiorem prædicaret. Aſt non inaniter tempus hac in re conterendum; quùm ſimilia, & paſſim legantur apud Auctores.

44. II. *Gulæ* quoque vitium fuiſſe commune omnibus ſæculis; ſatis compertum eſt ex Divinis Scripturis. Porrò primum hominis peccatum, gulâ fuit completum (Gen. 3.) Noè bibens vinum, inebriatus, & nudatus eſt in tabernaculo ſuo. [Gen. 9.] Loth quoque inebriatus, inceſtum commiſit cum filiabus ſuis. (Gen. 19.) Eſau pro lentis edulio ſua vendidit primogenita. [Exod. 15.] Holofernes nimiâ ebrietate ſopitus, à Judith occiſus fuit. [Judith. 13. v. 13.] Sacerdos, & Prophæta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino. (Eſaï. 28.) Aliaque in ſacris paginis videri poſſunt exempla de Gulâ, quæ improbant Ss. Patres.

Ipſi quoque Antiqui, & profani ſuorum temporum deplorant guloſitatem. Hinc Seneca [Epiſt. 114.] ait: *Aſpice culinas noſtras, & concurſantes inter tot ignes Coquos noſtros, unum videri putas ventrem, cui tanto tumultu comparatur Cibus.* Plutarchus [de eſu carnium] *Alii verubus ignitis porcos jugulant, ut ferri tinctura ſanguis extinctus, atque diffuſus carnem molliat, delicatamque reddat. Alii Grues, & Olores oculis conſutis incluſis in tenebris ſaginant: alienis temperamentis, atque condimentis, guſtum novum obſonio ſuo conciliantibus. Unde opprimè manifeſtum fit, non alimenti, aut auſus, neceſſitatiſve gratiâ, ſed ob ſatietatem, luxum, & prodigalitatem, nefas hoc ad voluptatem parandam fuiſſe converſum. Proinde ſicut libidinem in mulieribus ſuis non explentes, omnia tentando, ac incertis cupiditatibus vagando, tandem ad infanda prolabuntur: ſic circa nutrimentum, intemperantia naturalem, & neceſſarium tranſgreſſa finem, crudelitati, ac flagitiis cupiditatem variavit.*

Proferant Hodiani quempiam ex noſtris Principibus, qui hodiè vivat æquè conviviorum luxui deditus, ac fuit Vitellius, qui ad vigintiquinque mille philippæos in patina diverſorum edulium impen-

di-

Digitized by Google

disse legitur. Commemorent similem Aurelio Vero, *qui cœnam fecit*. Verba sunt Franc. Petrarchæ [lib.1. de remed.utriusque fort.dialog.96.] *cui si per prandium facere voluisset, nescio, an res Romana sufficere potuisset.*

45. III. *Avaritia* tertio sese offert loco, quæ ab initio Mundi suum exercuit dominatum. Siquidem pro pecuniâ Dalidæ promissâ à Philistæis, ipsa tradidit eis Sansonem (Judic.16.) Filii Samuel declinaverunt post Avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium (1.Reg.8.v.3.) Hæbreorum à minore usque ad majorem Avaritiæ student [Jerem. 6. v. 13.] Tempore Nehemiæ, aliqui ex optimatibus, ita usuris erant oppressi, quòd volebant filios, filiasque vendere in servos, & ancillas [Nehem.5.] Menelaus per argentum, quod promiserat Antiocho, obtinuit Summum Sacerdotium [2.Mach.4.] Sacerdotes Judæorum volentes populum frequentèr offerre, permittebant vendi in Templo ea, quæ offerri poterant: inde dicebant, aurum Templi sanctius esse Templo: & donum, quod erat super Altare, majoris esse reverentiæ, quàm ipsum Altare [Matth. 23.] Cupiditas lucrandi fuit motivum principale, quale Judas tradidit Magistrum Dominum Christum [Matth. 26.] Qui plura cupit, perlustret Acta Apost. [15. 16. 19. 24.] & alia Script: loca.

46. Nec ex Profanis desunt Avaritiæ exempla. Nero, ut scribit Suet. [in ejus vitâ cap. 32.] nunquam officium aliquod delegavit alicui, nisi hæc adjiceret: *Scis, quid mihi opus sit, & hoc agamus, ne quis quidquam habeat.* Verùm, ut prolixitatem vitemus, solum audiamus Senecam: [lib.5.natural.quæst. cap. 15.] *Intellexi sæculum nostrum non novis vitiis, sed jam antiquitus traditis laborare: nec nostrâ ætate primum Avaritiæ venas terrarum, lapidumque rimatam in tenebris malè abstrusa quæsisse. Illi quoque majores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles quærimur nos esse, spe ducti montes cæciderunt, & supra lucrum sub ruinâ steterunt. Ante Philippum Macadonem Reges fuere, qui pecuniam in altissimis usque latebris sequerentur, & relicto spiritu libero, in illos se dimitterent specus, in quos nullum noctium, dierumque perveniret discrimen, & à tergo lucem relinquerent. Quæ tanta spes fuit? Quæ tanta necessitas hominem ad sydera erectum incurvavit, & defodit, & in fundum telluris intimæ mersit, ut erueret aurum, non minore periculo quærendum, quàm possidendum? Propter hoc cuniculos egit, & circa prædam lutulentam, incertamque reputavit: oblitus naturæ melioris, à quâ se avertit.*

47. IV. *Invidia* dici potest ferè cum ipso mundo progenita. Mors enim invidiâ Diaboli intravit in Mundum: quia, scilicet, malignus vidit hominem in statu felici, & posse âscendere ad Cœlum, unde ipse corruerat, ideò tentavit, & vicit hominem. Cain; quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus; invidiâ motus, & insurgens in fratrem suum, hunc proditoriè occidit; [Gen. 4.] Quia Dominus benedixit, & locupletavit Isaac, invidi Palestini illius puteos obstruxerunt. [Gen: 26.] Rachel sterilis invidit sorori fœcundæ [Gen. 30.] Fratres Joseph invidebant eum animo crudeli, videntes, quod, à

Digitized by Google

Patre plus cunctis fratribus amaretur. [Gen. 30.] Percusso Philistæo, mulieres canebant; Saul percussit mille, & David decem millia, quapropter Saul iratus est nimis, dixitque; *Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum Regnum?* Videantur Sacræ Scripturæ.

48. Ex profanis. Novimus ex Æliano [lib: 12. de ver. hist. cap. 16.] Alexandrum Macedonem odisse Perdiccam, eò quòd esset beneficus: Lysimachum, quia belli valdè peritus: Seleucum, eò quòd magni animi: Ptolomeum, eò quòd omnia ei felicitèr evenirent. Scribit Sueton. [in Caligula 35.] Caligulam pulchros, & comatos, si qui illi occurrissent, jussisse, ut occipitio raderentur; ut sic præ invidiâ eos deturparet. Brevitèr. Invidia virtuti, veluti gloria est comes: & sicuti in Universo alii aliis fuere semper feliciores; quemadmodum gloria semper extitit, sic & invidia.

49. V. De *Irâ* hoc idem facillimum erit nobis ostendere. Omnes namque vindictæ, præsertim injustæ, processerunt ab Irâ: quæ ab Aristot. [2. Reth. cap. 3.] definitur: *Appetitus vindictæ*. Unde tot bella? tot Civitatum devastationes? tot millium, seù veriùs milliorum hominum internecciones; nisi ex Irâ? Profectò, quia ab initio Mundi, & quidèm in singulis ætatibus, comperimus accidisse rixas, & contentiones; pro certo habendum est in quocumque sæculo homines extitisse iracundos.

50. VI. *Accidia* antiquos etiam inquinasse, nemo dubitare potest. Audiens Jacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: *Quare negligitis? Descendite, & emite vobis necessaria*. [Gen. 42.] Profecti filii Israel de monte Hor, *tædere cœpit populum itineris, & laboris: locutusque ad Dominum, & Moysen*, ait: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo* [Num. 12.] Tempore, quo solent Reges ad bella procedere, remansit David in Domo: ubi hac occasione, gravissimâ adulterii, & homicidii patravit delicta. [2. Reg. 11.] Alia exempla, tùm sacra, tùm profana apud quamplurimos invenies Auctores.

Supereſt *Luxuria*; sed hæc pertinet ad secundum hostem humani generis; ideoque probatur:

II. EX PARTE CARNIS.

51. Postquam homo per peccatum fuit spoliatus dono justitiæ originalis, ejus appetitus semper æquè fuit rebellis rationi, & præcipitantèr ruit in quæcumque objecta sensibilia. Ergo concupiscentia Carnis semper eodem modo allexit voluntatem ad peccandum: & consequentèr non magis nunc, quàm prius unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ.

52. Si autem nomine *Carnis* volumus intelligere *Corpus*, ejusque temperamentum; adhuc ex hoc capite homines præsentis ævi non sunt proniores ad peccata perpetranda, quàm qui alio vixerint. Nam corporum temperies, estò inclinet potiùs ad hoc genus morum, quàm ad illud; ut docent Physiognomici; non cogit Voluntatem, nec illius libertati aliquod affert detrimentum.

Digitized by Google

tum. Prætereà in hominibus semper fuerunt, & erunt varia temperamenta; quùm horum varietas sit infinita, existente eorum latitudine; ut docent Medici, & notat Paul. Zacch. [Quæst. Medico-legal. lib. 1. tit. 2. q. 1. n. 31.] Quinimò etiam in statu innocentiæ semper varia fuissent temperamenta; ut fatentur Theologi. Denique si Corporis temperies potiùs inclinat ad istud morum genus, quàm ad aliud; ergo eò magis inclinat ad Venerem, quò corpus saniùs est, ac robustiùs; ut ajunt Galen. Avicen. & alii Medici apud laudatum Zacch. [lib. 7. tit. 13. q. 2. n. 3.] Quùm igitur primi homines robustiores fuerint, & saniores, proùt indubium est apud omnes; acutioribus Veneris stimulis conflictabantur.

53. Idque confirmatur exemplis, & Scripturæ testimoniis [Gen. 6. v. 12.] *Omnis Caro corruperat viam suam*. Nam primò filii Cain nimiis fornicationibus abusi fuerant uxoribus fratrum suorum: & mulieres in insaniam versæ, viros supergressæ turpitèr egerant. [Gen. 18. & 19.] Pessimum Luxuriæ vitium adeò infecerat Sodomam, & Gomorrham, ut clamor ierit ad Dominum: & decem justi non sunt inventi in eis. Quin etiam Angeli, qui missi fuerant à Deo, putati ab illis Juvenes pulcherrimi, ad stuprum impulsi fuere. [Gen. 6. 7. &c.] Mundus nascens tantâ carnis immunditiâ fuit coinquinatus, ut aquis Diluvii debuerit emundari. [Gen. 37.] Joseph apud Patrem suum Fratres accusavit crimine pessimo; idest, coitu cum Brutis; ut sentiunt Sacri Expositores. [Gen. 34.] Sichem filius Hemor Hævei, quùm vidisset Dinam filiam Liæ, rapuit, & dormivit cum illâ vi opprimens. [3. Reg. 12.] Ammon filius David vi oppressit Thamar sororem suam. (3. Reg. 11.) *Salomon, quùm esset Senex, adamavit mulieres alienigenas multas, iisque copulatus est ardentissimo amore: fueruntque ei uxores quasi Reginæ septingentæ, & Concubinæ trecentæ: depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*. (Dan. 13.) Duo senes Præsbyteri, ità exarserunt amore Susannæ, quod eâ recusante peccare, ejus mortem procurare conati sunt. (2. Mach. 6.) Tempore Antiochi, ipsum Templum Luxuriâ, commessationibus gentium, & scortantium cum meretricibus, erat plenum. Sed quid immoror in exemplis Scripturæ, quæ sunt innumera?

54. Ex historiis profanis audiamus Senecam. (lib. 3. de benef. cap. 16.) de adulteriis sui temporis. *Quam invenias tàm miseram, tàm sordidam, ut illi, satis sit unum adulterorum par; nisi singulis divisit horas, & non sufficit dies omnibus, nisi ad alium gestata est, apud alium mansit. Infrunita, & antiqua est, quæ nesciat matrimonium vocari unius adulterium*. Quis nostro sæculo alteram reperiet Messalinam, quæ meritò dici potuerit impudicitiæ cloaca? Hæc quamvis uxor Claudii Imperatoris, *quotidiè adulteria*, verba sunt Justi Lipsii (lib. 2. cap. 2. exemp. polit.) *novæ conditiones, & Admissarii, nec clàm, sed in ipso Palatio coram Matronis, & Viris, quasi infamia delectaret, veneriebatur. Quin noctù veste tectâ, & Messelinam dissimulans, ad publicum lupanar ire solita, prostare inter infelices illas victimas, cellam suam, & titulum habere,*

Digitized by Google

accipere ære, & poſcere, & explerì libidine, nec ſatiari. Et dum Maritus Oſtiam iret, alterum Maritum C. Silium palàm cæpit..... Quin etiam mariti gremio novâ nuptâ recumbit, oſcula, complexus, & reliqua licentiæ conjugalis. Quis alteram Fauſtinam, *quæ* (ex eodem ibidem *jungebat in matrimonio Antonini Imperatoris, & quæ libidinum ſic promiſcua, & vilis erat, ut vulgò ſe vulgaret, in balneis, in Arenis, & in Xiſtis, ubi homines nudabantur, legere conditiones ſolita, & benè vaſatos adnotare.* Quis Tiberii Cæſaris, Neronis, alioruмque plurimorum, qui nos multo tempore præceſſerunt, verbis queat complecti fœdam luxuriam, ac diverſa libidinum genera? Caro igitur ſæculis retroactis, æquè, ni magis effrænè, ac noſtris temporibus, corrupit viam ſuam, hominesque ſuis fœdavit ſpurcitiis.

III. EX PARTE DIABOLI.

55. A Beo momento, quo Dæmon fuit è Cœleſti Regione præcipitatus, invidit hominum felicitati: ipſumque cunctis tentavit modis, omnem adhibuit artem, omnem movit lapidem, ut à ſtatu rectitudinis eum deturbaret, & ſecum traheret in abyſſum. Hinc Cornel. à Lapide exponens verba illa: [Sap. 2. v. 24.] *Invidiâ autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum.* Et alia [Joan. 8. v. 44.] *Ille homicida erat ab initio* hæc habet: *Sicut Diabolus ab initio Adamum, omneſque ejus Poſteros occidit: ita nunc per vos, ô Judæi, me partèr, per quem à morte redimendi ſunt homines, conatur occidere: perſtat enim ſemper in ſuâ irâ, odio nocendi, & occidendi cupiditate, inſtar Pardi, & Lupi, qui humanis carnibus paſcitur; ideoque eorum necem, & ſanguinem aſſiduè ſitit. Quare idem ille eſt Lucifer, qui ab initio Mundi Cainum impulit, ut Abelem fratrem necaret.... multò magis ille ſitit necem, & exitium animarum.* Et Maldonatus [in idem cap. Joan.] ait: *cum Mundus factus eſt, hoc eſt ab initio, jam Diabolum homicidam fuiſſe; non quidem reipsâ, quia nondum homines erant, quos occideret, ſed animo, atque voluntate, quâ jam peccaſſet, & occidere futuros homines cogitaret.*

56. Itaque ſi Diabolus ab initio peccavit, ideſt; juxtà D. Thom. (in Joan. cap. 8. lection. 6.) *Quia ex quo incæpit, peccare nunquam deſiit.* Et ſecundùm D. Auguſt. (tract. 42.) *Ille homicida fuit ab initio; non gladio armatus, non ferro accinctus ad hominem venit, ſed verbum malum ſeminavit, & occidit.* Cur idem hoſtis antiquus noſtris temporibus, non ſolùm verbo malo, nempè, ſuadendo, ſed & phyſicè occidit animam, movendo phyſicè corporis noſtri membra ad turpia? Cur hâc modernâ ætate novas ille malignus adhibet tentationes? Si Callidus Serpens omnem ſuam appoſuit artem, ut à Paradiſi felicitate dejiceret Protoparentes, nec tamen viam, aut violentiam admovit; nonnè artem hanc cogendi noſtræ aſſervavit ætati? Vel, Inimicus veterator novo ſtudio novas adinvenit tentationes? Vel, Canis ille Tartareus priùs erat ligatus, nunc verò eſt ſolutus, & mordere po-

Digitized by Google

poteſt adhuc nolentem? Vel, ſæculis retroactis Adverſarius noſter erat inermis, & jam noſtris temporibus invadit armatus? Vel, hac modernâ ætate nova ſint Dæmonia, quæ non fuerint ab initio Mundi? De eo, qui in hæc proruperat deliramenta, rectè dici poſſet, & cum omni veritate, illud, quòd falsò imputabant Apoſtolo (Act. 17.) *Novorum Dæmoniorum annunciator es.* Ideſt, ut legit Æthiopicus: *Seminator verborum doctrinæ Dæmoniacæ novæ.*

IV. EX PARTE OBJECTORUM.

57. QUod ſpectat ad cauſas extrinſecas incitantes ad Venerem, luce clariùs eſt, quòd antiquitus aderant Objecta ſenſibilia excitantia ad concupiſcentiam, non minùs, quàm nunc; imò plura, & efficaciora, quàm noſtrâ ætate. Nam ſi priſci Viri, & antiquæ mulieres robuſtiores erant, ſaniores &c. ut omnes fatentur Hodiani; ergò & pulchriores erant, & conſequentèr magis excitantes ad Venerem.

58. Adde, quòd deliciæ, quæ ſunt luxuriæ comites, ità apud Veteres invaluerunt, ut unicuique parti Corporis unguenta haberent idonea, ex Athenæo (lib. 5. cap. 12.) Nec tempus conterendum ad probandum, quòd Objecta Senſibilia, ſæculis retroactis, ſaltem æquè, ni magis, quàm noſtris temporibus, carnis concupiſcentiam excitabant. Id enim fateri debent etiam ii, qui hiſtorias ſacras, aut profanas prioribus labris deguſtarunt.

59. Tandem noſtra Concluſio, quoad omnes partes oſtenditur ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Meldenſi Jacobo Benigno Boſſuet; & ab eodem confutatur, veluti Molinoſa, opinio aſſerens *dari Tentationes novi generis, ſivè extraordinariæ, naturæ differentis à vulgaribus.* Videantur ejus Tractatus I. *Myſtici in tuto.* II. *Schola in tuto.* III. *Quietiſmus redivivus.* Cui adhærent tres Galliæ Antiſtites ab eodem relati in ſuo opuſculo: (Relazione intorno al Quietiſmo) Qui omnes calamum acuerunt contra Archiepiſcopum Cameracenſem D. Franciſcum de Salignac, admittentem (Max. des SS. p. 77. 92. 174.) Tentationes haſce *novi generis extraordinarias, naturæ differentis à vulgaribus.*

OBJECTIONES DILUUNTUR.

I. QUotidianâ patet experientiâ, quòd non ſolùm in Philoſophiâ, Mathematicâ, ac Scholaſticâ Theologiâ, ſed & in morali, aliæ, & novæ opiniones in dies excogitantur; cur ergo in re, de quâ ſit quæſtio, rejiciuntur novæ tentationes, & improbatur veluti *Temeraria* opinio aſſerens dari noſtris temporibus novas tentationes, quæ non fuerint ſæculis retroactis?

60. R. Non reſpuimus novas opiniones, præcisè, quia novæ ſunt; ſed Temerarias confutamus, quæ abſque urgentibus motivis novitèr adinveniuntur. Sanè ſcimus, non omnium rerum veritates à Mundi ini-

Digitized by Google

initio palàm prorupiſſe, ſed gradatìm, nunc has, nunc illas; idcircò opinio quævis, non ex hoc, quòd novitatem ſapiat, ſtatìm cenſurâ digna exiſtimanda eſt: quaſi Veteres, ſivè Canoniſtæ, ſivè Theologi, ſivè Summiſtæ omniſcientes fuerint; quùm reipſa, teſte Philone Judæorum diſſertiſſimo (lib. 1. de Vita Moyſis) permulta reliquerint Poſterorum ingeniis perſcrutanda. Verùm opinio, quæ nullo, vel etiam levi fulcitur fundamento, dici debet *Temeraria*. Hujuſmodi eſt opinio aſſerens dari nunc Novas tentationes, quæ priùs non fuerint; quùm nulla ratione probetur. Quinimò, nec percipi poteſt, quòd noſtro ævo, iiſdem exiſtentibus cauſis, tùm intrinſecis, tùm extrinſecis, quæ extiterunt ſæculis anteactis, alii nunc, & novi ſint effectus, ac priùs; nimirùm, quòd invariatis humani generis hoſtibus, ac iiſdem objectis concurrentibus, & incitantibus ad malum, aliæ, & novæ noſtris temporibus ſint tentationes, quæ antiquitùs non fuerint. Quia, in caſu, daretur effectus ſinè cauſâ, & opinio abſque ratione.

II. Homo per peccata graviora fit dignus, ut graviùs tentetur à Dæmone; & quò liberiùs peccat, eò magis meretur, ut à Dæmone liberiùs aggrediatur. Ergo noſtrâ ætate, quia homines graviùs, & liberiùs committunt ſcelera, ac Antiqui; non immeritò à Dæmone novis urgentur tentationibus, atque extraordinariis.

61. R. Nego conſequentiam. Nam ex probatis; Veteres homines, ni ſceleſtiores, ſaltèm æquè ſceleſti fuerunt, ac homines noſtri temporis. Adhuc tamen, ſi diceremus, pejores eſſe Modernos, ac fuere Antiqui; quid inde? Dato enim, quod Recentiores ſuis flagitiis magìs provocent iram Dei, & mereantur tradi poteſtati Dæmonis; non indè ſequitur, Deum permittere Dæmoni debacchari in hujuſmodi peccatores; ità ut Satanas contra eoſdem, pro voluntate perverſa, & quantum poſſet, omnem ſuum in tentando adhibeat conatum. Id enim non decet Divinam Bonitatem, Providentiam, &c. Alia quoque horrenda ſequerentur; ut ſuis in locis clarè patebit.

62. Accedit, quòd hujuſmodi tentationes, ideò appellantur *Novæ*, quia ſunt (ut loquuntur Pſeudo-Myſtici) *Novi generis, extraordinariæ, naturæ differentis à vulgaribus*: uno verbo *Irreſiſtibiles*. Quòd eſt contra fidelitatem Dei, qui per Apoſtolum (1. ad Corinth. 10.) non jocosè, ſed veracitèr promiſit; & quidem nedùm Juſtis, ſed etiam peccatoribus, quantumvis ſceleſtiſſimis, non ſinere eos tentari ſupra vires, ſeù *Irreſiſtibilitèr*. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quòd poteſtis*. Quæ promiſſio verificari debet omni tempore, tùm præterito, tùm præſenti, tùm futuro: nè ſtultè dicamus, Deum pro aliquâ temporis differentiâ mutaſſe conſilium. At de hac re fuſiùs infra.

III. Tentationes iſtæ novi generis non ſunt effectus à nemine cauſati, ut nos ſupponimus; habent enim cauſam efficientem Diabolum, qui ſæculis anteactis eas non cauſavit; non quia noluerit, aut non potuerit; ſed quia impeditus, ſeù non permiſſus à Deo. Verùm quod Deus non permiſit præteritis temporibus, poteſt hac noſtra ætate permittere; nam Deus non eſt alligatus tempo-

ri,

Digitized by Google

ri, quùm sit Auctor temporum. Nec debemus curiosè investigare, cur Deus priùs non permiserit hujusmodi tentationes, nunc autem permittat; *etenim judicia ejus abyssus multa* (Psalm. 35. v. 7.) Unde Job (cap. 9. v. 12.) ait: *Quis dicere potest:* (Deo) *Cur ità facis?*

63. Rt. Deum non permisisse usqueadeò tentationes, quas defendunt Mystici Spurii, quia non sunt permisibiles, & repugnantiam involvunt; repugnant enim Divinæ Bonitati, Sanctitati, Veracitati, Fidelitati, Providentiæ, &c. prout ex professo, & evidentèr probabimus in propriis Sectionibus. Ideòque Deus nusquam tales permisit tentationes, nec ullo tempore permittet.

IV. Deus præteritis sæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum ministerio; nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in iis prædictas violentias (nempè tentationes novi generis, seù Irresistibiles) facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annichilent, & se Deo resignent. Ergò justis de causis experimur hodiè hasce tentationes, quas non legimus fuisse priscis temporibus.

64. Rt. 1. Argumentum allatum est ipsissima doctrina Michaelis Molinos, ejusque propositio 43. inter damnatas ab Innocentio XI. Idque simplicitèr manifestasse, satis est confutasse opinionem nostræ assertioni contrariam. Quadrat hic aurea illa sententia, quam in causa Pelagii protulit D. August. (Serm. 2. de Verb Apost.) *Inde* (hoc est à Sede Apostolica) *rescripta venerunt, causa finita est.* Adhuc tamen

65. Rt. 2. Statuendo discrimen inter Sanctos Martyres, quos sibi Deus olim per immanitatem Tyrannorum advocabat: eosque, quos Molinos, ejusque Sectarii, mediis tentationibus novi generis, seù Irresistibilibus, effingunt: & planè videbimus, quàm toto Cœlo differant, quamque opponantur: eoque propemodum modo, quo lux, & tenebræ, Christus, & Belial. Profectò Sancti Christi Martyres sub feritate Barbarorum, ad patibula, diraque tormenta erant damnati: Sancti autèm Molinosii ad illecebras ducti, ad voluptates, ad turpia. Illi Divino æstuantes amore, animam pro Deo hilaritèr effundebant; Hi animam pro Diabolo dare non reformidant. Illi lætabundi fieri sacra holocausta exultabant: Isti sacrificia effici infernalia venereo gestu tripudiant. Illi in Cruciatibus, tamquam aurum in fornace, purificabantur; Isti veluti Sus, in carnis sordibus inquinantur. Illi pro munditiæ candore, potiùs mori, quàm fœdari non pavescebant: Isti pro impuritatis turpitudine, citiùs infici, quàm vivere, non diffitentur. Illi pro quæstu vitæ æternæ mortem amplexabantur amarissimam: Hi pro hujus vitæ momentanea dulcedine, lucrari haùd curant mortis æternæ amaritudinem.

66. Martyres ergo Diaboli sunt Martyres Molinosii, ac Pseudo-Mystici, illiusque generis Sanctimoniæ, quo apud Gentiles coluntur Idoli. Sanctos enim suos, ac Martyres Deus non efficit per actus vel materialitèr vitiosos; sed per actus tùm formalitèr, tùm materialitèr bonos: non per infractionem fragilitatis; sed per firmitatem fortitudinis; non per fœculentum obscenitatis amorem; sed per Cœlestem Charitatem, atque Angelicam

cam puritatem. Quùm ergo Deus nostris temporibus utitur ministerio Dæmonum ad tentandos homines, non utitur malignis spiritibus, ut cogant homines ad turpia; quinimò, ut homines hostes vincant tartareos, strenuè pugnando; & sic coronam promereantur æternam; Juxtà illud Sap. [cap. 10. v. 11. &c.] *In fraude circumvenientium illum, assuit illi, & honestum fecit illum: Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen fortè dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit, sed à peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversùs eos, qui eum deprimebant &c.*

67. Quales autem sint hac nostra ætate Dei Martyres, indicat D. August. (sermon 60. ad Fratres in Eremo) *Omnia, quæ in Mundo sunt, persequuntur Christianum. Miramur si nos persequuntur alii, si Christo servire voluerimus: & parentes nostri nos persequuntur. Quicumque dissimilis nostri est, persequitur nos, & odio nos habet. Miramur si alii nos persequuntur: ipsum corpus nostrum nos persequitur. Si comedero paululùm, & corpusculum meum fuerit robustum, sanitas corporis mei persequitur animam meam. Quocumque me vertero, persecutio mihi est. Si videro mulierem, oculus meus persequitur me, cupit enim interficere animam meam. Si videro divitias, si aurum, si argentum, si possessionem, si delicias corporales, si pulchra vestimenta, quodcumque videro persequitur animam meam. Non putemus tantum in effusione sanguinis esse Martyrium; semper Martyrium est Christianis, & Religiosis. Adolescentulum libido persequitur, & vult libido effundere sanguinem.*

Idem (serm. 2. de SS. Martyribus,) *Non Martyrium sola effusio sanguinis consummat; nec solùm dat palmam excessio illa flammarum. Pervenitur non solùm occasu, sed etiam contemptu carnis ad Coronam. Absque injuriâ Sanctorum in persecutionibus defunctorum, dicere liceat, carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse: pars magna Martyrii est.*

Idem (sermone 3. in festo S. Laur. Martyr.) *Non enim illo in tempore tantùm perfecerunt præceptum Domini, qui confessionis supplicium pertulerunt; sed necesse fuit illis, prius secundum Evangelium vivisse, ut Christi passionibus participarentur. Necesse est, inquam, ut initia bona fierent, quorum finis est optimus subsequutus: & Martyres eos, non solùm fuisse quùm passi sunt, sed etiam tunc Martyres Christi esse quùm viverent. Martyr enim, græcè, latinè testis dicitur. Igitur quotiescumque bonis actibus mandatum Christi facimus; toties Christo testimonium perhibemus? Unde, & Crux Christi, non tantum illo dicitur, quæ passionis tempore ligni affixione constituitur, sed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur. De quâ mihi videtur, Salvator dicere: Qui vult post me venire, tollat Crucem suam, & sequatur me. Numquid enim omnes Martyres, qui sequuti sunt Dominum, crucifixi sunt cum Domi-*

Domino? Numquid omnes Virgines, quæ juxtà Apocalypsim sequuntur Agnum Dei, crucifixæ sunt, ut sequantur? Numquid Paulus Apostolus crucifixus fuerat, quùm dicebat: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo? Hoc autem dicit, ut intelligas, Crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ, virtutisque propositum. Tota igitur vita Christiani hominis, si secundùm Evangelium vivat, Crux est, atque Martyrium.

Magnus Gregor. [Homil. 35. super Evang.] *Mors à persequente, Martyrium in aperto opere est: ferre contumeliam, odientem diligere, Martyrium est in occulta cogitatione. Nos igitur sine ferro Martyres esse possumus.* D. Ambros. [lib. 1. de Virginib.] *Non idcò laudabilis Virginitas, quia in Martyribus repe-*

ritur, sed quia ipsa Martyres faciat.

S. Hieronym. [Epist. 8. ad Demetriadem] *Habet, & pudicitia servata Martyrium suum.* Et [Epist. 27. ad Eustochium] *non solùm effusio sanguinis in confessione, Martyrium reputatur, sed devotæ mentis servitus immaculata, quotidianum Martyrium est: illa corona de rosis, & violis plectitur, ista de liliis.* Et [Epist. 21. ad Pammach. & Marcell.] *sine Charitate, Martyrio sanguis effusus, corpus flammis traditum, coronam non habet præmiorum.*

Alia PP. Testimonia prætermitto, nè Sectio crescat in volumen; sufficiunt enim quatuor Doctorum S. R. E. jam allata, ut discernere possimus Christi Martyres, ab iis Diaboli: ac etiam quo pacto Deus Castitatis amator construat Martyres: & quomodò Pseudo-Mystici spurcitiarum Magistri.

REFLEXIO.

68. SI curiosus Lector scire cupit, quo ducti motivo Molinosii, & nostri temporis Mystici Spurii Novas adinvenerunt tentationes, audiat Vincentium Lirinensem [adversùs prof. hæres. novat.] *Sciunt enim fœtores suos nulli ferè citò arte placituros, si nudi, & simplices exhalentur, atque ideircò eos cœlestis eloquii, velut quodam aromate, aspergunt; ut ille, qui humanum facilè despiceret errorem, Divina non facilè contemnat oracula.* Hinc vitæ speciosam circumferunt larvam, & corde vaferrimo virus promunt, ut præoccupent pios fidelium, & maximè mulierculorum animos. Hinc novam, & Cœlestem venditant Doctrinam; ut simplices alliciant ad eam amplexandam. Hinc tentationes Novi generis appellant, novum Purgationis animæ genus, novumque Martyrium; ut ità incautos decipiant, eorumque animas mactent; ac perdant. *Nomine Martyrii se jactant.* Ait D. August. (de fide, & oper. cap. 24.) *ut hoc pallio dealbati, faciliùs furentur, quia Lupi sunt.* Et Orig. [homil. 7. super Ezech.] *Quomodò quasdam illecebras Aucupes proponunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamenta gulæ: sic (ut audaciùs dicam) est quædam Castitas Diaboli, idest decipula humanæ animæ; ut per hujusmodi, vel istiusmodi Castitatem, mansuetudinem, & justitiam possit faciliùs capere, & fal-*

falſis ſermonibus irretire.

69. Nè igitur incidamus in laqueum Diaboli, ac in retia Pſeudo-Myſticorum noſtri temporis; advertere neceſſe eſt. I. Non ſatis eſſe Directorem ſpiritualem Scholaſticam, & Speculativam callere Theologiam: frequentèr enim agnovimus (& quidèm non ſinè lachrymis) nonnullos in ſpeculativâ peritos, jejunos tamen de Caſibus Conſcientiæ, ac de Myſticâ omninò ignaros. II. Ut Director non moveatur ex affectu ergà filium, aut filiam ſpiritualem in ſeligendâ opinione: nam intellectus aliquâ præventus paſſione, & præſertim amoris, nequit benè diſcernere veritatem, & prudentem facere electionem. III. Spectanda eſt probitas, ſeù vera, & non ficta virtus, in Confeſſario, qui conſulitur: non ſecùs ac in Auctore, qui evolvitur. Ut admonet Bardi [Diſp. 4. de Conſcient. cap. 4.] quem refert, & ſequitur Viva [in prop. 27. damnat. ab Alexand. VII. num. 7.] Unde Præceptor Divinus Chriſtus Dominus arguens doctrinas Pſeudo-Myſticorum, ſic eos increpat (Matth. 12. v. 14.) *Progenies Viperarum, quomodò poteſtis bona loqui, quùm ſitis mali? ex abundantiâ enim cordis os loquitur.*

SECTIO II.

De Pondere, Numero, & Menſurâ Tentationum.

70. SUpremum rerum omnium Opificem, cuncta diſpoſuiſſe in *Pondere, Numero, & Menſurâ*; eſt oraculum Sapientiæ (cap. 11. v. 21.) ac per ſe notum, adhuc Philoſophis. Rationem à priori dat Plato (Dialog. de naturâ) Quia fas non erat, niſi pulcherrimum facere eum, qui eſt optimus; pulchritudo autem conſiſtit in juſtâ ratione, & proportione, nempè, in *Pondere, Numero, & Menſurâ*. Sic conveniens erat Dei Providentiæ, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur: ſic ejus Sapientiæ, quâ omnia fecit. (Pſalm. 103.) An verò eodem ordine, eademque diſpoſitione Deus permittat nos tentari? Seù, an Deus libret, quas permittit tentationes; itaut earum pondus, ideſt gravitas, non ſit ſupra vires tentati? Numerum quoque tentationum decernat, ut tot ſint, & non plures? An demùm præfigat Menſuram, ſcilicèt, ut tentationes non ſemper durent, ſed uſque ad certum tempus, & non ultrà determinatum?

His tribus quæſitis propria correſpondet

CONCLUSIO I.

71. DEus ponderat Tentationes, nec ſinit homines illis onerari ſupra id, quòd poſſunt ſuſtinere. Eſt de fide contrà Lutherum, & Calvinum.

PRO-

Digitized by Google

PROBATUR EX SCRIPTURIS.

EPIST. I. AD CORINTH. c. 10. v. 13.

TEntatio vos non apprehendat, nisi humana: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id, quòd potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

72. Apostoli verba, utpotè gravia, non cursim transeunda: perpendamus singula. *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Ideſt communis, consueta, & de facili superabilis; juxtà expositionem D. Chrysostomi, Theodoreti, & passim aliorum Patrum. *Humana quippè tentatio est*, ait Lohner (Bibl. Man. v. Tentatio §. 1. num. 2.) *quâ plerumque in cogitatione tangimur, etiam nolentes; quia ut nonnunquam, & illicita ad animum veniant, hoc utique in nobismetipsis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Jam verò Daemoniaca est, & non humana tentatio, quùm ad hoc, quòd carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus adstringit.*

Subdit Apostolus: *Fidelis autem Deus est.* Attribuens hujusmodi non permissionem tentationis Diabolicæ fidelitati Divinæ; *quia scilicet* [notat hìc Cajetanus] *facit id, quòd dixit; etenim fidelis est in omnibus verbis suis* (*Psalm.* 144. v. 13.) *Deus autem dixit millies in sacrâ Scripturâ, se esse Adjutorem hominum in tentationibus; alienum autem constat esse ab officio Adjutorii hominum permittere, ut homines tententur supra vires.* Et Salmeron [tom. 4. Disp. 17.] exponit: *Tentatio humana est, in quâ non sinit Deus, nos tentari supra vires ex gratiâ acceptas: & fidelis dicitur, quia non deficit à promissâ gratiâ ad vincendam tentationem, & omne peccatum.*

Sequitur D. Paulus: *sed faciet cum tentatione proventum*, seù, ut legit Textus græcus, *Bonum exitum. Ut possitis sustinere*, *pro sufferre.* Deus enim Misericors Pater, sciens figmentum nostrum, & recordatus quia pulvis sumus [Psalm. 102. v. 13. 14.] non solùm non sinet nos tentari supra vires, sed adjuvabit, ut sufferre possimus tentationem. *Non enim dixit*: prosequitur Cajetan. (*sed faciet tentationis eventum*) *quia non loquitur de termino tentationis; sed dicit* [*sed faciet cum tentatione*] *hoc est simul cum tentatione. Loquitur enim de eo, quod faciet Deus tempore tentationis, dum homo tentatur; ut convincitur etiam ex subjuncto effectu* [*ut possitis sustinere*] *proculdubiò ipsam tentationem, quæ non est toleranda post terminum. Unde sensus est: sed faciet tempore tentationis eventum: hoc est tot, & talia evenire* [*sivè intùs, sivè extrà*] *ut possitis sufferre. Non dixit: conferet vobis tale donum; sed dixit* (*faciet eventum*) *quia infiniti sunt modi; quibus Deus utitur ad faciendum quod homo possit sufferre tentationes; aliquandò enim facit evenire occursum extrinsecum, sivè impediendo tentationes, sivè adjuvando tentatos: modò facit evenire intùs in corpore, vel in animo motus aliquos ad hoc conferentes: modò Angelicas adhibet excubias: modò gratias aliquas efficit in anima &c. Propter hujusmodi enim infinitatem*

modorum dixit [*faciet eventum simul cum tentatione.*]

Concludit Apostolus, & cum eo laudatus Eminentissimus. *Ut possitis sustinere, & non dixit* (*ut sufferatis*). *Deus enim providet de eventibus necessariis ad posse sufferre tentationes; in arbitrio autem hominum tentatorum est velle sufferre. Sat est enim Fidelitati Divinæ, ut tribuat posse sufferre.* Quòd etiam advertit Diez (Summ. Prædicant. v. Tentatio) *Perpendendum est, non dixisse S. Apostolum* (*ut sustineatis*) *sed* [*ut possitis sustinere*] *ut intelligamus, quòd etiam cum auxilio gratiæ suæ reliquit nos Deus in manu Consilii nostri: ut, vel laudabiliter, si sustinuerimus, coronemur: vel ad culpam, & ad pœnam nobis imputetur. Et justè quidèm, qui habentes à Domino posse sustinere, nos Diabolo voluntariè subjicimus.*

Breviùs, sed non minùs egregiè, hunc locum premit Tirinus: (*Tentatio vos non apprehendat*) *ità legendum non verò* (*apprehendit*) *Nisi humana*] *ideſt, subrepentem tentationem, nè ità foveatis, ut fiat quasi insuperabilis. Nàm ut humanas, & leves tentationes nunquàm sentiatis, omninò impossibile est. Dæmoniacum est, ait Gregor.* (*par.* 1. *Pastoral. c.* 11.) *malignâ tentatione vinci: Angelicum, nullam sentire tentationem: Humanum, sentire, & vincere.*

[*Non patietur vos tentari supra id, quòd potestis*] *seù supra Vires. Unde contrà Lutherum, & Calvinum infero* I. *Si non permittit; Ergò multò minùs præcipit impossibilia.* II. *Nullam esse tentationem tantam, quin Dei gratiâ vinci possit. Et hanc gratiam, non solis Electis, sed omnibus Deum invocantibus paratam esse; ut Tridentinum definit.*

(*Sed faciet etiam cum tentatione proventum*) *Græcè* (Εκβασιν) *supple felicem, & gloriosam: quàm V. G. Miles è prælio, vel duello evadit victor, fortior, & glorioſior. Ità Piscat, & alii Græci.*

(*Ut possitis*) *posteà multò plura, majori fructu, & gloriâ* (*sustinere*) *Resistendo enim tentationibus per contrarios virtutum actus, intenduntur, & augentur habitus earumdem virtutum: & sic homo magis corroboratur ad alia etiam graviora superanda.*

73. Ex his liquidò constat. I. Nullam Deus permittere tentationem, quæ tanta sit, vel tàm gravis, ut nostras excedat vires, & à tentato sustineri, & portari non possit. II. Nullam dari tentationem, quæ sit *Irresistibilis*, seù, ut ajunt Pseudo-Mystici; *Insuperabilis, Invincibilis, Ineluctabilis*; omnis, namque tentatio, quæcumque sit illa, & quantumvis vehementissima, vinci, & superari potest ab homine Dei gratiâ suffulto; Dei autem gratiâ præstò est omnibus ipsam invocantibus. Quùm autem dico *Dei gratiâ*, non est sermo de gratiâ Dei efficaci, quæ ex D. August. & SS. Doctoribus, facit, ut faciamus; sed intelligitur de gratiâ sufficienti; Apostolus enim non ait (ut sustineatis) sed (ut possitis sustinere) Si ergò tentationi succumbimus, defectus erit ex parte nostrûm, qui uti nolumus auxiliis à Deo oblatis ad vincendam, & superandam quamlibet tentationem, juxtà illud (Oseæ: 13. v. 9.) *Perditio tua, Israel: tantummodò in me auxilium tuum.*

MAT-

Digitized by Google

MATTH. Cap. 11. v. 30.

Jugum meum suave est, & onus meum leve.

1. JOAN. Cap. 5. v. 3.

Mandata ejus gravia non sunt.

JUgum, & onus, quòd nobis imponitur, & de quo loquitur Christus Jesus Dominus, & Pater noster Clementissimus; non solùm est Lex Evangelica, sed & Tentatio, quam nobis evenire permittit; nisi enim ipse permitteret, nec totus Infernus posset vel minimum tentationis pondus nobis adjicere. Verùm hoc *Jugum suave est, & onus leve*; idest, Græcè *Commodum, & humanum*; nempè, accommodatum humeris cujusque hominis; numquam tamen hujus, aut illius excedens vires. Perbellè D. Ambros. (lib. de Elia, & Jejun. cap. 22.) *Suscipite Jugum Christi: nolite timere, quia Jugum est: festinate quia leve est: non conterit colla, sed honestat..... Non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.*

Addit (*Meum*) Quod, scilicet, Ego Pater vester benignus, & non Tyrannus crudelis, impono vobis præcepta, & permitto tentationes: Vobis, inquam, filiis meis, quos diligo amore sic ardentissimo, ut animam meam pro vobis posui: quorum infirmitatem cognosco, & scio figmentum. Ego Dominus vester misericors, patior vos tentari; non tamen ità ut tentationis pondus vos opprimat; sed ut manifestum fiat, utrùm diligatis me, an non? ut vestra augeatur virtus: ut legitimè certantes reportetis immarcescibilem gloriæ coronam. *Jugum meum est*, quia non vos soli hoc Jugum ducitis; sed & ego vobiscum fero, bajulo, & porto. Onus meum est; quia Ego vobiscum pugno in tentationibus, quas permitto, & hostes impugno. *Ego, ego ipse consolabor vos* [Isa: cap. 51. v. 12.]

His sic stantibus, & certis de fide; quis dicere præsumet, Deum permittere nos tentari supra vires? Nonnisi Hæreticus, aut mente captus.

ROBORATUR EX SS. PATRIBUS.

D. Thom. [in præcitatam Epist. ad Cor.] *Fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur: gratiam ut mereamur: constantiam, ut vincamus.* Et [p. 1. q. 114. art. 1. in corpore] *Impugnantur homines à Dæmonibus; ordo autem impugnationis ab ipso Deo est.*

D. August. (in Psalm. 61.) *Diabolus potestas quædam est; plerumque tamen vult nocere, & non potest; quia potestas ista sub potestate est. Nam si tantùm posset nocere Diabolus, quantùm vult, non aliquis justorum remaneret, aut aliquis fidelium esset in terrâ. Ipse per vasa*

Digitized by Google

vasa sua impellit, quasi parietem inclinatum; sed tantum impellit, quantum accipit potestatem. Ut autem non cadat paries, Dominus suscipiet; quoniam, qui dat potestatem Tentatori, ipse tentato præbet misericordiam.

S. Ephrem (tract. de Patientiâ) *Novit quippè Deus quantam subire possit probationem, atque tentationem Anima, & tantum quoque permittit..... Si enim homines exiguo intellectu, ac mente præditi, probare, & discernere norunt, quantum ponderis, atque onera singula ferre queant animalia, tantumque addunt oneris, quantum vires animalis tolerant. Si in rebus corruptibilibus, & apparentibus, tantâ consideratione, atque cogitatione præditi sunt homines; quantò magis Deus, qui incomprehensibilis est, totusque Sapientiâ plenus, novit quantis probationibus, atque tribulationibus, tentationibusque indigeant animæ ipsi placere valentes, vitamque æternam consequi desiderantes.*

D. Hieronym. (in Epist. 1. ad Corinth.) *Deus non ampliorem nobis tribulationem venire patitur, quam sustinere possumus.*

FIRMATUR RATIONIBUS.

I. SI Deus permitteret homines tentari supra id, quod possunt sustinere, nostræ non imputaretur culpæ si succumberemus Tentationis oneri excedenti nostras vires; juxtà adagium satis tritum, & luminæ naturæ notum: *Ad impossibile nemo tenetur*. At qui peccamus succumbendo tentationi, etsi gravissimæ. Ergò. Min. constat ex communi Theologorum sententiâ, qui omnes docent, nos teneri resistere cuicumque tentationi, etsi furiosissimæ, vehementissimæ, &c. contrà impiissimum Molinos contrarium asserentem [Prop. 37. inter damnatas ab Innoc. XI.] Ergò si succumbimus, peccamus.

Confirmatur ex D. August. [lib. de Spirit. & lit. cap. 10.] *Quis enim peccet in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatum autem: Igitur caveri potest.*

II. Si Deus sineret nos tentari supra vires, præciperet impossibilia; & ità non ut providus Pater, sed ut dirus Tyrannus gubernaret homines. Ergò. Sequela patet; nam Deus jubet per Apostolum Petrum (1. Petr. cap. 5. v. 9.) *Adversarius vester Diabolus, cui resistite fortes*. Et per D. Jacobum (cap. 4. v. 7.) *Resistite Diabolo*. Ergò si onus tentationis esset toleratu durissimum, atque importabile; Deus jubendo ut feramus illud: ut ne succumbamus sub eo: ut resistamus Tentatori suadenti nobis, quòd projiciamus hujusmodi jugum; certò juberet impossibilia: & consequentèr immeritò per Prophætam conquæreretur (Jerem. cap. 2. v. 20.) *Confregisti jugum meum; & dixisti: non serviam*. Sed absint à fidelium ore blasphemiæ tàm execrandæ.

Confirmatur ex Concil. Trid. (sess. 24. can. 9. & sess. 6. cap. 11.) ubi anathematizat eos, qui volentes Castitatem, matrimonium contrahere posse dicebant, si non agnoscebant in se donum Castitatis: & rationem assignat: quia Deus id rectè petentibus non denegat, nec pa-

Digitized by Google

patietur nos tentari ſupra id, quòd poſſumus.

III. Satanas volens tentare noſtros Proto-Parentes, induit formam Serpentis (Gen. 3.) At cur non potiùs transfiguravit ſe in Angelum lucis? aut ſaltem in Aquilam, vel Columbam, aliudque Animal gratius, & placidius Serpente? hoc enim modo, iſtâque figurâ poterat faciliùs Evam decipere. Quia (reſpondit hìc Lyran.) non ex ſuâ electione, ſed magìs ex Divinâ diſpenſatione Diabolus in Serpentem intravit. Deus non permiſit, hominem tentari per Diabolum in ſpecie gratioſâ, & nobili; per quam faciliùs decipi poſſet; ſed magís in ſpecie horribili, in quâ fallacia Dæmonis citiùs poterat deprehendi. Cui ſubdit Labata (verb. Tentatio prop. 2.) *Permiſit quidem Deus hominem à Diabolo tentari; èo tamen moderamine, ut facilè homo tentatorem ſuperare poſſet.*

CONCLUSIO II.

74. DEus numerat noſtras Tentationes; nec permittit, niſi tot, & non plures; prout unicuique ſunt propriæ, & proſunt ad ejus ſalutem æternam. Eſt de fide, & ſequitur ex probatis; adhuc tamen oſtenditur.

AFFERUNTUR SCRIPTURÆ ORACULA.

JOB: Cap. 38. v. 10. 11.

CIrcumdedi illud (mare) *terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi: uſque hùc venies, & non procedes ampliùs: & hìc confringes tumentes fluctus tuos.*

Mare quidem magnum, & ſpatioſum eſt Mundus, ſeù veriùs noſtra præſens vita, quæ maris inſtar, ſævis jactatur tentationum fluctibus: nunc ab hominibus impiis, de quibus dicitur [Iſaiæ cap. 57. v. 20.] *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundat fluctus ejus in conculcationem, & lutum*: nunc à carnis paſſionibus; etenim *unuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ* [Jacob. 1.14.] Nunc à Dæmonibus, qui contrà homines veſanis deſerviunt procellis, eoſque abſorbere cupiunt, ac dejicere in profundum maris ſtygis, juxtà illud Apoſtoli Petri [1. cap. 5. v. 8.] *Adverſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Verùm Impios, Paſſiones, Dæmones, circumdat Deus terminis ſuis, nè ſic inſaniant in Juſtos, ut hos trahant in abyſſum iniquitatis: tot ſinit tentationibus homines exagitari, quot ſubmergi nequeant. Undè canit David [Pſalm. 88. v. 10.] *Tu dominaris poteſtati maris: motum autèm fluctuum ejus, tu mitigas.*

Audiamus D. Auguſt. [in Pſal. 114. §. 9.] qui in fluctibus maris ſic delineat omnem tentationem. *Fortè tu de tentationibus fatagis, ut conſtitutus in tantâ gratiâ promiſſionum Dei, propter ſcandala mundi turberis? Nec ipſa ſcandala aliquid*

Digitized by Google

quid tibi faciunt, quoniam menſuram à Deo acceperunt. (Quoniam ipſius eſt mare.) Eſt enim mare mundus iſte; ſed & mare Deus fecit. Nec ſervire fluctus poſſunt, niſi uſque ad littus, ubi ipſe terminum poſuit. Nulla ergò tentatio, niſi acceperit menſuram à Domino. Sint ergò tentationes, ſint tribulationes conſummaris eis? non conſummeris. Vide utrum ipſæ tentationes non proſint. Attende Apoſtolum (Fidelis Deus, qui non vos ſinet tentari ſupra quem poteſtis ferre; ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere) non ait: Non vos ſinet tentari omninò. Si enim recuſares tentationem, recuſares refectionem. Ergò reficeris: Etsi reficeris, in manibus artificis es: aliquid tibi tollit, aliquid corrigit, aliquid complanat, aliquid mundat, agit quibuſdam ferramentis ſuis: ipſa ſunt ſcandala hujus ſæculi; tu tantùm de manu artificis noli cadere. Nihil tentationis accidet ultrà vires tuas. Hoc permittit Deus ad utilitatem tuam, undè tu poſſis proficere. Denique ipſum Apoſtolum audi hoc conjungentem [ſed faciet cum tentatione etiam exitum, ut poſſitis ſuſtinere. Ergò mare fortè metuendum tibi erat? Noli timere] Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud; à gentibus times ſcandala? Et ipſas gentes ipſe fecit: non permittet illas ultrà eam ſervire, quàm novit ille menſuram, ex quâ proficias. Nonnè dixit alius Pſalmus; [Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coràm te Domine?] Si omnes gentes quotquot feciſti; manifeſtum eſt, quia & gentes ipſe fecit. Ideò ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam terram manus ejus finxerunt. Eſto tu arida terra; ſiti gratiam Dei, ut veniat ſuper te imber dulcis, inveniat in te fructum. Non permittit fluctus operire, quòd ſervit (& aridam terram manus ejus finxerunt) Ergò & hinc jubilemus illi.

GENESIS 31. v. 29.

VAlet manus mea reddere tibi malum; ſed Deus patris tui heri dixit mihi: Cave nè loquaris contrà Jacob quidquam duriùs.

Laban, qui perſequebatur Jacob, Mundum, & hoſtem antiquum deſignatum dicimus; ut advertit Joannes de la Haye [tom. 1. par. 1. in Geneſ. exponens præcitatum locum num. 122.] ubi quærit: *Cur Deus impedit eum, nè duriùs ſe habeat cum Jacob? Si enim quantò quis duriùs certamen ſuſtinet, eò nobiliorem coronam poſsidet: ſi Jacob victor evadit, præmium eximium obtinebit; permitte ergo, ut cum eo Laban, non ſolùm verbis, ſed etiam factis agat duriùs. Hoc non permittit Deus; quia non patitur tentari ultrà id, quod poſſumus.*

ADDUCUNTUR PATRUM TESTIMONIA.

DIvus Greg. Magnus dilucidans Job, ac premens verba illa [cap. 38. v. 24.] *Per quam viam ſpargitur lux, & dividitur æſtus ſuper terram*, ad hunc modum ſcribit (lib. 29. moral. cap. 12.)

Quid

Digitized by Google

Quid enim lucis nomine, nisi justitia designatur? de quâ scriptum est: Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam..... Sed quia cum lux spargitur, mox ab occulto adversario contrà fulgentem mentem tentamenta succrescunt, rectè subjungitur (dividitur æstus super terram). Hostis namque callidus, quos justitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit; ut plerumque plus se urgeri tentationibus sentiat, quàm tunc quùm lucis internæ radios non videbant... Post lucem ergò æstus sequitur, quia post illuminationem Divini muneris, tentationis certamen augetur. Rectè verò etiam dividi æstus dicitur; quia nimirum non singuli omnibus, sed quibusdam vicinis, ac juxtà positis vitiis fatigantur. Prius enim propensionem uniuscujusque antiquus adversarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergò occultus adversarius facilè capiat vicinas conspersionis deceptiones parat.... Quia igitur in tentationis ardore callidè singulis insidians, vicinos moribus laqueos abscondit; rectè dicitur (Dividitur æstus super terram). Sed cum præmittitur (per quam viam spargitur Lux) statimque subjungitur (Dividitur æstus super terram) nimirum per eamdem viam, per quam lux spargitur, etiam dividi æstus indicatur. Alta quippè, atque incomprehensibilis Spiritus Sancti gratia cum luce suâ mentes nostras irradiat, etiam tentationes adversarii dispensando modificat [N. B.] *ut simul multæ non veniant: aut ipsæ tantummodò, quæ ferri possunt, illustratam jam à Deo animam tangunt; ut quùm tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant; Paulo attestante; qui ait: fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari, supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut possitis sustinere. Hunc ergò æstum, aliter dividit callidus Supplantator, aliter misericors Conditor: ille dividit ut illum citiùs interimat: Iste ut cum tolerabilem reddat.* Hactenùs magnus Ecclesiæ Doctor: qui nec aptiùs ad rem nostram, nec jucundiùs pro animarum consolatione, nec egregiùs ad Pseudo-Mysticorum confusionem scribere poterat.

D. Chrysost. [in Psalm. 88.] *Tu, Domine, dominaris hujus sæculi potestatibus, mitigas tentationes, quas commovent servis tuis.*

D. Thomas à Villanova (Conc. 2. in Dom. 1. Quadr.) *Grandis Deo cura est de militibus suis, atque ideò Tyronibus, & Novitiis militiam temperat, nè succumbant. Nam si quùm viam perfectionis ingrediuntur, grave aliquid eis à fronte occurrerit, statim verterentur in fugam. Unde filiis Israel in ipso egressu de Ægypto, non statim Chananæorum, Amorrhæorum, Jebusæorum certamina opposuit; sed prius pavit eos in deserto mannâ, & circumduxit, & legem dedit, & in columnâ nubis præcessit: ac veluti pullos sub alis suis protexit, & fovit. Ità nunc, qui Dei suavitatem gustavit: qui mannâ suavissimo spiritus pastus est: qui mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo suxit; si postmodum tentationibus probatur, non facilè cedit; quia eum suavitas explorata validissimè solidavit.*

Digitized by Google

ACCEDUNT RATIONES.

I. A' Simili. Rex quilibet ſapiens, ac prudens iturus committere bellum adversùs alium Regem; non utcumque, non fortuitò, non cæco modo, & Anthabatarum more init certamen; ſed priùs ſedens cogitat maturo, ac diligentiſſimo examine, an poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe. Indè militum, tùm ſuorum, tùm inimicorum perquirit ætates, perpendit robur, vireſque librat. Deindè agmen ſic ordinat, ut Tyrones cum Tyronibus: ſtrenui cum generoſis: intrepidi cum fortibus pugnant, & dimicant. Tot ad dexteram diſponit bellatores, totque ad ſiniſtram, quot æquiſſimè exigit utriuſque exercitus comparatio. Sic, inquam, Rex temporalis diſponit, ità ſuos ordinat milites, ut tandèm corruptibilem coronam accipiant, ac marceſcibilem victoriæ palmam.

Inſimùl Rex Regum ſuos habet milites, & quidem ad mortem uſque pugnaturos contrà tres hoſtes inſenſiſſimos: Mundum, Carnem, Diabolum. Dux hujus militiæ ſpiritualis eſt Chriſtus Dominus noſter, qui, ſicut ipſe, ut leo fortiſſimus vicit, ac debellavit Principem tenebrarum: ſic idem ſuos exponit electos ad certandum contrà hoſtes illos, ut tandèm æternæ gloriæ Aureolam conſequantur. Quænam igitur mens, ni inſana, audebit opinari, agmini iſtius Præfectum non ſatìs perpendere vires ſuorum pugnantium adversùs phalanges tartareas? Abſit à corde fidelium hujuſmodi cogitatus malignus. Nam, qui attingit à fine uſque ad finem: qui fortitèr, ſuavitèrque diſponit omnia: qui omnia in Sapientiâ facit, tot, & non plures permittet tentationes, ſecundùm uniuſcujuſque virtutem.

Argumentum eſt Origenis (lib. 3. Periarchon. cap. 2.) qui ſic arguit: *Sicut enim ii, qui agonibus præſunt, eos, qui ad certamen veniunt, non utcumque, nec fortuitò inter ſe ſinunt inire certamina, ſed diligenti examinatione, prout Corpora viderint, vel ætates, æquiſsimâ comparatione jungentes illum cum illo v. g. Pueros cum Pueris, Viros cum Viris, qui ſibi vel ævi, vel roboris propinquitate conveniant. Ità intelligendum eſt etiam de Divinâ Providentiâ, quod omnes, qui in hos humanæ vitæ deſcenderint agones, juſtiſsimâ moderatione diſpenſat, ſecundùm rationem uniuſcujuſque virtutis: quem ipſe ſolus, qui ſolus corda hominum intuetur, agnoſcit. Ut alius quidem pugnet adversùs Carnem talem, & alius quidem in tantum tempus, & alius verò in tantum. Et ut aliter inſtiget caro in hoc, vel illud, alius verò in aliud: tùm verò, ut alius reſiſtat adversùs inimicam poteſtatem illam, vel illam: alius verò adversùs duas, vel tres ſimul. Aut, nunc quidem adversùs aliam, nunc iterùm adversùs aliam. Et certo tempore, quo adversùs illam: & certò, quo adversùs aliam. Vel poſt, quæ geſta adversùs quas pugnet: poſt, quæ verò adversùs malitias &c.*

II. Ab experientiâ. In omnibus ſæculis uſqueadeò compertum eſt, tùm ex Sacris Literis, tùm ex aliis

aliis Hiſtoriis, quòd benigniſſimus Paterfamilias, & providus Gubernator Deus filiis ſuis panem tentationis mollem porrexit, aut durum, prout ii dentes habent debiles, aut firmos: ideſt, juxtà cujuſque indigentiam, ac perfectionis virtutem. Sic omnes fatentur Myſtici. Paulus quoque Doctor gentium tali ſe geſſit prudentiâ ergà Corinthios parvulos in Chriſto, dicens eis [1. ad Corinth. cap. 3. v. 2.] *Lac vobis potum dedi, non eſcam; nondum enim poteratis*. Et ad Hebræos [cap. 5. v. 12.] *Facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo*. Et [v. 14.] *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus: eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni, ac mali*. Non decet ergò ſuavem Dei Providentiam, Benignitatem, Charitatem, &c. permittere omnibus indifferentèr graves, & graviſſimas tentationes: vel quaslibet tentationes cuilibet hominum; ſed tot, & non plures: has, & non illas ſinit accidere iſti, aut illi, juxtà uniuſcujuſque vires, atque indigentiam. Nè fatuè dicamus cum Gentilibus [Job: cap. 22. v. 13.] *Quid enim novit Deus? & quaſi per caliginem judicat: nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circà cardines Cœli ambulat*. Et [v. 17.] *Qui dicebant Deo: recede à nobis: & quaſi nihil poſſet facere Omnipotens, æſtimabant eum*.

CONCLUSIO III.

75. DEus permittit tentationes ad menſuram, nempè uſque ad tempus definitum ab ineffabili ſuâ Providentiâ. Eſt de fide, ut ſupra.

ALLEGANTUR SCRIPTURÆ.

EXODI Cap. 23. v. 12.

Sex diebus operaberis, ſeptimâ die ceſſabis, & requieſcet Bos, & Aſinus tuus.

O Bone Deus! O Clementiſſime omnium Gubernator! qui etiam pro brutis Sabbatum conſtituit, requiem, ac ſolamen. O infinita Dei Providentia, ſummaque in librandis ponderibus cura! ut inter alias inſtitutionis Sabbati cauſas, hæc recenſeatur, nè Bos, & Aſinus nimis defatigetur, ſed requiem obtineat, nè feſſis deficiat viribus. Si autem circà irrationabilia Deus providit, ſumma, & infima proſpiciens, quis impius præſumet amplius aſſerere, Deum ultrà menſuram, ultrà tempus permittere tentationes?

ECCLESIASTICI Cap. 27. v. 9.

Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio.

Apta certò ſimilitudo. Figulus namque ſua vaſa ex luto compoſita imponit fornaci, ut coquantur igne, ſed temperato, & ad tempus, quouſque benè excoquãtur; ità,

Digitized by Google

tamen, ut tamdiù non comburantur, nec frangantur. Hoc paritèr modo Supernus Artifex, qui ex terrâ fragili nos formavit, optimè novit quamdiù figmentum noſtrum ſufferre poteſt tentationis ignem, nè nimio crepet ardore.

Ità diſcurrit S. Ephrem. [tract. de Patientiâ] *Figulus vaſa formans, niſi in fornacem ea immiſerit, ut igne probata, ſolida, ac dura reddantur, humanis uſibus ſervire nequeunt. Novit autem quanto tempore oporteat in igne relinquere donec utilia efficiantur: neque contrà, ultrà quam ſit opus, ea in fornace relinquit, nè aduſta rumpantur. Multò magis idem faciet Deus, ut igne tentationum eouſque nos coquat, dum percoquat, & perficiat; ulteriùs verò tentatione aduri, & conſumi nos non ſinet.* Argumentum eſt à minori ad majus: a vili ad pretioſum.

MATTH. Cap: 8. v. 24.

Ecce motus magnus factus eſt in mari, itaut naviecula operiretur fluctibus; ipſe verò (Chriſtus) *dormiebat. Et acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & ſuſcitaverunt eum, dicentes: Domine, ſalva nos, perimus. Et dicit eis Jeſus: Quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

In naviculâ ità periclitante plura reconduntur arcana; & in tempeſtate tàm valida, non pauca deteguntur myſteria, ſi myſticè factum intelligamus. Navis enim in fluctibus, ut PP. loquuntur, eſt anima in tentationibus, quibus proficit; nam *vita hominis ſine tentatione eſt quaſi mare mortuum*; ait Seneca [Epiſt. 67.] ſic homo carens tentatione eſt inſtar ſopiti, & mortui. Rurſus, ſicut tempeſtas naves impellit, ut ad optatum portum citiùs appellant, ſic & tentatio hominem ſtimulat ad majus virtutis ſtudium, quo vehatur in Cœlum. *Jeſus verò dormiebat.* Ut tentati, & in periculo poſiti, inquit, hìc Lyranus, ad eum ardentiùs recurrerent, opemque implorarent. *Chriſtus dormit in mediâ tempeſtate*: notat Barrada (in Concord. & Hiſt. Evang. tom 2. lib. 5. cap. 15.) *hoc eſt, non protinùs fert opem, & tardat ſubvenire; ſcit tamen cordium inſpector, & noſtri roboris explorator, quanto tempore oporteat durare procellam. Omnia in Menſurâ, & Numero, & Pondere diſpoſuit; ut eſt in lib. Sap. cap. 11. Eodem quoque modo tentationes, ac labores, vexationeſque noſtras diſponit. Certam illæ habent Menſuram, certum Numerum, certum Pondus.*

ADJUNGUNTUR SS. PATRES.

Divus Chryſoſtomus (homil. 14. ex Imperfecto in Matth.) in ea verba: *Et nè nos inducas in tentationem*, Sententiam profert verè auream, & omni conſolatione ſpirituali repletam, qua nos confortat in tentationibus; quia hæ, non ſolùm nec erunt ſupra vires noſtras, ſed nec juxtà; quamdiù enim Deus nos probat ten-

Digitized by Google

tentationibus suis, vel sinit nos ab hostibus tentari, tamdiù tentat tentatione probationis, vel permittit nos tentari tentatione seductionis, donec nostram experiatur, non quidem virtutem, sed bonam voluntatem. En verba Chrysostomi: *Duo petimus: primùm, ut non inducat nos in tentationem. Secundò, ut si induxerit, liberet de periculo tentationis. Nam verè, si secundùm veritatem justitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri salvus. Ideò autem difficilè tentat, sciens infirmitatem nostram. Aut si tentat, non tamdiù tentat, quamdiù nos vindicamus tentationem, sed quamdiù vincere nos velle ostendimus; ideſt, non virtutem nostram tentat, sed voluntatem, Apostolo nos confortante, & dicente* [*Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quòd potestis sustinere*]. *Volens enim glorificare hominem, tentat eum, non ut cum magno judicio glorificet, sed nè sine causâ glorificet!*

S. Isidorus (lib. 3. sent. cap. 5.) *Non amplius tentat electos Diabolus, quàm Dei voluntas permittit.*

D. Bonav. [in cap. 4. luc.] *Diabolus habet semper voluntatem nocendi: quia hanc habet à semetipso; sed potestatem nocendi non semper, nisi in quantum, & quando permititur à Deo, justo modo; undè non est potestas nisi à Deo.*

D. Aug. [serm. 68. in Append. de diversis] *Quùm nec Filios, nec Pueros, nec Camelos, nec Asinos B. Job, antequam Dominus permitteret, Diabolus lædere potuisset; quarè credimus, quòd Christiani amplius faciet, quàm quòd deifico, ac secreto judicio sua Divina Potentia permiserit?*

ADJICIUNTUR RATIONES.

I. SImilitudine à D. Chrysostomo allatâ [homil. 4. ad popul.] *Auri faber non recipit aurum ex igne, donec per illum sufficienter fuerit purgatum: & eumdem Deus servat stylum, quùm animabus electis: deserit illas in incendio tentationum, donec eum, quem intendit, hauserint profectum spiritualem..... Qui enim tentationem permisit, ipse novit, & tentationis solvendæ tempus.*

II. Aliâ similitudine. Medicus sapiens, & peritus, certo pondere, certâ mensurâ, certâque duratione amaram propinat ægro medicinam; juxtà morbi exigentiam, & vires infirmi; alioquin & languorem accresceret, & viribus enervem necaret. Si ergò Doctor Physicus in curando infirmum, hæc, & non alia disponit pharmaca: tot, & non plura adhibet remedia: nec naturæ denegat ferias; quantò magis Opifex Divinus, qui non vult mortem spiritualem tentati, sed ut magis proficiat, & vivat, temperabit tentationum amaritudines, ut non sint tàm graves, tàm acerbæ, tàm magnæ, tàm diuturnæ, ut patiens purgari possit, & non occumbi? ut convalescat, & non pereat? Id totum David testatur (Psalm. 79. v. 6.) *Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in mensurâ.*

SOL-

Digitized by Google

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

I. A Poſtolus [2. ad Corinth. cap. 1. v. 8.] ſcribit: *Non enim volumus ignorare vos Fratres de tribulatione noſtrâ, quæ facta eſt in Aſiâ, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem; itaut tæderet nos etiam vivere.* Verùm ſi Deus permiſit D. Paulum gravari ſupra modum; ergò ſupra menſuram: ſi ſupra virtutem; ergo ſupra vires: ſi tæderet vivere; ergo ultra tempus.

„ R. & 1. Meus Gregorius „ Ambianates in hunc locum. Quomodò ſupra modum gravatus ſit „ Apoſtolus, ſupra virtutem? Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quòd poteſtis; ſed faciet etiam cum „ tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Sed aliud eſt gravari, aliud tentari: illud enim „ periculum inducit; iſtud impellit in lapſum: illud inſidiatur vitæ, ſed temporali; iſtud ſpirituali gratiæ: illud mortem minatur; „ iſtud operatur in damnationem: „ illud incommodo onerat; iſtud „ peccato exultat. Ideò ait Ambroſius: (*paſſiones præſſurarum „ indicat propè uſque ad mortem „ illatas; ut oſtendat, quæ mala „ ſalutis illorum cauſa patiebantur, ut non gravius ferrent, ſi corriperentur illorum errores ab „ iis, qui hæc tàm aſpera tolerabant pro illis.*

„ Nihil ergo hic de tentationibus, ſed tantùm de tribulationibus, ſeù vexationibus, quæ „ tàm acerbæ, tàm graves, tàm „ atroces, tàm duræ, ut humanas „ vires opprimerent, etiam validiſſimas; imò & humanas excederent mentes, licet vivaciſſimas. Quid ſi tanta magnitudo „ fuerit, tanta obſtinatio, ut prudenti vix credibilis, viventi vix ſit „ tolerabilis. Si qua verò tentatio „ fuit, ea ceſſit in proventum, dum „ fructum attulit. Etſi enim incuſſit pœnam, non tamen excuſſit „ patientiam: etſi dolorem intulit; „ non tamen modeſtiæ tenorem „ abſtulit, aut conſtantiæ. [Ut non „ ſimus fidentes in nobis, ſed in „ Deo.] En fructus, & proventus. Et hæc, inquit Athanaſius, „ *Permiſſa ſunt, ut diſcamus, nihil „ eſſe in nobis habendum fiduciæ, „ ſed Deo dumtaxat apprimè confidendum.*

„ Certè Martyres ſupra vires „ gravati ſunt, ſupra virtutem, „ quùm tandem oppreſſi per „ mortem; ſeù ut loquitur Tertullianus: [*obducti*] ſed nullus eorum ſupra modum „, „ aut per exceſſum tentatus eſt. „ Imò quivis & fidem tenuit, & „ mortem perdomuit. Indè enim „ ait ille [*Verbum inſultorium de „ morte, & triumphatorium: Ubi „ eſt, mors, victoria tua, vel contentio tua? Ubi eſt, mors, aculeus tuus*] Quid contendis? aut „ quam ex aculeo tuo prætendis „ gloriam? Victa es, dum viciſti: „ dum aucta es, excidiſti: & nos „ perpetuam invenimus gloriam, „ per mortem ad immortalitatem „ pervenimus. Hactenùs, & quidem egregiè laudatus Doctor, „ juxtà verum, & genuinum Scripturæ ſenſum.

„ R. & 2. Tirinus breviùs, „ ſed non minùs elegantèr [*ſupra „ virtutem*] ideſt ſupra vires natu-

„ ræ,

Digitized by Google

„ ræ, vel corporis; ſed non gra-
„ tiæ, vel animi; nam ope gratiæ,
„ invicto animo tribulationem
„ hanc omnem Paulus pertulit, &
„ ſuperavit: ut & pugnam cum be-
„ ſtiis (1. ad Corinth. 15. v. 32.)
„ & alia mala ibidem exantlata.

„ Rt. 3. Cornel. à Lapide.
„ Paulus non dicit *Tentatio*, ſed
„ *Gravamen*, ſivè afflictio fuit ſu-
„ pra virtutem; quia hæc corpus
„ obruit, & extinguit; licet ani-
„ mus ſervet patientiam; & pa-
„ tientia tentationem vincat.

„ Rt. 4. Salmeron [tom. 14.
„ diſp. 17.] & cum eo alii Sacri
„ Interpretes (*ſupra modum*) in-
„ quit, (*& ſupra virtutem*) ideſt,
„ ſupra vires humanas, ſed non
„ ſupra vires, & facultates à Deo
„ ſuppeditatas; quoniam tandem
„ Paulus vicit illam tentationem,
„ & ſuperavit Diabolum. Quòd
„ verò aliqui tentati tentationi
„ ſuccumbant, non ex defectu di-
„ vinæ gratiæ, ſed ex noſtrâ volun-
„ tate nolente amplecti Divinum
„ favorem, & ſinente ſe trahi in
„ voluptates carnis, & in volunta-
„ tes Dæmonis.

II. Non eſt in poteſtate noſtrâ, quin nos apprehendat alia tentatio, quàm humana; ideſt, communis, levis, & de facili ſuperabilis. Aliundè Deus dat auxilium ad vincendas tentationes, quando ipſe vult, cui vult, & quomodò vult. Ergò poteſt nos apprehendere tentatio diabolica, ſeù inſuperabilis, ex permiſſione Dei, cujus judicia abyſſus multa.

Rt. 1. Hugo à S. Charo [in Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 10.] *Imò dicit* [Apoſtolus] *poteris; quia fidelis Deus eſt in promiſſione, quam promiſit* (*Pſalm. 90. Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum &c.*) *quando tentatur, ut inducatur ad mortale. Similiter quando eſtis in tribulatione exteriori, nè diffidatis de auxilio Dei; quia fidelis in promiſſo* [*Iſa. 43.*] *Per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non conſummeris, & flamma non ardebit in te*] *&* [*Jerem. 1.*] *debellabunt adverſum te, & non prævalebunt, quia ego tecum ſum, dicit Dominus, ut liberem te. Non ergo apprehendat vos tentatio, niſi venialis; quia poteſtis. Quia* [*facit proventum*] *gratiæ argumentum* (*Gloſſ.*) *Qui dat tentanti Diabolo licentiam, ipſe dat tentatis miſericordiam* [*Iſa. 40.*] *Qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt fortitudinem.*

„ Rt. 2. Cornel. à Lapide ex-
„ ponendo citatam Epiſt. D. Pauli.
„ In Chriſtiani cujuſque poteſtate
„ eſt habere auxilium ſufficiens, ad
„ vincendas omnes tentationes,
„ & peccata. Deus enim ad hoc,
„ quaſi fidelis, iis fidem ſuam obli-
„ gat; ut docet hic Apoſtolus. q.d.
„ Tentatio vos non apprehendat
„ ex parte, & negligentiâ veſtrâ,
„ niſi humana; nam ex parte Dei
„ ſpondeo, quod Deus, qui fide-
„ lis eſt, ſicut promiſit, ſic & præ-
„ ſtabit, ut non patiatur vos ten-
„ tari ſupra id, quòd poteſtis, hoc
„ eſt, nonniſi humanâ tentatione
„ tentari vos permittet. Intelli-
„ ge, ſi ejus gratiam, & opem, ut
„ par eſt, imploretis, eique coope-
„ remini [*Deus*, ait, S. Aug. L. de
„ Naturâ, & gratiâ cap. 43. & ex
„ eo Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 11.
„ *Deus; inquam, impoſſibilia non*
„ *jubet, (quùm jubet, ut cuivis ten-*
„ *tationi reſiſtamus) ſed jubendo*
„ *monet, & facere quod poſſis, &*

pete-

Digitized by Google

„ *petere quòd non poſſis, & adjuvat, ut poſſis*] Hinc Chriſtus „ [Matth. 11.] *Jugum*, inquit, „ *meum ſuave eſt, & onus meum* „ *leve*] & [1. Joan. 5. v. 3. dicitur: „ *Mandata ejus gravia non ſunt.*]

℟. 3. D. Thom. (2. 2. q. 156. art. 2 ad 1.) *Per hoc, quòd homo indiget Divino auxilio, ad hoc, quòd ſit continens, non excluditur quin incontinentia ſit peccatum; quia ut dicitur 3. Eth. Quæ per amicos poſſumus, aliqualiter per nos poſſumus.*

III. Ex D. Laurentio Juſtin. (de Caſto Connub. cap. 7. n. 30.) *Quoſdam ſupra communem modum, & ultrà humanas vires Dei Sapientia tentari permittit; ut illos continua, & acerrima pugna præ cæteris glorioſiores faciat. Neque ad momentum permittuntur quieſcere; ut devicto, triumphatoque hoſte, jucundiùs in perpetuas gaudeant æternitates. Non ſunt igitur Dei judicia curiosè rimanda, non de permiſſione Divinâ ratio inveſtiganda.* Ergò ex S. Protopatriarcha Veneto, Deus permittit quoſdam tentari ſupra communem modum, ideſt, modo inſueto & extraordinario: & quidem ultrà menſuram temporis, dum ſinit continuò tentari.

℟. Verba D. Laur. non ſunt integrè allata. Nam S. Doctor [ibidem num. 20.] hæc præmiſerat: *Hujuſcemodi arte dimicandi, propitiante gratiâ, debilitatur etiam conſuetudo inveterata, & natura rebellis reformatur in melius. Plùs valet gratia, quàm natura; quia ſuperior eſt. Neminem ſpernit, nulli ſe ſubtrahit, quin potiùs anticipat quærentes ſe, & præoccupat dignos ſe. Nemo itaque de infirmitate, de ignorantiâ, de conſuetudine, de naturâ excuſationem accipiat, quòd non proficit: nullus, quia tentatur, conqueratur; nulli niſi ignavo, & tepido, ac reſiſtere nolenti tentatio nocet. Fervens, & pugnans militat ad ſalutem*

Dum igitur Sanctus ait: *Quoſdam ſupra communem modum, & ultrà humanas vires Dei Sapientiâ tentari permittit*, loquitur de tentatione, quam Myſtici vocant *Importunam*: de quâ nos in Prolog. aliqua adnotavimus: & dum ſubdit: *ultrà humanas vires*, rectè loquitur; nam ex Lyrano [in 2. ad Corinth. cap. 1.] Duplex eſt virtus, ſivè poteſtas, ſcilicet naturæ, & gratiæ. Supra virtutem naturæ, aliquandò permittit Deus fidelis tentari: & tunc dat virtutem gratiæ ad poſſe ſuſtinere; numquam tamen permittit ſupra virtutem gratiæ, quam omnibus dat, ut poſſint ſuſtinere, etiam cum proventu. Quòd autem Sanctus loquatur de Tentatione Importunâ, clarè oſtendunt ejuſdem verba, quæ ſtatim ſubdit: *Ut illos continuâ, & acerrima pugna, &c.*

Itâque ex verbis D. Laurentii Juſtiniani non ſequitur, ipſum admittere tentationes extraordinarias Novi generis, naturæ differentis à vulgaribus, & Irreſiſtibiles; prout prætendunt Pſeudo-Myſtici. Profectò Sanctus (eodem capit. ſub num. 20.) ſcribit: *Vitiis virtutum oppoſitione reſiſtendum eſt. Numquam ut ad actum, numquam ut pertrahant ad conſenſum, permittenda ſunt. Sicut intùs fremunt, ut proſiliant ad opus, ità quoque intùs mucrone reſiſtentiæ jugulantur*; & paulò infra ſub num. 20.) *Nullus, quia tentatur conqueratur; nulli niſi ignavo, & tepido, ac reſiſtere nolen-*

Digitized by Google

nolenti tentatio nocet.

Nec ex eo, quia Deus aliquando, ut inquit Sanctus Doctor, *Neque ad momentum permittit quosdam à tentatione quiescere*; inde sequitur, Deum permittere tentationem ultrà temporis mensuram; scit enim Deus *robustos, & spiritu calescentes*; ut prosequitur idem [ibidem sub num. 40.] & hos sinit tentari continuâ, & acerrimâ pugnâ, ut præ cæteris glorioſiores faciat; ſed uſque ad tempus ab ineffabili ſuâ Providentiâ ſtatutum. Omnes tandèm Deus tentari permittit, alios quidem ſic, alios verò ſic juxtà uniuscujuſque robur, & exigentiam; ità tamèn *ut nemo cadat, ſed ut cadere poſſe ſe agnoſcat*; proùt concludit S. Protopatriarca [ibidem ſub num. 50.]

REFLEXIO.

DUm fides prædicat, Deum omnia diſpoſuiſſe *in Pondere, Numero, & Menſurâ*: nec permittere tentationes tàm graves, ut ſint ſupra vires: nec plùres, quæ ſuſtineri nequeant: nec perpetuas, ſed uſque ad tempus à Divinâ Providentiâ præfixum; videtur omninò incredibile, Doctorem Catholicum docere oppoſitum, ideſt, dari tentationes Irreſiſtibiles. At utinam nullus eſſet, qui in has prorumperet blaſphemias! O ſi inter Theologos, & in Myſticâ Directores *non exurrexerint viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe*. (Acta cap. 20. n. 30.) *Spiritus autem*, Sanctus, *manifeſtè dicit* (1. ad Timoth. 4.) *Quia in noviſſimis temporibus* heù jam noſtris! *diſcedent quidam à fide*; non quidèm apertè eam impugnantes; ſed ut ait idem Apoſtolus (2. ad Timot. 4.) *habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Ejuſmodi ſunt hac noſtrâ ætate Myſtici Spurii *attendentes ſpiritibus erroris*; ideſt credentes ſpiritibus ſeductoribus, ſeù, ut legit Græca, *docentes doctrinas Dæmoniorum*. In hypocriſi, ſeù cum hypocriſi, & ſimulatione ſanctitatis, purgationis Animæ, & majoris perfectionis, ut citiùs decipiant incautos, *loquentium mendacium*, & apparentem veram, ſed falſam doctrinam; non enim audent ſua flagitia proferre, & palàm aperire, niſi filiis ſuis ſpiritualibus, quos fatis erroribus Molinoſiis priùs implicuerunt. *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam*. Syriacè, *Inuſtam, & notatam*, nempè cauterio libidinis, & aliorum ſceleruum. Hinc Doctor Angelicus exponens hunc locum, ſic lachrymis ſcribit: *Sicut cauterium corruptio eſt in carne per ignem, ex quâ egreditur continuò putredo: ità ex igne perverſæ voluntatis, quaſi cauteriatæ, ulceratur conſcientia, & egreditur falſa doctrina Dæmoniorum*. Lubentiſſimè igitur exclamemus cum D. Aug. (apud Gravelen: Hiſt. Eccleſiaſt. fol. mihi 88.) *Ubi eſtis fontes lachrymarum! Et quid facimus? Ubi nos occultabimus ab irâ veritatis? Si non ſolùm negligimus cavere mendacia, ſed audemus inſuper docere perjuria?*

SECTIO III.

De Gratiâ hominibus necessaria ad superandas Tentationes.

76. IN observandis præceptis occurrere possunt impedimenta, & difficultates duplicis generis: aliæ quippè, ut ità dicam, sunt interæ, quæ profluunt ex complexione, & appetitu hominis, mediis his sensibilibus objectis, quæ vitare non possumus; hinc ajebat Apostolus (ad Rom. 7. v. 23.) *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati, quæ est in membris meis.* Homo namque per unam sui partem, nempè, inferiorem, ad votum aliam superiorem rebellantem, simulatur ad id, quod vetitum est. Aliæ impedimenta, seù difficultates dicuntur externa, quæ eò oriuntur à tentationibus externis; scilicet, à Mundo, & à Dæmone: siquidem tentatio à Mundo dicitur nascitur ex consortio aliorum hominum, per mala eorum consilia, vel prava exempla. Tentatio verò à Dæmone oritur quoque ab extrinseco; quia dici potest quodammodò ultrò, vel præter naturam; bellum enim cum Dæmonibus non est more naturale, sed ex arbitrii prudentiâ, ac permissione Divinâ protoducitur. Undè Apostolus (Ad Ephes. 6. v. 12.) *Non est nobis colluctatio adversùs Carnem, & Sanguinem, sed adversùs Principes, & Potestates, adversùs Mundi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in Cœlestibus.*

77. Verùm inter Tentationes quædam graves sunt, & vehementes: quædam leves, ac remissæ. Tentationis autem gravitas, aut levitas non est metienda ex materiâ, seù ex gravitate, aut levitate peccati, ad quod allicit; nam hæc distinctio, quamvis aliàs dari posset, in præsenti non est ad rem. Tentatio igitur potest esse gravis, vel ex objecto, quod sui imaginatione, & vividâ rappresentatione plurimùm afficit, ac commovet: vel ex modo alliciendi, seù trahendi voluntatem ad consensum; itaut illa tentatio sit gravis, quæ vehementèr animum concutit; levis verò, quæ leviter allicit: vel denique ex ipso habitu, seù inveteratâ peccandi consuetudine.

78. Præterea, gravitas, aut levitas Tentationis, non solùm est metianda ex intensione, sed etiam ex diuturnitate. Hinc tentatio dicitur levis, non solùm quando ex parte Intellectus parvam, vel ineffacem habet suasionem; vel ex parte appetitus debilem inclinationem; sed etiam quatenùs ad momentum, seù brevissimo tempore durat; quamvis alioqui intensa videatur, ac vehemens. Ità è contrario, Tentatio dicitur gravis, quæ pertinaciter suadet per multum temporis, constantèr, & molestè.

79. Porrò id respectivè intelligendum erit. Hi namque tentationis gradus certâ regulâ definiri nequeunt, sed prudenti arbitrio pensandi sunt, & maximè considerandi respectivè ad eum, qui tentatur; Aliquamque tentatio erit gravis uni, quæ alteri esset levis: idque propter varias complexiones, in-

ingenia, mores &c. Quæ omnia ponderanda sunt. Sic eadem res, quæ levitèr sollicitat hominem minimè deditum avaritiæ, eadem gravitèr provocat avarum.

80. Ulteriùs observandum, quòd tribus modis superari potest Tentatio. Primò, per aliam vitiosam actionem, incidendo in aliud peccatum; ut quùm quis vincit tentationem avaritiæ ex affectu luxuriæ &c. *Et tunc*, inquit D. Aug. [lib. 1. de Nupt. cap. 3.] *non peccata coërcentur, sed aliis peccatis alia peccata vincuntur*. Et [lib. 21. de Civ. cap. 16.] *Nonnunquam apertissimè vitia aliis vincuntur occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia*.

81. Secundo modo tentatio superatur cum victoriâ, quando, scilicet, superatur ex amore Dei, inhabitantis, aut saltem moventis. Et hoc modo vincitur tentatio, non solùm non peccando, sed etiam aliquo pacto proficiendo in ordine ad salutem, & vitam æternam. Et hic est proprius victoriæ modus; ut advertunt D. Thom. [in 2. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 6.] D. Bonav. Richard. (ibidem) qui addunt, hanc solam esse propriam tentationis victoriam, & eam solam hac voce significari debere; juxtà D. August. præcitatum: *Tunc victa vitia deputanda sunt, quùm Dei amore vincuntur: nec aliter, nisi per mediatorem Dei, & hominum, Dominum Jesum Christum*.

82. Tertio tandem modo superatur tentatio, nec peccando, nec proficiendo in ordine ad salutem, & vitam æternam: quando, nimirùm, tentatione impellente ad peccatum, tentatus non succumbit; vel suspendit actum suum (si possibilis est hujusmodi suspensio, de quâ infra in propriâ Sectione) vel elicit actum ordinis naturalis, contrarium quidem tentationi, sed propter aliquam honestatem naturalem. Sed ex D. Thom. [ubi supra] *id potiùs est resistere, quàm propriè vincere*.

Profectò, quùm inquirimus de Gratiâ necessariâ ad superandas tentationes; non est sermo de primo modo superandi tentationes; quis enim sanæ mentis unquam dixerit, Gratiam Dei esse necessariam ad peccandum? Procedit igitur quæstio de secundo, & tertio modo: & quidem de homine lapso, non verò in statu naturæ integræ.

Circà quam controversiam errarunt Pelagiani, qui solis naturæ viribus, absque auxilio gratiæ, tentationes omnes posse superari ab homine affirmarunt. Bajus è contrà, nullum planè opus bonum morale fieri posse ab homine sinè gratiâ, seù charitate propriè dictâ, asserit; itaut quidquid à laudabili charitate non est, sit à vitiosâ cupiditate, ac verum peccatum: & consequentèr docet, nullum legis naturalis præceptum observari, nullam omninò tentationem vinci posse sine gratiâ.

Theologi inter se dissentiunt. Sunt qui existimant, hominem per sua naturalia posse potentiâ physicâ leves tentationes vincere, non verò graves. Alii verò contendunt, nullam, nè levissimam quidem tentationem, superari posse sine gratiâ.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

83. HOmo, lapsus, sine Gratiæ subsidio, superare nequit tentationes graves. Est communis.

APERIUNTUR SCRIPTURÆ.

PSalm. 17. v. 30. *In te eripiar à tentatione.*

Psalm. 29. v. 8. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Psalm. 117. v. 13. *Impulsus eversus sum, ut caderem, & Dominus suscepit me.*

Matt. 26. v. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.*

Ad Rom. 7. v. 24. *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum.*

1. Ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.*

Ad Ephes. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli.*

STABILITUR EX CONCILIIS, ET SS. PONTIFICIBUS.

EX Diospolitano anno 415. cap. 11. ubi damnatur hic Pelagii articulus: *Victoria nostra non est ex Dei adjutorio, sed ex libero arbitrio.*

Ex Carthaginensi II. anni sequentis in Epistolâ Synodicâ ad Innoc. I. *Ex sacrilegis Pelagianorum disputationibus necessariò sequi, ut nec orare debeamus, nè intremus in tentationem.*

Ex Aurasicano II. an. 529. cap. 14. *Nullus miser de quacumque miseriâ liberatur, nisi, qui Dei misericordiâ prævenitur.*

Innocentius I. in Epist. ad Concil. Carthag. *Quotidiana præstet (Christus) remedia, quibus, nisi fracti, confisique nitamur, nullatenùs humanos vincere poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterùm non adjuvante vincamur.* Et paulò superiùs: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terreni labii, & mundani corporis vincere conamur errores; quùm pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium.*

Zozimus in Epist. ad universos Orbis Episcopos. *Quod ergò tempus intervenit, quo ejus non indigemus auxilio? In omnibus igitur actionibus, causis, cogitationibus, motibus, Adjutor, & Protector orandus est; superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo: Non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, sed adversùs spiritus, &c.*

Cœlestinus in Epist. ad Gallos. num. 6. *Nemo, etiam Baptismatis gratiâ renovatus, idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.*

SUF-

Digitized by Google

SUFFRAGANTUR PP.

DIvus Greg. lib. 9. Moral. cap. 7. in Tob. verba illa: [In pulverem reduces me.] *Qui à te reduci in pulverem dicitur: quia dimissus sibi cujuslibet tentationis aurâ raptatur.*

D. Ambros. [in Psalm. 43. n. 71.] *Quis est tàm fortis, ut nequaquam in tentationem moveatur, nisi Dominus ei Adjutor assistat?*

D. August. [lib. de Perfect. Justitiæ cap. ult.] *Quisquis negat nos orare debere, nè intremus in tentationem (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed solâ lege acceptâ, humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum esse non dubito.*

Idem [de bono Viduitatis cap. 17.] *Si nostræ tantummodò potestatis est, nè tentatione superemur; ut quid oramus, nè intremus, vel inferamus in eam? c. Ut quid peto à Domino, quod in meâ posuit potestate? Sed absit ut hoc sapiat, qui sanum sapit.*

Idem [serm. 156. aliàs 13. de Verbis Apostoli cap. 9.] *In hoc agone quàm certamus, Deum habemus spectatorem: in hoc agone quùm laboramus, Deum potimus adjutorem; si enim non ipse nos adjuvat, non dico vincere, nec pugnare poterimus.*

Idem [serm. 99. aliàs homil. 23. inter 50. cap. 6.] *Hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi; ut Adulterium non committeres, suasor defuit: ut suasor deesset, ego feci. Locus, & tempus defuit, & ut hæc deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergò gratiam ejus, cui debes, & quòd non admisisti.*

EXHIBENTUR RATIONES.

I. VOluntas hominis jam per peccatum vulnerata, est valdè debilis, & infirma: & quamvis libera sit, multùm tamèn pendet in usu libertatis ex consideratione, & attentione Intellectus; atque ex afflictione appetitus inferioris, quæ non parùm movet, & post se allicit voluntatem. Hinc fit, ut urgente tentatione, & homine sibi relicto, vel non satis applicat Intellectum, ut attendat, & consideret, sicut est moraliter necessarium ad resistendum: vel licèt aliquandò attendat, non multùm instet in eo judicio, sed tepidè se gerit, propter impetum passionis. Quinimò tanta potest esse passio, ut jam contrà dictamen rationis voluntas eligat. His namque modis urgere solet tentatio gravis; ideòque, si instat, infallibilitèr dejiciet hominem gratiâ non adjutum.

II. Experientiâ, & communi Fidelium sensu. Quis est enim, qui in seipso non experiatur, quàm facilè gravibus succumbat tentationibus, si suis relinquatur viribus? Quis adeò de se præsumet, ut in tentatione gravi vincet, absque eò quòd recurrat ad Deum, ejusque postulet auxilium ad resistendum? Nonnisi Hæreticus.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

84. POtèſt homo, ſinè ſpeciali Dei auxilio, ſuperare leviores aliquas tentationes, quantum ad ſubſtantiam operis moralis ordinis naturalis. Eſt communis.

Aſſertio iſta probatur iiſdem planè ſcripturis, PP. teſtimoniis, & argumentis, quibus Theologi demonſtrant, poſſe hominem per naturæ vires, ſinè gratiâ, perficere bonum opus morale, quùm vel nulla inſtat gravis tentatio, vel opus nullam adjunctam habet difficultatem. Nihilominus breviter.

PATET EX SCRIPTURA, & SS. PONTIFICIBUS.

1. AD Corinth. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Ergo Apoſtolus cenſet, ſaltèm minores, & leves tentationes ſuperari poſſe viribus liberi arbitrii; fruſtrà namque dixiſſet: *ſupra id, quod poteſtis*, ſi reverà nullas à nobis haberemus vires ad reſiſtendum. Undè meritò Pius V. Greg. XIII., & Urb. VIII. inter proſcriptas Baji propoſitiones, damnarunt hanc, num. 29. *Non ſolùm fures illi ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam juſtitiæ, oſtium veritatis, & vitæ negat; ſed etiam quicumque aliundè, quàm per ipſum in viam, juſtitiæ* (hoc eſt ad aliquam juſtitiam) *conſcendi poſſe docent. Aut tentationi ulli, ſinè gratiæ ipſius adjutorio, reſiſtere hominem poſſe ſic; ut in eam non inducatur, aut ab eâ non ſuperetur.* Dicunt ergo relati Ss. Pontifices, liberum arbitrium poſſe alicui tentationi reſiſtere, abſque gratiæ auxilio.

SUADETUR EX SS. PATRIBUS.

DIvus Auguſt. [lib. de Perfect. Juſtitiæ cap. 2.] *In naturâ vitiatâ parum eſt ad non peccandum voluntatis arbitrium.* Ubi per particulam *parum*, limitare videtur, quod alibi dixerat: *liberum arbitrium hominis lapſi, nonniſi ad peccandum valere.* Judicat enim propoſitionem illam non eſſe in rigore intelligendam de ſingulis peccandi occaſionibus, ac tentationibus; ſed ideò dicit *parum valere*; quia in multis actibus poteſt ità vincere tentationem, ut non peccet.

S. Hieron. [lib. 3. contra Pelagianos] qui dicebant, poſt peccatum in homine remanſiſſe libertatem, quâ poſſet ad bonum, & malum pro libito manum extendere, ſic reſpondet. *Hoc & nos dicimus, hominem poſſe peccare pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quamdiù intentus eſt animus?... humana conditio, ſi paululùm ſe remiſerit, dicit fragilitatem ſuam.* Igitur S. Doctor non cenſet liberum arbitrium nihil omninò poſſe. Nam licèt homo non valeat ad pugnandum ſemper adverſùs intenſiſſimum hoſtem; tamen pro tempore, & loco aliquid leve, & fragilitati accommodatum illi concedit S. Doctor; undè ſubdit contrà Pelagium: *Nec quia ad breve poſſum, cogis me, ut poſſim jugiter.* Quaſi diceret, perperàm à Pelagianis inferri, ex eò

Digitized by Google

eò quòd homo possit aliquo tempore quibusdam resistere tentationibus, quod idipsum possit jugiter omnibus, tùm gravibus, tùm levibus repugnare.

D. Chrysostom. [homil. 24. in 1. ad Corinth.] ubi interrogans: an ad aliquas tentationes necessaria sit gratia? Respondet: *ad omnes, ut ità dicam.* Quæ correctio aliquas excipit, & aliquam innuit exaggerationem. Et paulopòst, rem apertiùs declarans; præsuppositâ distinctione tentationum in graves, & leves, hasque cùm Apostolo appellat *humanas*, & vinci posse sinè speciali Dei auxilio; inde subdit: *Neque humanas licet facilè ferre absque divino auxilio.* Quibus verbis significat, non deesse potestatem libero arbitrio ad resistendum tentationibus humanis, seù levibus; quamvis non ità facilè, ac eis resistitur cum gratiæ subsidio.

MILITANT RATIONES.

I. Liberum arbitrium, in statu naturæ lapsæ, non est ità viribus fractum, quin exercere possit aliquod bonum morale, absque auxilio gratiæ. Atqui tentatio levis solam addit difficultatem, quæ sinè speciali Dei auxilio vinci potest. Ergò &c. Major est certa apud omnes Theologos. Min. probatur; Si alicui proponatur: Pater honorandus v. g. propter beneficia ab eodem recepta, & simul occurrat tentatio levis, nempè, quòd Pater paululùm iratus Filio, minatur verbera: tunc Filius videretur removeri ab impendendo honore debito Genitori: in hoc, inquam, casu, licèt Filius levem patiatur tentationem, ac difficultatem quòad reverentiam Parentibus debitam; nihilominùs eam vincere poterit solis naturæ viribus: nimirùm, considerando, quòd si Patrem offendat, nec debitum rependat obsequium, peccabit in ipsas naturæ leges, & ut filius degener infamiâ notabitur &c. Quæ, & alia similia motiva naturalia per se sufficere ad illam repugnantiam vincendam, nemo est, qui non videat.

II. Victoria tentationis, præcisè quantùm est necessarium ad non peccandum, est purè naturalis in se, eò vel maximè quando tentatio est levis. Ergò vinci potest solis naturæ viribus; præsertim verò quando hujusmodi tentationes aliquid suggerunt nefandum, & ipsi naturæ horrendum: ut esset præcipitium, incestum, & alia, ad quæ nè quidem bruta, nisi vi maximâ prorumpunt adacta. Adeòque potiùs videtur quoddam desiderari auxilium ad consentiendum operi tàm nefario, quàm ad dissentiendum.

Confirmatur. Nonnullæ passiones aliis interdum passionibus repugnant: sic ubi stimulat v. g. levis tentatio furti, aut fornicationis, non rarò urget metus supplicii, & amor unius contrà odium alterius; itaùt dum unus impellit affectus, alius retrahit. In quo casu facilè poterit voluntas sequi dictamen rectæ rationis, suadentis non esse furandum, non fornicandum.

CON-

CONCLUSIO III.

85. JUstis omnibus, urgente præcepto, confertur gratia verè sufficiens, per quam relativè ad eorum actualem, & præsentem concupiscentiam, possunt tentationes graves superare, & mandata hìc, & nunc observare: aut saltèm uberiùs per orationem impetrare auxilium, quo superentur tentationes, & præcepta observentur. Est de fide contrà Jansenium, alioſque hæreticos.

LOQUUNTUR SCRIPTURÆ.

PRima ad Cor. 10. v. 13. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.*

Hæc sententia dicta est etiam de Justis; proùt ostendunt verba præcedentia v. 12. *Qui se existimat stare, videat nè cadat.* Porrò tentarentur supra id, quod possunt, nisi viribus parem actuali tentationi superandæ, aut saltèm impetrando uberiori suo auxilio gratiam haberent.

Bx. Jansenius [lib. 3. de Grat. Christi cap. 13.] Apostolum loqui de solis prædestinatis, qui nunquam finaliter tentationi succumbunt.

Sed quàm immeritò extorqueat textum allatum, circà hunc nonnulla sunt observanda.

I. Ità connecti primum hujus propositionis membrum cum secundo, ut ad idem pertineat.

II. Nec Græcum, nec Latinum nostræ Vulgatæ textum dicere, faciet *ex tentatione*, ut insinuant adversarii, sed *cum tentatione proventum*. Idque nos supra adnotavimus.

III. In Vulgata non legi, *ut possitis perseverare*, sed *ut possitis sustinere*: omnesque Latinos Patres, in primis verò D. Augustinum ità legere, quoties testimonium illud urget adversùs Pelagianos.

IV. Vocem hanc, *proventum*, exponi non posse de victoriâ tentationis, quasi sensus foret: Faciet vos victores tentationis; ridiculus enim esset sensus iste: Faciet vos victores tentationis ut possitis sustinere; quasi actus foret medium ad potentiam, & ipsa victoria medium ad facultatem superandi. Tùm quia Concil. Trident. [sess. 24. Can. 9.] ad omnes Clericos majores, & Regulares istud testimonium spectare affirmat, quoties ipsos urget servandæ castitatis præceptum, & gravis sollicitat carnis tentatio; plures namque ex iis cedebant tentationi, nec ex eâ victores exibant. Tùm quia suffragantur SS. Cyprianus, Augustinus, Primasius &c. qui per *proventum* non victoriam, sed auxiliorum collationem, undè habetur facultas evadendi, seù sustinendi, intelligunt. Profectò S. Cyprianus Apostoli dictum sic reddit: *Faciet cum tentatione facultatem evadendi*. D. Aug. loco *proventus* legit semper *exitum*. Quùm autem superaddat, *ut possitis sustinere*, illumque textum urgeat contra Pelagianos; facilè est cognoscere quo sensu *exitum* intelligat; ideſt, faciet cum tentatione, ut exeatis ab impotentia naturali eam

Digitized by Google

eam vincendi sinè gratiâ, ad potentiam eam vincendi per gratiam voluntatis, quam tibi confert. Primasius sic habet: *Illud faciet provenire, quod poteritis sustinere.*

V. Sinè fundamento adversarios in secundo membro propositionis Apostoli subintelligere conditionem istam, nempè, *Si estis prædestinati.* Et sanè 1. quia nihil tale innuit textus Græcus, aut Latinus. Nonnè cuilibet privato licebit, privatâ suâ auctoritate, absolutas verbi Dei propositiones convertere in conditionatas? Aliundè repugnat mens, & intentum Apostoli, qui eo fine ista protulit, ut consolationem, ac firmam spem injiceret in animos fidelium, quæ tolleretur per istam conditionem, *Si estis prædestinati*; nullus enim certò novit se esse de numero prædestinatorum. 2. Subintellectâ istâ conditione, quem sensum exhibebunt sequentia Pauli verba: *Ut possitis sustinere*? 3. Concil. Trident. mox citatum, nullam subintelligit conditionem in primo membro Apostolicæ propositionis. Ergò nec illam in secundo intelligere censendus est Apostolus. Quandoquidem duo illa membra ità inter se sunt colligata, ut vel utrique, aut nulli apponenda sit conditio.

Ex his facilè colligitur, hunc esse sensum textus Apostoli, saltèm postremorum verborum, *faciet cum tentatione proventum*, ideſt, in ipsâ tentatione roborabit vos, & confirmabit abundanti gratiæ suæ præsidio, quo possitis eam sustinere.

Psalm. 36. v. 24. *Cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.*

Et v. 27. & 28. *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi. Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet Sanctos suos: in æternum conservabuntur.*

Et v. 33. *Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus.*

Eccles. 2. *Quis permansit in mandatis ejus, & derelictus est?*

Et cap. 34. *Oculi Domini super timentes eum: protector potentiæ, & firmamentum virtutis.*

SANCIT CONCILIUM TRIDENTINUM.

MUltiplex argumentum nobis suppeditat Concil. Trident. sess. 6. de Justificatione.

Primum petitur ex istis verbis cap. 11. *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus prohibitâ voce, uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.*

Secundum argumentum sumitur ex verbis ejusdem Concilii immediatè sequentibus: *Cujus mandata gravia non sunt: cujus jugum suave est, & onus leve; qui enim sunt filii Dei Christum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servât sermones ejus: quod utique cum Divino auxilio præstare possunt.* Porrò, quomodò mandata gravia non sunt justis? quomodò jugum ipsis suave, & onus leve, si absit gratia, quâ relativè ad præsentes circumstantias mandata observare possint, aùt saltèm petere vires majores, quibus superent tentationes, & ob-

Digitized by Google

ſervent præcepta?

Tertium argumentum inſurgit ex illâ ejuſdem Concilii, eodem in capite, ſententiâ: *Deus ſuâ gratiâ ſemel juſtificata non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur.* Quæ eſt ipſa D. Aug. doctrina [lib. de Natur. & Grat. cap. 26.] *Quùm*, inquit, *Deus impiam ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam, juſtitiamque perduxerit, non deſerit, ſi non deſeratur, ut piè ſemper, juſtèque vivatur.* Si autem juſtis urgente præcepto, & invadente tentatione, non adeſſet gratia verè, ac relativè ſufficiens, quâ poſſent & præceptum implere, & tentationi obſiſtere; vel ſaltèm implorare uberius Dei auxilium ad id faciendum, certè Deus priùs deſereret juſtos, ac ab ipſis deſereretur.

Profectò ex parte juſti nulla poteſt aſſignari cauſa, cujus demerito Deus gratiam ſuam ſubtraheret. Quæ enim foret cauſa? Peccatum Originale? At perfectè remiſſum, & condonatum fuit per Baptiſmum; itàut nulla pœna, ſed tantùm remanſit pœnalitas; undè Concil. Trident. [ſeſſ. 5. in decreto de Peccato Origin. n. 5.] ſtatuit: *In renatis nihil odit Deus; quia nihil damnationis eſt iis, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem.* An radicalis concupiſcentia? Verùm eodem in loco docet Concil. *eam ad agonem relictam eſſe, quæ nocere non conſentientibus, ſed virilitèr per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus, non valet.* Plurimùm autem noceret, ſi foret Deo cauſa, & motivum denegandi juſtis gratiam relativè ſufficientem. Nonnè culpa perſonalis, ſeù actualis? ſed ſupponimus eſſe primam, & quærimus: Quid cauſæ eſt, cur Deus homini juſtificato deneget gratiam verè ſufficientem ad declinandum primum illud actuale peccatum? forſitan negligentia ad orandum? At recurrit eadem prorſus petitio: quarè ad fugiendam illam negligentiam denegata eſt homini juſto gratia verè ſufficiens? An denique, ut putat Arnaldus [in Opuſculo, cui titulus: *S. Thomæ doctrina de gratiâ ſufficiente, & efficaci* q. 4.] innata hominis ſuperbia? Aſt, ipſomet fatente Arnaldo, ſuperbia hæc non eſt actus, ſeù peccatum ſuperbiæ; de illo etenim quæri ſimilitèr poſſet: Cùr Deus ad illud vitandum non dederit gratiam? *Eſt ergò*, ut ipſe proſequitur, *prava, & ex peccato ſaltèm originali relicta ad ſuperbiendum propenſio.* Verùm iſta quid aliud eſt, quàm radicalis, de quâ mox diximus, concupiſcentia, aut actualis indeliberata? Ergò nulla eſt aſſignabilis cauſa, cur Deus homini juſtificato deneget gratiam verè, ac relativè ſufficientem, quàm Dei voluntas; ſed hoc negat Tridentinum, nempè, priùs deſeri à Deo, quàm ipſum deſerat.

DOCENT SS. PATRES.

SAnctus Leo [ſerm. 16. de Paſſione Domini] *Juſtè juſtus præcepto, qui præcurrit auxilio.*

D. Chryſoſt. [homil. 16. in Epiſt. ad Hebræos] *Non poteſt dicere homo non poſſum, neque accuſare Conditorem; ſi enim impotentes nos fecit, culpa ejus eſt.*

S. Hie-

Digitized by Google

S. Hieronym. [lib. 3. adversùs Pelagianos] *Deus possibilia mandavit, hoc nulli dubium est*: Et [lib. 1. contrà eosdem] *fatemur, possibilia Deum dedisse mandata, nè ipse auctor injustitiæ sit, si exigat fieri, quod fieri non potest.*

Tertull. [lib. contrà Marcionem] *Non poneretur lex ei, qui non haberet obsequium debitum legi in suâ potestate.*

S. Odo Abbas Cluniac. [lib. 1. collat. num. 13.] *Naturæ fragilitatem opponimus Deo, quasi nesciat ille, quales nos fecit, & oblitus nostræ humanæ fragilitatis, imposuendi homini mandata, quæ ferre non possit. O cæcam vesaniam! O profanam temeritatem! dupliciter quippè Deum videmur incusare, neque enim justus, qui posse dedit, impossibile aliquid imperare potest: neque qui priùs est, hominem damnare pro his, quæ vitare non potest. Et quomodò staret, quod ipse perhibet, Jugum meum suave est? Hanc itaque neque Justo iniquitatem, nec Pio crudelitatem adscribamus.*

D. August. (serm. in Psalm. 7.) *Duo sunt officia medicinæ: unum, quo sanatur, alterum, quo sanitas custoditur. Juxtà illud primum dictum est in superiori Psalmo: Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: juxtà hoc alterum, in hoc Psalmo dicitur: Si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam ego ab inimicis meis inanis. Ibi infirmus, ut liberetur: hìc jam sanus, nè corrumpatur erat..... Itaque ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium; hìc autem justum est, quod jam justo tribuitur.*

86. Nec quemquam offendere debet, quòd auxilium dicatur *justum*, & consequenter quodammodò debitum; quùm enim gratia dicitur indebita, sensus est, eam non deberi operibus naturæ; ut volebant Pelagiani; non verò eam non deberi titulo fidelitatis Dei, qui promisit gratiam illam se collaturum justis. Hinc appositè S. Thom. [lect. 1. in cap. 1. Epist. 1. ad Corinth.] ait: *Debitis sperare, quia Deus est fidelis..... Non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret ad societatem filii, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quæ pervenire ad eam possimus; unde Josuè 1. dicit: Non te deseram, neque derelinquam.*

Idem Aug. [lib. de Corrept. & Grat. cap. 7.] *Si ab hac damnatione non se liberabunt, qui potuerunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi, quùm fides ex auditu sit: quantò minùs se liberabunt, qui dicturi sunt: Perseverantiam non accepimus? Justior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientium, quàm dicentium: Non accepimus perseverantiam; quoniam potest dici: Homo, in eo, quod audieras, ac tenueras, in eo perseverares, si velles; nullo autem modo dici potest id, quod non audieras, credere, si velles.*

Non poterat S. Doctor clarius exprimere gratiam verè sufficientem collatam Justo non perseveranti; quùm sit usu receptum, ut, qui dicitur aliquid facturus, si vellet, intelligatur omninò expeditam habere facultatem ad illud faciendum. Indè fit, ut Jansenius, qui à præsenti statu gratiam removet sufficientem, constanter asserat, adjuto-

torium, in quo manet Homo, ſi velit, proprium eſſe, ac unicum characterem, quo adjutorium ſanæ voluntatis diſcernitur à medicinali. Non noverat ergò Janſenius, poſt trigeſies iteratam operum S. Auguſtini de Gratiâ lectionem, de juſto in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto, à S. Doctore dici etiam in lib. de Corrept. & Grat. *In eo, quod audieras, & tenueras, perſeverares, ſi velles.* Aut, ſi novit, certè diſſimulavit.

Idem [ea tract. 26. in Joann. num. 2.] *Semel accipe, & intelligere: Nondum traheris? Ora, ut traharis.*

Idem [de Grat. & lib. arbitr. cap. 16.] *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.*

Idem [ibidem cap. 19. n. 53.] ubi occurrit querimonia illorum, quibus grave videtur, & durum, quòd in pœnam peccati primi parentis, naſcamur cum ignorantiâ, cæcitate &c. *Quibus*, inquit Divus Auguſt. *breviter reſpondetur, ut quieſcant, & converſis Deum murmurare deſinant. Reſtè enim fortaſſè quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret; quùm verò ubique ſit præſens, qui multis modis per Creaturam ſibi Domino ſervientem eversum vocet, decet credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, emendiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras. Neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis. Iſtæ tuæ propriæ peccata ſunt. Nulli enim hominum ablatum eſt, ſcire, utiliter quæri, quod inutiliter ignoretur, & humiliter confitendam eſſe imbecillitatem, & quærenti, & confitenti ille ſubveniat, qui non errat dum ſubvenit, nec laborat.*

Idem [ibi cap. 22. n. 55.] *Quod ergò ignoret (Anima) quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quòd nondum accepit; ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit, benè uſa fuerit. Accepit autem, ut piè, ac diligenter quæreret, ſi velit.* Igitur ex S. Doctore *Accepit, ut piè, ac diligenter quæreret.* En Gratia ſufficiens, qua *ſi benè (anima) uſa fuerit*, accipiet & Efficacem, quâ faciet, quod anteà non poterat (proximè, ſcilicèt, & immediatè) facere.

Idem [in Pſalm. 56.] *Neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut ab homine fieret; ſed conſiderans infirmitatem tuam deficis ſub præcepto? Confortare in exemplo . . . . Adeſt ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.*

Idem [lib. de Nat. & Grat. cap. 67.] *Nemo peccat in eo, quod nullo modo vitari poteſt. Peccat autem; vitari ergò poteſt; ignoscente illo, qui non poteſt falli.*

PRÆMUNT RATIONES.

I. TEnemur vincere Mundi, Carnis, & Diaboli tentationes; jubente Deo per D. Jacobum [cap. 4. v. 7.] *Reſiſtite Diabolo.* Et per Apoſtolum Petrum [Epiſt. 2. cap. 5. v. 9.] *Reſiſtite fortes;*

Digitized by Google

tes. Atqui ex nobis sumus insufficientes ad vincendas hostium tentationes, *sed omnis sufficientia nostra ex Deo est*; ut testatur Apostolus [2. ad Corinth. 3. v. 5.] Ergò nè pereamus in prælio, sed vincamus, Deus præbet nobis auxilium verè sufficiens, quo resistere possimus inimicis nostris, eosque superare.

II. Ex potentiâ uniuscujusque ad peccandum. Tunc actù peccamus, quandò non agimus bonum, quod facere possumus, & debemus: vel quandò operamur malum, quod vitare tenemur. At sine gratiâ sufficiente facere nequimus bonum, nec vitare malum, dum sese offert occasio, & gravis urget tentatio; ut cum omnibus Catholicis arguebamus contrà Pelagianos. Igitur, quùm proni simus ad malum, nisi Deus adjuvet nos, rueremur in perditionem.

III. Confirmatur, & simul declaratur. Ut potentia sit undequaque libera ad non peccandum, necesse est, ut habeat omnia requisita, inter quæ est Divinum auxilium. Sicut enim ille dicitur *beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere malo, & non fecit*. [Eccl. 31. v. 10.] Ità ille dicitur reus, qui potuit facere bonum, & non fecit: non transgredi, & est transgressus. Hoc autem contingeret ei, qui caret gratiâ sufficiente. Hæc minor prob. Ad faciendum bonum, seù ad resistendum gravibus tentationibus, & ad præcepta servanda, non sufficiunt vires naturales; ut mox dicebamus; hinc quisque non sustultus Dei auxilio, cederet gravi tentationi: & quidèm non libertate, sed necessitate, ex solâ conditione naturæ; ac proindè non esset reus; nam in naturalibus, nec meremur, nec demeremur. Itaque dicendum, quemlibet habere à Deo auxilium sufficiens ad vincendas tentationes, & ad non peccandum, &c.

Roboratur ex D. Thom. [in 1. sent. dist. 46. q. 1. art. 1.] ubi loquendo de Voluntate Divinâ salvandi omnes, & probare volens, quòd hujusmodi Dei voluntas non est otiosa, ac sterilis; sed actuosa, & sincera, ex quâ desiuunt media ad salutem necessaria, ait: *Hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promovendi in finem omnibus communiter propositæ, tàm naturalia, quàm gratuita*.

CONCLUSIO IV.

87. ADhuc Peccatoribus scelestissimis, excœcatis, & induratis dat Deus auxilium gratiæ sufficientis, quo possint, saltèm remotè, gravi resistere tentationi, & præcepta adimplere. Est Theologorum insigniorum assertio; Opinio autem contraria est prop. 5. inter damnatas ab Alexand. VIII.

88. Pro cujus intelligentiâ revocandum ex Theologiâ, quod Excœcatio mentis, & cordis induratio involuit duo: unum ex parte Creaturæ, nempè, voluntatem obstinatam, & contumacem in malo. Alterum ex parte Dei, ideſt, Gratiæ subtractionem; dicente D. August. [Epist. 194. aliàs 105. ad Sixtum cap. 3. n. 14.] *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam*.

per-

pertiendo miſericordiam.

89. Cor autem durum graphicè deſcribitur à D. Bernardo [lib. 4. de Conſider. cap. 2.] *Cor durum eſt ipſum, quod nec compunctione ſcinditur; nec pietate mollitur; nec movetur precibus; nimis non cedit; flagellis duratur; ingratum ad beneficia; ad conſilia infidum, &c.* Ad hunc ſtatum miſerrimum non ſtatim pervenitur, ſed pedetentim; proùt ſequitur Doctor Melliſluus, *Paulatim in cordis duritiem itur, & ex illâ in averſionem.*

Hìc non quærimus, quâ ratione peccata induratorum vetita ſint, & ipſis imputanda? Id enim ad Scholaſticam pertinet Theologiam, & parùm refert ad rem noſtram; ſed tantummodò aſſerimus, Deum nec excæcatis, & induratis Peccatoribus ſuum denegare auxilium, quo graves ſuperent tentationes, & impleant præcepta.

Diximus in Concluſione, *ſaltèm remotè*, ut indicemus, quòd pro loco, & tempore gratia eſt neceſſaria hujuſmodi peccatoribus; quùm, nempè, urget præcepti obligatio, vel gravis tentatio ad malum ſollicitat, Deus dat illis tantam gratiam ſufficientem, quâ poſſint, ſaltèm mediatè, impetrare auxilium uberius ad reſipiſcendum, ad tentationes ſuperandas, atque ad implenda præcepta.

RESERANTUR SCRIPTURÆ.

PRov. 1. v. 20. & ſeqq. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba ſua dicens: uſquequò parvuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt nocua, cupiunt; & imprudentes odibunt ſcientiam? Convertimini ad correptionem meam: En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea. Quia vocavi, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quùm vobis id, quod timebatis, advenerit.*

Sap. 11. v. 24. *Miſereris omnium, quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.*

Et cap. 12. v. 1. *O quàm bonus, & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris; ut relicta malitia, credant in te, Domine. Non eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus; ut oſtendas, quoniam non injuſtè judicas judicium.*

Et v. 20. *Si enim inimicos ſervorum tuorum, & debitos mortis cum tantâ curaſti attentione, dans tempus, & locum, per quæ poſſent mutari à malitiâ; cum quantâ diligentiâ judicaſti filios tuos?*

Ezechiel. 33. v. 11. *Sic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, quomodò ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ, & vivat. Convertimini, convertimini à viis veſtris*

Digitized by Google

ſtris peſſimis, & quare moriemini?

Sanè ea exhortatio: *Convertimini, Convertimini*, videretur illuſoria; ait Bellarm. [lib. 2. de grat. & lib. arbitr. cap. 5.] niſi Deus dediſſet illis vires, quibus converti poſſent; at non fuiſſe irriſoriam, aut ironicam exhortationem, teſtatur juramentum illud: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii*. Niſi fortè quis vellet cum Janſenio [lib. 3. de grat. Chriſti cap. 6.] horrendam proferre blaſphemiam: *Nihil aliud fuiſſe Teſtamentum vetus, niſi magnam quamdam quaſi Comœdiam*. Quaſi ſimulaverit Deus, ſe velle peccatorum converſionem, quam reipſa nolebat.

2. Petri 3. v. 9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*.

Alia, & quidèm innumera, hac de re paſſim occurrunt Scripturæ oracula, quæ ultrò prætermittimus, nè prolixiorem faciamus Sectionem.

MOMENTA SS. PATRUM.

DIvus Aug. [in Pſalm. 6. n. 8. ad hæc verba ad Roman. 1. v. 28.] *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum*. Ait: *Ea eſt cæcitas mentis: in eam quiſque datus fuerit, ab interiori Dei luce ſecluditur; ſed nondum penitùs quùm in hac vitâ eſt. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitùs extrà Deum ſit, quiſquis, dum tempus eſt, corrigi noluerit. Penitùs autem eſſe extrà Deum quid eſt, niſi eſſe in ſummâ cæcitate .... Hujus iræ inchoatio eſt, quam in hac vitâ patitur quiſque peccator*. Itaque S. Doctor agnoſcit excœcatos, & induratos *ab omni penitùs Dei luce in hac vitâ ſecluſos non eſſe*: nec perfectam, ſeù conſummatam hic dari excœcationem, ſed tantùm inchoatam.

D. Thom. [quæſt. 24. de Verit. art. 11. in corpore] *Induratus eſt ille, qui non de facili poſſit cooperari ad hoc, quod exeat de peccato. Et hæc eſt obſtinatio imperfecta; quia aliquis poteſt eſſe obſtinatus in ſtatu viæ, dum ſcilicet habet ità firmatam voluntatem in peccato, quòd non ſunt motus ad bonum, niſi debiles*. Non ait Angelicus Doctor, nullos in illis motus ad bonum excitari, ſed tantum *debiles*. Et certè, ſi ſupponantur inter mortales aliqui, qui ad eum excœcationis, & indurationis cumulum devenerint, ut nè tenui quidèm cœleſti rore unquàm aſpergantur; neceſſe eſt agnoſcere, quoddam hominum genus certum, ac fixum, quorum ſalus in hac vitâ omninò ſit deſperata. Verùm communis eſt Theologorum ſententia, ac SS. PP. vox, neminem planè deſperatum hìc vivere; atque ſemper unicuique affulgere ſpem aliquam melioris vitæ, ac ſalutis.

Idem [3. p. q. 68. art. 1. in corp.] *Dicere, quòd aliquod peccatum ſit in hac vitâ, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. 1. Quidèm, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. 2. Quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccato-*

Digitized by Google

catoris ad pœnitendum.

Idem (q. 24. de Verit. art. 11.) *Quòd aliquis homo non possit esse, ità obstinatus in malo, quin ad suam liberationem cooperari possit, ratio patet ex dictis; quia & passio solvitur, & reprimitur, & habitus non totalitèr animam corrumpit, & ratio non ità pertinacitèr adhæret falso, quin per contrariam rationem possit abduci.*

S. Prosper (lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 21.) *Credimus, nulli homini opem gratiæ in totum fuisse subtractam.*

D. Chrysost. (homil. 7. in verba Joan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) inquit. *Illuminat profectò quantum in ipso est. Si qui autem sponte suâ, mentis oculis conniventibus, ad hujus loci radios aciem dirigere nolucrunt; non ex luminis naturâ in tenebris perstiterunt, sed ex malitiâ suâ, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam Gratia in omnes diffusa est: non Judæum, non Græcum, non Barbarum, non Schytam, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non senem, non juvenem excipit, aut dedignatur..., Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputent; quùm enim detur omnibus, omnibus pateat, & à nemine prohibeatur; perditi quidam, & nequam homines propriâ dumtaxat malitiâ ingredi recusant.*

OCCURRUNT RATIONES.

I. EX Ledesma (de auxiliis q. unica, art. 16.) Certum est, secundùm fidem, quòd non est peccatum, neque tribuitur culpæ, quod non est in hominis liberâ potestate. At verò si Deus non conferret auxilium sufficiens adhuc excœcato, non esset in ejus potestate resistere gravi tentationi, & non peccare; quùm auxilium sufficiens virtutem tribuat, & potestatem. Ergò certissimum est, quòd Deus unicuique conferat auxilium sufficiens, &c.

II. Ab Alvarez (lib. 11. de auxiliis disp. 112.) Quilibet Peccator, & si excœcatus, & obduratus, quamdiù est in hac vitâ, si non adimplet præcepta, peccat. Ergò habet auxilium sufficiens ad obsistendum tentationibus, atque ad præcepta servanda; aliàs homines obligarentur ad impossibile; quod est falsum: Nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest.

III. Ex Vega (Opusc. de justific. q. 13. conclus. 5.) Contrà bonitatem, & clementiam Dei ineffabilem est dicere, imputari ab ipso ad novam pœnam, quod ab agente vitari non potest. Nemo ergò peccat novo peccato, qui est in aliquo mortali, si privatus sit Divino auxilio necessario ad non peccandum, atque eâ ratione transgreditur aliquod mandatum. Ergò semper Peccator potest implere præcepta Dei: neque unquam propter delicta præcedentia, quantumcumque sint gravia, est ei impossibile ea servare. Ad ostium enim nostræ voluntatis stat semper Deus, & pulsat, paratus adjuvare omnes ad suorum observantiam præceptorum.

IV. Peccator quantumvis excœcatus, & obduratus, si cedit, & suc-

Digitized by Google

ſuccumbit tentationi, peccat. Ergò reſiſtere poterat; atqui reſiſtere nequit, niſi Divino ſuffultus auxilio verè ſufficienti ad reſiſtendum. Ergò habet à Deo tale adjutorium. Ant. eſt certum apud ſanam Theologiam. Conſequentia ſequitur; nemo enim peccat in eo, quod cavere non poteſt; ut cum D. Auguſt. fatentur omnes Catholici. Min. ſubſumpta eſt de fide. Itaque concludere debemus, Deum nemini, adhuc ſceleſtiſſimo, excœcato, & indurato, negare auxilium verè ſufficiens, quo poſſit & tentationi reſiſtere, & cavere peccata, & adimplere præcepta.

RESPONDETUR OBJECTIS CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM.

I. QUacumque urgente tentatione gravi, homo rationis compos, ſi conſentiat, peccat, & quidem gravitèr, ſi materia eſt gravis. Ergò ex vi liberi arbitrii poteſt tùm phyſicè, tùm moralitèr non conſentire tentationi, ſaltèm non peccando. Ant. eſt indubitatum. Conſequentia liquet: Nam ex Riccardo à S. Victore (lib. de Statu primi hominis cap. 3.) *Liberum arbitrium non patitur Dominum, nec pati poteſt; quiâ violentiam inferre ei, nec Creatorem decet, nec Creatura poteſt totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ ſceleſtis exercitus ſi in unum concurrat, unus ex libero arbitrio conſenſus, in qualicumque re invito extorqueri non poteſt.*

Confirmatur. Tentatio non infert voluntati neceſſitatem aliquam, nec quoad ſpeciem, nec quoad exercitium. Ergo poteſt vel ſuſpendere actum conſenſus, vel contrarium elicere actum.

90. R. Non requiritur Divinum auxilium, ut homo poſſit phyſicè non peccare; ſed ut de facto non peccet. Nemo ſiquidem peccat, qui non ſit liber ad non peccandum. At cum potentiâ phyſicâ poteſt reperiri impotentia moralis ad reſiſtendum gravi tentationi, ratione cujus impotentiæ homo ſuccumberet vehementi tentationi, niſi ſpeciali juvaretur auxilio. Profectò eſtò reſiſtentia non ſit quid ſupernaturale quoad ſubſtantiam, nec excedat potentiam phyſicam agentis naturalis; attamen ſuperat agentis liberi vires, jam infirmas, & fractas ex peccato; idcircò opus eſt, ut Dei fulciatur auxilio ſpeciali, & verè ſufficienti, nè ſuccumbat ſub tentationis pondere gravatus.

Ad confirm. dico, tentationem gravem inferre voluntati quamdam neceſſitatem moralem, in ſenſu mox explicato, nimirùm, propter infirmitatem naturæ lapſæ, & inclinationem ad bona ſenſibilia repugnantia rectæ rationi: atque propter magnam debilitatem Intellectus in fortitèr apprehendendis rationibus ſuadentibus bonum amplexandum; & ipſius Voluntatis in iiſdem ſequendis contra ſenſum rebellem.

Inſtabis: Quòd non eſt phyſicè impoſſibile, ſed tantùm moralitèr, non eſt ſimplicitèr impoſſibile, ſed potiùs dici debet difficile; ideòque contingere poteſt, interdùm

Digitized by Google

evenire contrarium. Hinc Ariſtoteles [1. de Cœlo cap. 11.] diſtinxit Impoſſibile dupliciter: *aut quia fieri non poteſt: aut quia non facilè, nec citò, nec benè fieri poteſt.* Illud autem dicitur impoſſibile priori modo alicui cauſæ, quod non continetur in ejus potentiâ phyſicâ; quandò autem talis potentia non deeſt, quàmvis dicatur impoſſibile moraliter, reverà tamen eſt ſolùm difficile; ideòque non ſimpliciter repugnat oppoſitum interdùm evenire. Ergò ſi voluntatis impotentia ad vincendam tentationem gravem eſt ſolùm moralis, eſt dumtaxat quædam difficultas. Ergò &c.

91. Reſpondet magnus Suarez [de Grat. part. 1. cap. 24. n. 31.] Etiam in latitudine impotentiæ moralis eſſe poteſt aliquid de objecto ſimpliciter impoſſibili; idèſt, quòd numquam contingat à tali cauſâ ſibi permiſſa evenire. Undè non ſemper impoſſibile phyſicè, & moraliter in hoc diſtinguuntur, quòd illud numquàm evenit, hoc autem interdùm accidere contingit: ſed formalis differentia in præſenti materia eſt, quia ad primum impoſſibile non eſt in agente potentia phyſica; ad poſterius autem impoſſibile non deeſt phyſica potentia, & nihilominùs effectus, ſeù objectum tot poteſt eſſe affectum difficultatibus, ut numquam fiat à tali potentiâ uniformiter, & ſinè defectu, niſi vel potentia juvetur, vel difficultates tollantur. Quandò verò tale eſt hoc impoſſibile, ut nunquàm à tali cauſâ ſic affectâ eveniat, dicitur reſpectu illius ſimpliciter impoſſibile; abſoluta namque poſſibilitas non dicitur reſpectu cauſæ phyſicæ nudè ſumptæ, ſed ut ſpectatæ circumſtantiis, ſinè quibus nunquàm ità operabitur.

Declaratur exemplis. Impoſſibile eſt, juxtà Chriſti ſententiam, quin aliquandò eveniant ſcandala; & tamen ſcandalum non datur, niſi per actionem liberam, & peccaminoſam; proùt declarant verba à Domino ſubjuncta (Matth. 18. v. 4.) *Væ autem homini illi per quem ſcandalum venit.* Non deeſt ergò potentia phyſica ad vitandum quodlibet ſcandalum, ſed neceſſitas illa eſt impotentia, tantummodò moralis: & nihilhominùs eſt talis, ut nunquàm deficiat.

Divus quoque Hieronymus (in Epiſt. ad Creſiphontem) illud cenſet eſſe ſimpliciter impoſſibile, cujus oppoſitum numquam evenit, etiamſi per actus phyſicè poſſibiles, & liberos poſſet evitari; ut eſt hominem numquàm peccare. Quod repetit (lib. 3. contrà Pelagianos) *Hoc & nos dicimus, poſſe hominem non peccare, ſi velit.* En potentia phyſica. *Pro tempore, pro loco, pro imbecillitate &c. ſic humana conditio ſi paululùm remiſcrit, dicit fragilitatem ſuam, & multum ſe non poſſe cognoſcit.* En impoſſibilitas moralis. *Nec quia ad breve poſſum*; utique etiam moraliter; *cogis me, ut poſſim jugiter*: utique moraliter; *Poſſum jejunare, vigilare, &c. numquid in perpetuum?*

Multa ergò abſolutè, & indefinitè ſumpta, ſunt ſimpliciter impoſſibilia; non quia deſint cauſæ phyſicæ, à quibus provenire poſſunt, ſed quia nunquam à talibus cauſis integrè (ut ità dicam) & totaliter eveniunt, propter earum inconſtantias, vel impedimenta, quæ in unâ, vel aliâ occaſione non deſunt. Sic non deeſt in manu poten-

Digitized by Google

tentia physica, ut describendo circulum faciat illum perfectum; nunquàm tamen ità illum perficit, nec est possibile, moralitèr loquendo, quin in unâ, vel aliâ parte deficiat. Paritèr non est physicè impossibile, sæpiùs jactatis tesseris, eosdem semper reddere numeros, eamdemve figuram; moralitèr tamen est impossibile simplicitèr, ideſt, quòd numquam sic continget; quia conditio rei contingentis, & fortuitæ id non patitur.

Ad hunc modum dicimus, esse moralitèr impossibile vincere gravem tentationem solâ libertate in hoc statu naturæ lapsæ. Estò namque non desit libertas, etiamsì Gratia deserat hominem; nihilominùs est ità impotens ad sic resistendum gravi tentationi, ut non contingat id facere constantèr, & sine peccato. Quæ doctrina laudati Suarez est valdè notanda, & multum deserviet pro confutandis Pseudo-Mysticorum erroribus.

II. Non majores requiruntur vires ad resistendum gravi tentationi, ac ad subeunda quæque difficillima propter honores assequendos, divitias comparandas, & concupiscentias explendas. Hæc autem passim sustinent homines viribus propriis. Ergò pari ratione resistere possumus gravi cuique tentationi, absque ullo Gratiæ subsidio.

℟. Nego paritatem. Etenim motiva sensibilia grata sunt, & jucunda sensui, & voluptati hominis; propterea multò fortiùs movent, quàm motiva honesta, & purè spiritualia, quæ interdùm sensuum voluptati adversantur. Audiamus quomodò huic argumento satisfaciat D. August. [lib. de Patient. cap. 17.] *Qui hæc dicunt, non intelligunt, & quemque iniquorum tantò esse ad quæcunque mala perferenda duriorem, quantò in eo est major cupiditas Mundi: & quemque justorum tantò esse ad quæcumque mala perferenda fortiorem, quantò in eo est major charitas Dei. Sed cupiditas Mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis. Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Unde S. Doctor infert, patientiam Mundi esse ex nobis; sed patientiam justorum esse ex Deo.

Urgebis. Quamvis affectus efficax non peccandi simplicitèr esse nequeat, nisi ex charitate; affectus tamen non peccandi in hac occasione, & in hoc genere peccati, esse potest sine charitate, & absque alio motivo supernaturali, sed ex solo affectu alicujus virtutis naturalis, putà, Castitatis, Justitiæ, &c. qui affectus potest esse à nobis; ut loquuntur Theologi. Ergò saltèm quoad hoc procedit paritas allata.

℟. & Laudatus Suarez [ibid. n. 39.] Etiam in hoc adest, cum proportione, assignatum discrimen. Affectio namque voluntatis ad temporalia, & sensibilia bona propter humanum commodum, incipit à cupiditate sensibili, & fit suavis ex delectatione etiam sensibili, & ideò facilè firmatur consuetudine. Siquidèm ex D. August. (lib. de Patient. cap. 24.) *Quandò voluntas sub cupiditate rapitur, quantò jucundius æstimat, quod habere, vel conservare appetit, tantò tolerabiliùs profert, quod minus sibi est ad perferendum, quàm aliud ad patiendum. Quidquid enim illud est, ex creatu-*

Digitized by Google

ra eſt, cujus nota voluptas eſt; quodammodò enim familiari cõtactu, atque connexu ad experiendam ejus ſuavitatem adjacet amanti Creaturæ amata Creatura. Deindè proſequitur [cap. 25.] *Voluntas autem Creatoris, de quâ ſcriptum eſt: Torrente voluptatis tuæ potabis eos; alterius generis eſt, &c.*

Hoc idem nos dicimus de voluntate vitandi peccatum, & reſiſtendi gravi tentationi ex affectu honeſtatis: nempè, talis affectio non incipit ex ſenſu, nec ſenſu percipitur; imò ordinariè ſenſui repugnat. Hinc rara eſt talis affectio ex vi ſolius naturæ, nec firmatur conſuetudine, nec fit ſuavis abſque interventu gratiæ; ac proindè per ſe non ſufficit ad vincendam gravem tenaationem ſine ejuſdem gratiæ auxilio. Videatur S. Auguſt. [lib. 2. de Peccator. merit. cap. 17. & lib. 2. contrà duas Epiſt. Pelag. ac de Spirit. & lit. cap. 3.]

III. Nulla gravior tentatio, quàm mortis imminentis; etenim ex Tertull. (lib. de animâ cap. 52.) *Et ſi varii ſint exitus vitæ, nullus ita levis eſt, ut non vi agatur.* Atqui poteſt homo naturalitèr vincere tentationem mortis; quales fuere inter Romanos nonnulli, qui ſe pro ſalute Patriæ morti conſtantèr devovere: quales etiam ſunt Hæretici, aut Schiſmatici, qui pro ſuis erroribus mortem ſuſtinent ſolis naturæ viribus, & humanis inducti motivis. Ergò.

R. Mortis tentatio, ſeù formido ſuperatur aut ex motivo vanæ gloriæ, oſtentationis, cupiditatis: aut ferocis cujuſdam pertinaciæ, ad Nominis gloriam, vel Sectæ propagationem: quæ victoria vitiatur ex motivo, & pravo fine; docente D. Auguſt. (lib. 1. Oper. Imperfecti contrà Julian. cap. 83.) *Fortitudinem Gentilium, mundanæ cupiditas: Fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit.* Vel ſi ex motivo honeſto, ac laudabili Infidelis, aut Hæreticus, vel Schiſmaticus morti ſe objiciat ad Patriæ ſalutem, aut alicujus veritatis defenſionem, id exequitur opus tàm difficile, tàmque arduum Dei auxilio. Ità S. Auguſt. (lib. de Patientia cap. 28.) ubi donum illud Gratiæ ait eſſe, *non Filiorum, & Hæredum, ſed Exhæredatorum*: ideſt, quod ipſis prodeſt, non ut promoveantur ad regnum Cœlorum, ſed ut mitius puniantur propter alia peccata.

92. Profectò S. Doctor [eodem lib. cap. 17. n. 14.] diſtinguit patientiam, quæ eſt ex concupiſcentiâ, ab eâ, quæ eſt ex Gratiâ, his verbis: *Concupiſcentia, quæ non eſt ex Patre, ſed ex Mundo, quantò fuerit in homine vehementior, & ardentior, tantò fit quiſque pro eo, quod concupiſcit, omnium moleſtiarum, dolorumque patientior..... Non eſt iſta deſurſum deſcendens... illi falſæ patientiæ poteſt ſine adjutorio Dei humana voluntas ſuffitere, tantò durior, quantò cupidior, & eò tolerabiliùs mala ſuſtineus, quò ipſa fit pejor. Huic autem, quæ vera patientia eſt, ideò voluntas humana, niſi deſuper adjuta, & inflammata, non ſufficit, quia Spiritus Sanctus eſt ignis ejus.*

IV. D. Thom. (in 2. diſt. 28. q. 1. art. 2.) docet, hominem ſinè gratiâ poſſe vitare omnia mortalia peccata, eſtò difficilè. Ergò Angelicus Doctor cenſet, hominem poſſe utique ſuperare omnes graves tentationes.

R.

Digitized by Google

R. & Estius (in 2. dist. 26. §. 44.) S. Thomam hæc, quæ scripsit super sententias ex receptis, ac vulgatis suo tempore opinionibus, & re nondum satis diligenter excussa, tacitè retractasse in scriptis posterioribus, quibus expresè contrarium docet. Loca sunt. [lib. 3. contrà Gentes cap. 160.] De Veritate q. 24. art. 12.] 1. 2. q. 63. art. 2. ad 2.] ac denique ex professo eadem parte q. 109. art. 8.

V. Ad vincendam tentationem gravem, sæpè non est necessarium aliquid agere, sed sufficit non agere; ut quandò tentatio est contrà præceptum negativum; tunc enim neque concursus generalis est necessarius. Ergò multò minùs erit necessarium auxilium speciale.

93. R. Quidquid sit de antecedenti, de quo ex professo Dissert. seq. Sect. 2. nego consequentiam. Quia auxilium speciale necessarium ad vincendam tentationem, est antecedens, seù præveniens voluntatem, ut non consentiat, positivè volendo non operari, tunc prius datur auxilium speciale ad non consentiendum, quàm concursus generalis ad illam voluntatem. Quamvis ergò fingamus, voluntatem contineri per puram suspensionem actus, adhuc necesse est, ut præcedat auxilium speciale, quod absolutè datur ad confortandum hominem, nè consentiat: quocumque modo id facere, seù non facere possit, aut debeat. Illud autem auxilium potest esse sinè concursu, aut per aliam negationem, ideſt, non permittendo, ut tentatio crescat: vel etiam per passivam actionem ex parte Intellectus, immittendo aliquam efficacem considerationem, quæ contineat voluntatem: aut in voluntatem ipsam immittendo timorem, vel quid simile: quod non sit proprius actus humanus, sed quasi passio quædam immissa à Deo apta ad continendam voluntatem; quocumque modo consensum suum contineat.

CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

I. ADversarii, non unum, aut alterum objiciunt testimonium, sed ea omnia tùm S. Scripturæ, tùm Conciliorum, tùm SS. PP. oracula, quibus priorem ostendimus Conclusionem. Illis enim omnibus significari videtur, Divinum auxilium esse absolutè necessarium ad superandas quaslibet tentationes, etiam leves: earumque victoriam soli Deo adscribendam.

R. 1. Ideò tentationum victoria adscribitur Deo; non quòd leviſſima aliqua tentatio superari nequeat viribus naturæ; sed quia universum tentationum agmen, sine speciali Dei subsidio vinci non potest.

R. 2. Concilia, & Patres loqui de resistentiâ, quæ fiat per victoriam provenientem ex charitate, seù ex affectu Divini amoris, & conducentem ad gloriam assequendam æternam; non verò de resistentiâ ex motivo morali naturali, seù propter solam honestatem.

94. R. 3. Omnes textus ibi allegati intelliguntur de tentationibus gravibus. Vel de levibus collectivè sumptis: in quo sensu non sufficiunt naturæ vires. Imò etiam divisim,

visim, non possumus aliqui, etsi levi tentationi, jugiter resistere, saltèm absque peccato levi, nisi Divinum adsit auxilium.

II. Christus Dominus docuit nos orare: *Nè nos inducas in tentationem.* Ergò victoria tentationum est Dei beneficium. Siquidèm ex D. August. [lib. de Perfect. Just. cap. ult.] *Ut quid petam à Domino, quod in meâ posui potestate? Sed absit, ut hoc sapiat, qui sanum sapit.*

℟. 1. Non rectè oramus, nedùm ut tentationibus resistere valeamus propter honestatem morarem, sed etiam ut vincere possimus cum proventu ad vitam æternam. Si quis enim peteret à Deo tentationum victoriam, excludendo illum proventum, non rectè oraret.

℟. 2. Idcircò nos congruè petimus à Deo tentationum victoriam, quia non possumus, ut dicebamus, diù resistere absque speciali Dei auxilio. Quo sensu D. Greg. [in Psalm. 5. Pœnitential.] ait: *Quoniam sancta anima omni tempore intelligit sibi imminere pericula, etiam momento temporis non potest esse secum; & ideò Deum deprecatur, ut nec ad horam ab illâ recedat.*

CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM.

I. SAnctus Petrus fuit justus eo ipso tempore, quo abnegavit Christum: Atqui S. Petro tunc, vel omninò defuit gratia, vel saltèm non fuit relativè sufficiens, ut posset gravissimæ tentationi mortis resistere, & Christum non negare. Ergò non datur justis omnibus gratia sufficiens, &c. Major probatur. Nam [Joann. 13. v. 10.] postquam Christus Jesus lavit pedes Apostolorum suorum, ait D. Petro: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes*; excipiendo Judam, à quo se tradendum noverat. Hoc idem testantur SS. PP. D. August. [serm. 127. de tempore n. 149.] D. Hieronym. [in cap. 14. S. Matth.] S. Hilar. [cap. 30. in Matth.] D. Basil. [homil. de Humilitate n. 4.] & alii.

Min. etiam constat ex D. Aug. [serm. 124. de tempore n. 79. serm. 296. alias 106. de diversis. serm. 4. de Jacob. & Esau. Tract. 92. in Joann. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 17.] S. Chrysost. [homil. 72. in Joann. Homil. 34. in Matth. Homil. 31. in Epist. ad Hæbr.]

℟. Nego major. Quùm enim S. Petrus exteriùs abnegavit Christum, jam exciderat à justitiâ interno peccato superbiæ, ac præsumptionis. Ità sentiunt D. August. [serm. 284. sermo 285. lib. 14. de Civit. cap. 13.] S. Chrysost. [homil. 93. in Matth. homil. 72. in Joann.]

Ad primam probationem majoris negatæ, dico, S. Petrum cum cæteris Apostolis (solo proditore excepto) justum, ac mundum fuisse, dum Christus, suo ipsis corpore distributo, dixit: *Vos mundi estis.* At ab illâ sanctitate, & justitiâ paulopòst ex præsumptione, ac superbiâ delapsus est. Lustrentur SS. PP. præcitati, & benè perpendantur, quia nobiscum sentiunt.

95. Ad minorem argumenti principalis distinguo: Non data S. Petro Gratia efficax, concedo:

Digitized by Google

do: Gratia ſufficiens, iterùm diſtinguo: per quam poſſet proximè, & immediatè illi tentationi, & Chriſtum non negare, conc: per quam id poſſet remotè, ideſt, per orationem, impetrando uberius Dei auxilium, nego. Itaque S. Petrus lapſus eſt in præſumptionem, ac ſuperbiam, in quam poterat non labi; dùm ter Chriſtum negavit, poterat non negare; recurrendo, ſcilicet, ad orationem, ad quam ex datâ gratiâ recurrere poterat, & debebat. Noverat D. Petrus ex fide, neceſſarium planè eſſe Dei auxilium, ut reſiſtatur tentationi; ſciebat ex conſcientiâ propriæ infirmitatis, impares eſſe vires ſuas ad ſuperandam graviſſimam mortis tentationem; neglectâ tamen voce, tùm fidei, tùm propriæ conſcientiæ, non confugit ſupplex ad Deum, ſicut poterat, & oportebat; ipſius ergò culpa fuit, quòd uberiorem non perceperit Dei gratiam. Deſertio igitur S. Petri conſequens fuit, non antecedens: *Deſeruit, & deſertus eſt*; proùt loquuntur Div. Auguſt. [lib. de Corrept. & Grat. cap. 9.] & D. Chryſoſt. [homil. 83. in Matth.]

Inſtabis. S. Chryſoſt. [homil. citata 31. in Epiſt. ad Hebr.] ait: *Petri negatio, non tam erat ſocordiæ, ac negligentiæ, quàm ex eo, quòd Deus eum deſeruerat*. Ergo.

96. R. diſt. ant. Non tam erat ſocordiæ timidæ, conc. tumidæ, & inflatæ, nego. Duplex in D. Petro diſtingui poteſt genus ſocordiæ: unum ex præſumptione, ac ſuperbiâ; alterum ex timore. Quùm Chriſtus ipſi prædixit futurum, ut ter ab eo negaretur, neglexit Sanctus Petrus petere divinam gratiam, & Deum rogare, ut averteret à ſe hujuſmodi crimen: quam *ſocordiam* appellamus *tumidam, atque inflatam*; quia eſt animi inſolentèr præſumentis de ſuis propriis viribus; & hæc ſocordia cauſa fuit deſertionis Divinæ. Quandò verò Petrus ad Ancillæ interrogantis vocem negavit Chriſtum, fuit in ipſo *ſocordia timida*, ideſt, hominis trepidantis, ac timentis mortem. Et de hac ſocordiâ loquitur S. Chryſoſtomus. Itaque Deſertio Divina fuit media inter geminam Petri ſocordiam: inter priorem, Chriſto futurum caſum prædicente; & poſteriorem, Ancillâ interrogante. Divus ergò Petrus negavit Dominum, quia timuit: ſed timuit, quia caruit Gratiæ robore: caruit autem, quia præſumpſit.

Urgebis. Ipſe Chriſtus Petro dixit [Joan. 13. v. 36.] *Non potes me ſequi modò, ſequeris autèm poſteà*. Ergò tunc impoſſibile fuit Petro reſiſtere tentationi &c.

R. Nego conſequentiam. Neque enim tunc impoſitum fuit Sancto Petro præceptum moriendi pro Chriſto. Undè D. Aug. [ſerm. 296. aliàs 106. de diverſis] inquit: *Hæc pro ſervo Dominus erat facturus, non ſervus pro Domino*. Immeritò igitur hæc Chriſti verba referuntur contra poſſibilitatem reſiſtendi tentationi, & adimplendi Dei præcepta, quùm ibi non agatur de præcepto moriendi pro Chriſto: Equidèm & de viribus propriis, inſolentèr non præſumere, & Chriſtum non negare, tenebatur Sanctus Petrus ex præcepto humilitatis, & charitatis: utroque autem præcepto, ut exequi poſſet, ſufficientes ex gratiâ habebat vires.

Non quieſces. Dum S. Petrus de

de viribus suis nimiùm præsumpsit, ac Christum subindè negavit, non habuit sufficientem, & proximam, etiam ad orandum, potentiam. Nam, ut quis sit potens orare, habere debet judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ, ac necessitatis majoris gratiæ impetrandæ. At qui præsumit de viribus propriis, non habet tale judicium practicum. Ergò is non est proximè potens orare.

97. R. Nego ant. Ad prob. nego maj. Quia hoc judicium practicum constituit hominem, non solùm in potentiâ proximâ ad orandum, sed in oratione actuali; hinc immeritò afferitur, illud judicium practicum esse prærequisitum, ut homo proximè potens sit ad orandum.

II. Sine gratiâ efficaci nihil omninò boni, quod ad veram pietatem pertineat, justus facere potest. Ergò justis instructis solâ gratiâ sufficiente, absente efficaci, Dei præcepta dici possunt, & sunt impossibilia. Ant. probatur ex verbis Christi [Joann. 6. v. 43.] *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Priusquàm ad hoc, & alia hujusmodi testimonia respondeamus, nonnulla generatim observasse juvat.

I. Adversariis hoc unum incumbit probandum: sine gratiâ efficaci, ad sensum Jansenii, seù absque delectatione superiore, justum nihil prorsùs in ordine ad salutem posse operari. Verùm ex omnibus, quæ nobis opponunt, Scripturæ oraculis, nec unum quidèm mentionem facit delectationis superioris. Ergò testimonia hæc ad rem nostram præsentem non attinent.

II. Si indefinitè, & absque ulla limitatione, hæc sumantur testimonia, excludunt etiam gratiam sensu Thomistico sufficientem: quam tamèn Janseniani videri volunt admittere. Ratio est in promptu; quia Thomistæ per gratiam sufficientem, absente efficaci, agnoscunt veram, & propriam conferri potentiam ad opus bonum supernaturale: quam tamèn negant ea testimonia, si in rigore sumantur.

III. Arguunt in homine impotentiam, non solùm moralem, sed & physicam ad bonum, absente gratiâ efficaci. Id enim & verba, & maximè exempla petita ex rebus physicis, quibus Adversarii utuntur; puta, luminis ad videndum, penicilli ad pingendum, &c. demonstrant. Ergò immeritò nobis opponunt hujusmodi testimonia; saltèm ii, qui molliori vocabulo, ac sensu prorsùs eodem, dumtaxàt impotentiam agnoscunt moralem in homine destituto gratiâ efficaci.

IV. Vel illa testimonia excludunt veram antecedentem relativè potentiam; vel non excludunt? Si primùm, quomodò, qui nobis hìc adversantur, fingere possunt se admittere per solam gratiam parvam, veram, & antecedentem potentiam? Si verò talem potentiam non agnoscunt, quomodò censuram primæ propositionis Jansenii possunt effugere? Si secundùm, frustrà prorsùs nobis opponunt illa testimonia, quasi excluderent veram antecedentem relativè potentiam.

Jam ad argumentum. Nego ant. Ad prob. ductam ex verbis Christi R. Ex iis tantùm evincitur, generatim esse necessariam gratiam prævenientem ad singulos pietatis actus. Porrò verbum *trahere*, non

aliud

Digitized by Google

aliud hìc significat, nisi quod gratia voluntatem, non voluntas gratiam præveniat; sicut opinabantur Semipelagiani, qui asserebant, frustrà velle Deum hominem juvare, nisi voluntas affectu quodam naturali gratiam præveniat, ac promereatur.

Instabis. Eodem cap. 6. Joan. Christus ait: *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Quibus verbis gratiam significari efficacem per se clarum est.

℟. Gratis omninò supponit Arnaldus, cujus est argumentum, verba relata unicè intelligenda de Gratiâ efficaci. Equidèm, si Christus diceret, quod Arnaldus de suo fingit, nempè: *Nisi ei datum fuerit venire*, proculdubiò gratiam exprimeret efficacem; at Christus solùm dixit: *Nisi ei datum fuerit*, nec addidit, *venire*. Undè istud, *datum fuerit*, rectè intelligitur generatim de necessitate gratiæ prævenientis, sine quâ homo nihil boni potest. Hìnc sic arguimus contrà ipsum Arnaldum. Eodem modo (ipsomet judice) intelligi debent verba Christi: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, ac istà: *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo*. Atqui postrema hæc verba non debent necessariò, & unicè intelligi de Gratia efficaci; sed rectè intelligi possunt generatim de Gratia præveniente omninò necessaria ad quemlibet veræ pietatis actum. Ergò. Hæc minor est D. Augustt. [lib. 4. ad Bonifac. cap. 6. n. 13.] ubi arguit contrà Pelagianos hujus gratiæ hostes.

Replicat Arnaldus. Bellarminus [lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 12.] docet, repugnare Scripturæ eos, qui prælaudata verba Christi de aliâ interpretantur gratiâ, quàm de efficaci. *Nam*, inquit, *tametsi piè credamus, omnibus dari pro loco, & tempore auxilium sufficiens, quo possint credere; tamen Scriptura docet, reipsa non credere, nisi illos, qui habent auxilium efficax, quo fit, ut homo non solùm possit credere, sed etiam credat: & hoc auxilium non omnibus dari.*

℟. Nego ant. Siquidèm Bellarm. exponit sanè Christi verba de Gratiâ efficaci; at non negat, nec improbat ea etiam intelligi de Gratiâ sufficiente. Itaque tantus Doctor solùm impugnat eos, qui admittunt tantùm Gratiam sufficientem generalem in omnibus æqualem, rejectâ Gratiâ efficaci, ac sine ullâ speciali Dei ergà electos dilectione, ac providentiâ. Videatur cap. 8. ejusdem libri; imò & ipsum caput 12. claris oculis perlegatur. Et quamvis Bellarm. [loco citato] dixerit: *piè credi dari gratiam sufficientem*; non indè benè infert Arnaldus, Bellarminum ad piam dumtaxàt opinionem referre extensionem, seù distributionem gratiæ sufficientis omnibus hominibus pro loco, & tempore. Nam idem Bellarm. [lib. 1. de Grat. & lib. arbitr. cap. 11.] satis egregiè probat, existentiam illius gratiæ pertinere ad dogma Fidei.

III. Concilia statuunt adversùs Pelagianos, sine gratiâ nihil boni fieri posse. Atqui non aliam statuunt esse gratiam, quàm efficacem. Ergò sine istâ nil boni fieri potest.

℟. Nego min. Hoc unum Concilia definiunt adversùs Pelagianos, Gratiam generatim esse necessariam; itaùt sine illâ homo nihil boni velle possit, aut incipere, aut

Digitized by Google

perficere. Undè fallax est argumentum: Concilia statuunt nihil boni fieri posse sine gratiâ; ergò non aliam agnoscunt gratiam, quàm efficacem. Perindè est, ac si quis argueret: Concilia statuunt, nihil boni fieri posse sine gratiâ interiori; ergò non aliam agnoscunt gratiam, quàm interiorem. Falsa prorsùs consequentia; etenim est necessaria gratia exterior; *fides quippè ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. [ad Rom. 10. v. 17.] Paritèr ergò agnoscenda est Gratia, & sufficiens, & efficax.

IV. Innoc. I. [in Epist. ad Africanos] ait: *Quotidiana præstat ille remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenùs vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eodem iterùm non adjuvante vincamur*. Hoc idem firmat Cœlestinus [Epist. ad Gallos cap. 6.] S. Leo [serm. 8. de Epiphania] & alii Summi Pontifices, qui loquuntur de Gratiâ efficaci.

R. Ex jam dictis aperta est horum testimoniorum solutio. Profectò Innocentius tria dicit: I. *Sine gratiâ vinci non posse humanos errores*; contrà Pelagianos. II. *Deo auxiliante nos vincere*, quod nullus inficiatur Orthodoxus; quoties enim bona agimus, Deus nobiscum, ut operemur, operatur. Et hæc est Gratia efficax, seù actionis, & operis, quam ultrò profitemur. III. Addit, *Necesse esse, ut Deo non auxiliante, vincamur*; quibus verbis rursùs confirmat gratiæ necessitatem. At non ait Innocentius, quòd sine illo auxilio, quo vincimus, vincere non possimus; sed tantùm nos vincere non posse sine Dei auxilio, qui quùm vincimus, præstat auxilium, ut vincamus. Uno verbo Innocentius astruit generatim necessitatem gratiæ: astruit etiam illam, dum benè agimus, esse efficacem; at non excludit sufficientem: nec unquam asseruit, sine gratiâ efficaci, per quam agimus, nos benè agere non posse. Noverat enim SS. Pontifex, multos esse, qui possunt ex gratiâ præsente benè agere, qui tamen non agunt. Eadem prorsùs est mens Cœlestini, & S. Leonis.

V. D. August. (lib. de Corrept. & Grat. cap. 12.) ait: *Deus Sanctis suis non soltùm dat adjutorium, quale primo homini dedit* (id est gratiam duntaxat sufficientem) *sine quo non possint perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur & velle: ut, quoniam non perseverabunt, nisi & possint, & velint, perseverandi eis & possibilitas, & voluntas Divinæ Gratiæ largitate donetur. Tantum quippè Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt: ideò sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus ... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent; quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ità vellent infirmitate voluntatis, ut possent*. Hoc idem dixerat (ibi. cap. 11.) Ergò D. Aug. nullam agnoscit potentiam ad bonum, nisi junctam cum actu; ac consequentèr nisi quæ sit ab ipsâ gratiâ efficaci.

98. R. S. Doctor in iis, & aliis locis loquitur de unâ voluntatis gra-

Digitized by Google

gratiâ, per oppoſitionem ad gratiam naturæ innocentis. Docet ergò, amplum eſſe diſcrimen inter gratiam utriuſque naturæ ſtatus, innocentis, ſcilicet, & lapſæ; in eo, quòd naturæ innocenti ſola neceſſaria fuit, & conceſſa gratia ſufficiens Intellectus, cum quâ homo perſeverare poterat, ſi vellet, ſed quæ non debet velle perſeverare, utpotè non afficiens Voluntatem. At natura lapſa, præter gratiam Intellectus, ſeù illuſtrationis opus habet gratiâ Voluntatis: cujus neceſſitatem contrà Pelagianos perpetuò urgebat D. Auguſtinus.

Inſtabis. Gratia actionis proculdubiò eſt gratia efficax: atqui ex nobis ipſis ſine gratiâ voluntatis, ſeù actionis nihil boni fieri poteſt. Ergò ſine gratiâ efficaci nihil boni fieri poteſt.

99. R. Diſtinguo maj: Gratia actionis, ideſt, quæ eſſentialem & infallibilem habet connexionem cum actione, eſt gratia efficax, concedo: quæ nec eſſentialem, nec infallibilem habet connexionem cum actione, ſeù opere bono, nego: Et diſtinguo min: Sine gratiâ voluntatis, ſeù actionis generatim ſumptæ, quatenùs eſt gratia voluntatis præveniens, nihil boni fieri poteſt, concedo: ſine gratiâ voluntatis, quatenùs eſt efficax ex ſe, ſeù habet eſſentialem, & infallibilem connexionem cum actione, ſeù opere bono, nego. Porrò Gratia voluntatis eſt duplex: una efficax, ſenſu mox explicato: altera purè ſufficiens. Quùm autèm dicimus, ſinè gratiâ voluntatis præveniente nihil boni fieri poſſe, intelligimus ſimplicitèr gratiam voluntatis prævenientem, prout abſtrahit ab efficaci, & eſt ſimplicitèr gratia voluntatis: quam tàm ſtrenuè, ac conſtantèr propugnavit S. Auguſt. contrà Pelagianos. Quæ gratia voluntatis dicitur gratia actionis; non quòd ſemper, & infallibiliter illam exprimat, & aſſequatur; ſed quia immediatè afficit voluntatem debilem, & infirmam, eamque juvat, & corroborat ad benè agendum. Hinc meritò dicitur principium actionis, ad differentiam ſolius illuſtrationis mentis, quam Pelagiani admittebant: quæ, quùm voluntatem adjuvet extrinſecè dumtaxat, non tàm principium actionis nuncupari poteſt, quàm conditio ſinè quâ non.

VI. Ex eodem D. Aug. alia plura ſunt teſtimonia, quibus ſignificat, Juſtos aliquandò ex præſenti gratiâ non poſſe quædam obſervare mandata, & graves vincere tentationes. Et ſanè [lib. 1. de perfect. juſtitiæ cap. 8.] Cœleſtino contendenti præcepta eſſe debere poſſibilia; reſpondet [num. 5.] *Quùm vidimus claudum, qui ſanari poteſt, rectè utique dicimus: debet homo iſte eſſe ſinè claudicatione: etſi debet, poteſt. Nec tamen quùm vult, continuò poteſt; ſed quùm fuerit adhibitâ curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem.*

Et ibi cap. 4. docet, impotentiam illam implendi mandata, & reſiſtendi tentationibus gravibus, oriri ex pœnâ præcedentium peccatorum, aut maculâ originalis. *Sub quibus*, ait (pœnis) *poſiti vel non poſſumus, quod volumus, intelligere: vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere.*

Et tract. 34. in Joan. n. 9. de volentibus utique implere mandata, inquit: *Surge, & ambula: fortè conaris ambulare, & non potes, quia dolent pedes.*

Digitized by Google

Et lib. de Grat. & Lib. arbitr. cap. 17. n. 33. *Qui ergò vult facere Dei mandata, & non poteſt; jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam, & invalidam: poterit autem, quàm magnam habuerit, & robuſtam.*

Et ſerm. 97. de diverſis cap. 4. de iisdem volentibus ait: *Volumus ô Domine! volumus, & non poſſumus: aut ſi nec volumus, premente ſarcinâ gravamur, & nolumus.*

℟. Hæc, & alia ſimilia fruſtrà nobis opponi. Hoc unum ex iis poteſt merito colligi, nimirùm, Juſtos interdùm ex præſente gratiâ non poſſe immediatè, & proximè aliqua implere Dei mandata, & graves ſuperare tentationes; poſſe tamen mediatè, ſeù per orationem impetrare uberius Dei auxilium, quo roborati, & graves quaſcumque vincant tentationes, & præcepta impleant. Hanc gratiam orandi juſtis ſemper eſſe promptam, agnoſcit D. Aug. in eiſdem locis nobis oppoſitis, ubi hominem comparat claudo, qui poteſt à claudicatione ſanari, ſi ad Medicum vult confugere: ſic poteſt juſtus tentationem ſuperare, & præcepta adimplere, ſi Dei præſidium, ut oportet, & poteſt, ſuppliciter implorare voluerit.

Agnoſcit equidèm S. Doctor, ex peccato primi parentis derivatam peccandi neceſſitatem; ſed quam poſſumus deponere per gratiam Chriſti. *Jam*, inquit (cap. 4. ejuſdem lib. de perfect. juſtit.) *penalis vitioſitas ſubſecuta, ex libertate fecit neceſſitatem, undè ad Deum Fidei clamat: De neceſſitatibus meis erue me.* Et paulopòſt. *Sicut ergò non eſt opus ſanis Medicus, ſed malè habentibus: ita non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis; at ei dicat gratulatio libertatis: Salvam feciſti de neceſſitatibus animam meam.*

Et tract. 34. præcitat. in Joan. *Non potes?* intelligit de impotentiâ liberâ, quæ, ut deponatur, præſtò adeſt gratia Chriſti. *Piger ſurge. Via ipſa* (Chriſtus) *ad te venit, & de ſomno dormientem excitavit; ſi tamen excitavit, ſurge, & ambula.* Quæ verba, *ſi tamen excitavit*, ſignificant, quoad effectum, non ſemper hominem efficacitèr excitari, quamvis excitare illum poſſit. Et paulòantè ait: *Ergò modò faciamus, ſequamur Dominum: ſolvamus compedes, quibus impedimur ſequi. Et quis idoneus ſolvere tales nodos, niſi ille adjuvet, cui dictum eſt: Dirupiſti vincula mea? De quo alius Pſalmus dicit: Dominus ſolvit compeditos, Dominus erigit eliſos.* Tandem idem evidentiùs demonſtrat loco nobis oppoſito (ſerm. 97. de diverſis num. 114.) ubi ſic pergit S. Doctor. *Adjuva nos, & miſerere noſtri. Tu dixiſti: ſinè me nihil poteſtis facere. Propter hoc enim imploramus Dei auxilium .... Ut hoc poſſis, implera eum, ſinè quo nihil facere poſſes.*

Inſtabis. Ipſa gratia orationis, ex eodem D. Aug. (lib. 1. ad Simplician. queſt. 2.) aliquibus juſtis interdùm negatur. *Nonne aliquandò*, ait, *ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida, & penè nulla, imò omninò interdùm ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia ſi vel hoc doleremus, jam oraremus. Quid ergò aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere, & pulſare ille concedit, qui, ut hæc faciamus, jubet?*

℟. 1.

Digitized by Google

R. 1. D. Aug. non dicere, gratiam orationis non concedi, cum adest orandi præceptum.

R. 2. distinguo ant. Justis interdum non conceditur gratia orationis efficax, per quam ferventèr, ac perseverantèr reipsa orent, concedo: gratia proximè sufficiens, per quam orare possint, nego. Habent quidèm justi gratiam ad orandum sufficientem; sed quia eâ, vel omninò non utuntur, vel negligentiùs orant, ideò aliquandò non obtinent efficacem: per quam ferventèr, ac perseverantèr orando, uberius impetrarent auxilium ad præceptum actu observandum prærequisitum.

VII. Duplici maximè de causâ probamus, omnibus fidelibus adultis gratias verè sufficientes à Deo concedi. 1. Ut Dei mandata ipsis fiant possibilia. 2. Ut in culpam ipsis imputari possint peccata, quæ committunt. Atqui hæc duplex ratio non est firma. Non prima; nam ut mandata verè alicui dicantur possibilia, satis est, quòd ea sint in se possibilia: & quòd ille gratiam recipere possit, quâ mediante præcepta valeat observare. Non secunda; quia nonnulla sunt mala, quæ caveri non possunt; & tamen vera sunt peccata; dicente D. Aug. [lib. de Perfect. just. cap. 6. ad 15. ratiocinationem:] *Peccatum est, quùm vel non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quàm debet: sivè hoc voluntate vitari possit, sivè non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quandò voluntas superba laudatur, sed quandò humilis adjuvatur.*

Et lib. 3. de lib. arbitr. postquàm cap. 18. dixerit, *neminem peccare in eo, quòd nullo modo cavèri potest*, statim addit: *& tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur .... Sicut etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere, & non potest; nam undè sunt illæ voces: Non enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago? ... Hæc omnia hominum sunt, ex illâ mortis damnatione venientium; nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Supponit ergò S. Doctor aliqua mala facta ex necessitate, quæ verè peccata sunt, & imputantur ad culpam. Ergo &c.

Undè Concil. Dispolitanum an. 415. inter alios Pelagii articulos, proscripsit istum: *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non eveniunt secundùm voluntatem, sed secundum necessitatem.*

R. Nego utramque minoris propositionis partem. Ad primam probat. dicimus, hanc Jansenionum objectionem putidam esse irrisionem: nam mandatorum Dei possibilitas, non tantùm in se, & absolutè, sed maximè relativè ad hominem, cui imponuntur, spectanda est. Tum quia ridiculum planè videtur dicere, hominem posse Dei præcepta observare per gratiam, quam potest quidem Deus conferre, sed quam nec confert, nec vult ei conferre. Quid, quæsò, præsidii ex tali gratiâ potest homo percipere? Hinc Jacob. Apostol. (cap. 2. v. 15.) dicebat: *Si autem Frater, & Soror nudi sint, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis ipsis: Ite in pace, calefacimini,*

mini, & ſaturamini; non dederit autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori; quid proderit?

Ad ſecundam prob. dico 1. D. Auguſtinum loqui de eo, quòd non poteſt vitari: non quidem abſolutè, ſed ex hypoteſi; ideſt, ut advertit Bellarmin. dominante, pravâ cupiditate; poteſt tamen per gratiam Dei auferri dominatus cupiditatis, ut non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Certè qui odit aliquem, non poteſt illi ex animo benefacere, durante odio; ſed abſolutè poteſt, quùm poſſit odium deponere. Sic intelligitur illud Joan. (5. v. 44.) *Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam ad invicem accipitis?* & aliud Jerem. (13. v. 23.) *Quomodò vos poteſtis benefacere, quùm didiceritis mala?* Ità etiam D. Aug. intelligit illud Joan. (12. v. 40.) *Non poterant credere, quia dixit Iſaias: Excæcavit oculos eorum.* Hunc ſenſum innuit ipſemet S. Doctor in eo ipſo loco, qui objicitur. *Et tamen*, inquit, *vitari poteſt; non quandò voluntas ſuperba laudatur, ſed quandò humilis adjuvatur.* Nempè, vitari non poteſt, ſtante ſuperbiâ, ſeù in ſenſu compoſito; at quùm illa ſuperbia deponi poſſit per gratiam, quæ ſemper præſtò eſt, idcircò D. Aug. ait, *& tamen vitari poteſt.*

Dico 2. D. Auguſt. ibi non loqui de peccato propriè, & formalitèr capto; ſed impropriè: loquitur enim de motibus concupiſcentiæ indeliberatis: qui appellantur peccata, non aliâ ratione, niſi quia ſunt à peccato, nempè originali, & ad peccandum inclinant; ut omnes loquuntur Theologi.

Concilium autem allegatum hoc unum ſtatuit contrà Pelagium, ideſt, ignorantiam, quæ vinci nequit per naturam, ſed vinci poteſt per gratiã, ſubjacere peccato. Siquidem eſt in poteſtate hominis per orationem impetrare gratiam, quâ illuminentur ignorantiæ tenebræ. Pelagiani quippè eam duntaxat ignorantiam putabant culpabilem, quæ naturæ viribus depelli poſſet. Quæcumque igitur fiant ex ignorantiâ vincibili per gratiam, ſi mala fuerint, meritò imputantur culpæ.

VIII. Si omnibus juſtis conceditur gratia proximè ſufficiens, ſaltèm ad orandum, facilè erit cauſam reddere, cur unus ulteriorem, & efficacem obtineat gratiam, & conſequentèr perſeveret; alter verò non obtineat, nec perſeveret: quia, nimirum, unus benè utitur gratiâ ſufficiente orationis, & alter non. Atqui hujuſce rei cauſam ſibi planè incognitam eſſe fatetur Div. Auguſt. dum [lib. de Spirit. & litt. cap. 34. n. 60.] ait: *Si ad illam profunditatem ſcrutandam quiſquam nos coarctet, cur illi ità ſuadetur, ut perſuadeatur, illi autem non ità? Duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat: O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Et: Numquid iniquitas apud Deum?* Idem aliis pluribus in locis repetit S. Doctor.

100. R. Ex jam dictis non ſemel reddidimus rationem, cur juſtus, qui non orat, ut tenetur, & poteſt, non recipiat gratiam uberiorem; quia, ſcilicet ex D. Auguſt. [lib. de Corrept. & Grat. cap. 13.] *Deſerit, & deſeritur.* Verùm enim verò, quòd unus gratiam accipiat, non tantùm ſufficientem, ſed & efficaſ-

Digitized by Google

ficatem ad orandum: quòd in pari negligentiâ ad orandum, uni detur gratia, per quam certissimè oret, ut oportet; alteri autem non detur: quòd è duobus justis æqualitèr lapsis, unus resurgat à lapsu per auxilium Dei efficax; alter autem non resurgat: quòd denique, è duobus æqualitèr justis, unus ex hac vitâ, Deo miserante, rapiatur, priusquàm excidat à justitiâ; alter verò non rapiatur, sed innumeris vitæ hujus tentationibus, quibus tandem succumbit, obnoxius relinquatur; inscrutabilia sunt judicia Dei; ut prosequitur S. Doctor loco mox citato. *Dimissi sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo, & occulto.*

CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM.

I. INdurati confugere nequeunt ad Deum: & dato, quòd possint, frustrà confugerent, à quo non exaudirentur. Patet de Antiocho [lib. 2. Machab. 9. v. 23.] *Orabat hìc sceleſtus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et de Esau [ad Hebr. 12. v. 17.] *Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.*

℟. Nego primam partem anteced., & distinguo secundam partem: frustrà confugerent cum motivo culpabili, & fine vitioso, concedo: si rectè confugerent, nego. Antiochus gravi plagâ in corpore à Deo percussus, orabat quidèm ut dolori solatium impetraret, sed non à peccatis remedium. Paritèr Esau deflebat ablata sibi primogenita, non peccata, quibus iram cœlestem in se concitaverat. Videantur Sacri Expositores.

Instabis. Eccles. 7. v. 14. dicitur: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.*

℟. Cum distinctione: Nemo potest corrigere, idest, difficile est corrigere, concedo: quo sensu [cap. 1. v. 15.] ejusdem Ecclesiastes dicitur: *Perversi difficile corriguntur.* Quo etiam sensu ait: [ubi supra] D. Thomas. *Induratum de facili non posse cooperari ad hoc, quòd exeat de peccato.* Quasi prorsùs impossibile sit corrigere, nego.

II. D. August. [Epist. 194.] ait: *Deum indurare, non quidèm impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Hoc idem docet [lib. de Naturâ, & Gratiâ cap. 22.] & [lib. 1. retract. cap. 15.] & alibi. Ergò induratio in eo posita est, ut ab indurato omnis retrahatur gratia. Si enim retraheretur tantum gratia uberior, & specialis, nullum esset discrimen inter Justum, quem Deus occulto, sed justo judicio, interdum privat.

℟. Hæc, & alia D. August. ac SS. PP. testimonia intelligenda sunt in sensu à nobis explicato, idest, non omne penitùs interioris gratiæ beneficium denegatur induratis; sed tantùm cujusdam specialis, & uberioris, quo possint proximè, & immediatè tentationes superare, & vitare peccata.

Varii namque sunt, ac multiplices gradus in gratiâ concedendâ aut denegandâ: *Paulatim in cordis duritiam itur*; ait D. Bernard. [lib. 1. de Consid. cap. 2.] Undè malè comparantur Justi cum Induratis, quoad

Digitized by Google

quoad ſubtractionem gratiæ; latum enim eſt inter illos diſcrimen.

101. Ex induratione igitur ſequitur impotentia benè agendi: quę conſequens eſt, & voluntaria, non autem antecedens. Poteſt quippè induratus, ſaltèm mediatè, ac remotè, ſuam deponere excœcationem, & induritiam. Audit enim vocem legis, quâ admonetur implorare gratiam Salvatoris: ait Div. Auguſt. [loco citato de Natur. & Grat. cap. 22.] & [lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 12.] loquendo de Judæis, inquit: *Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant*. Ergò neceſſitate dumtaxat conſequente, ac voluntariâ fit ut non poſſint credere, & benè operari: quià voluntariè repellunt gratiam: eò ferè modo, quo qui ambulat per viam foſſis abruptam, nec oculos vult aperîre, neceſſe eſt ut cadat.

III. Eſt peccatum ad mortem, pro quo non eſt orandum [1. Joan. 5.] Ergò quædam ſunt peccata, quæ omnimodam important Divinam deſertionem: Ergò, &c.

102. R. Si per peccatum ad mortem intelligitur impœnitentia finalis, ut loquuntur Theologi, concedo: ſi aliud quodlibet peccatum, nego: Nullum eſt tàm grande peccatum, quod in hac vitâ remitti non poſſit, & conſequentèr pro quo non poſſit impetrari gratia pœnitentiæ.

Sic PP. & Expoſitores intelligunt verba illa [Matth. 12.] *Qui dixerit verbum contrà Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Idèſt, ſi per verbum *contrà Spiritum Sanctum*, intelligatur impœnitentia finalis, ut advertit D. Aug. [lib. 4. cap. 4. contrà Creſconium] Si autem intelligatur, vel blaſphemia in Divinitatem, vel peccatum ex merâ malitiâ, ut placet multis PP. quamvis hæc peccata difficillimè remittantur, tùm propter peccantis obſtinationem, tùm ob ſui enormitatem; attamen non ſunt abſolutè irremiſſibilia. Videantur Theologi, apud quos etiam aliarum objectionum ſolutio invenitur.

103. An verò hactenùs probata, valeant etiam pro Infidelibus? concludo cum Oroſio [in Apologetico de arbitrii libertate] ubi ſic contrà Pelagium. *Mea ſemper hæc eſt fidelis, atque indubitata ſententia. Deum adjutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ad credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur; verùm etiam univerſis in hoc mundo gentibus longanimitatem ſuam, æternamque clementiam ſubminiſtrare: Non ut tu aſſeris cum Diſcipulo tuo Cœleſtio, cui jam Africanam Synodum occulta illa impiorum Dogmatum natura contuſa eſt, in ſolo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam. Sed ſpeciatim, quotidiè, per tempora, per dies, per momenta, per athoma, & cunctis, & ſingulis miniſtrare.*

Nè quis tamen indè inferat, ſingulis momentis gratiam conferri, paulò poſt explicat id eſſe intelligendum de iis momentis, quibus Dæmonis tentatione, vel carnis concupiſcentia ad peccandum impellimur. *Evidentiſsimè*, pergit, *declaratum eſt nemini hominum deeſſe Dei adjutorium, præſertim quùm ſeductor inſtat, & inſit infirmitas.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

104. NEc carnis concupiscentia quantumvis vehemens, nec totus Infernus prævalere potest contrà hominem minimâ Dei gratiâ suffultum. Quùm igitur quilibet, sivè justus, sivè peccator, sivè obcœcatus, sivè induratus, sivè Infidelis, non fit omninò divino privatus auxilio, quam habebit excusationem de peccato suo? Quis venia dignus, qui tentationibus non resistit? Quis ità insanus, ut asserere audeat dari tentationes irresistibiles? *Minima gratia*, ait D. Thom. [3. part. q. 62. art. 6. ad 3.] *potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & mereri vitam æternam*. Et [q. 70. art. 4. in corpore] *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: Minima enim charitas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri, & argenti*. Quod anteà docuerat D. Aug. (Enchir. cap. 118. n. 31.) *Si autèm respexerit Deus, ut adimplenda, quæ mandat, ipsa adjuvare credatur, & agi homo cœperit Dei spiritu: concupiscitur adversùs carnem fortiore robore charitatis: ut quamvis adhuc sit, quòd homini repugnet ex homine, nondùm totâ infirmitate sanatâ, ex fide tamen justus vivet, justèque vivet, in quantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione justitiæ*. Et (cap. 39. lib. 1. n. 69.) de infante baptizato ait: *Si post baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præceptis pervenire potuerit, ibi habet cum quâ pugnet,* (concupiscentia) *eamque, adjuvante Deo, superest*; N. B. *si non invacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit*.

Quisquis ergò tentationibus non resistit; de semetipso conqueratur obsistere nolente, non autem de Mundo, Carne, aut Diabolo vim facientibus, & contrà voluntatem violentiam inferentibus. Audiant Pseudo-Mystici, qui Tentationes agnoscunt *extraordinarias, novi generis, naturæ differentis à vulgaribus, atque irresistibiles*, & intelligant Originem (homil. 9. in Levitic.) *Non audistis ex Divinis Scripturis, quòd certamen est inter homines, carni adversùs spiritum, & spiritui adversùs carnem? Nescitis, quòd si solam carnem nutriatis, & ipsu frequenti mollitie, ac jugi deliciarum fluxu foveatis, insolescet necessariò adversùs spiritum, & fortior illo efficietur? Quod si fiat, sinè dubio eum in suam ditionem redactum, suis coget legibus, ac vitiis obedire. Si verò ad Ecclesiam veniens frequentèr aurem admoveas divinis literis, explanationemque mandatorum cœlestium capias: sicut cibis, & deliciis caro, ità spiritus verbis divinis convalescet, ac sensibus: & robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis obsequi legibus. Nutrimenta igitur spiritus sunt, Divina Lectio, Orationes assiduæ, Sermo doctrinæ: his alitur cibis, his convalescit, his victor efficitur. Quod quia non facitis*, N. B. *nolite conqueri de carnis infirmitate: nolite dicere, quia volumus, & non possumus: volumus continentèr vivere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis ejus. Tu das stimulos carni tuæ: tu adversùs spiritum tuum ar-*

mas, & potentiam facis, quùm eam carnibus ſatias, vino nimio jucundas, omni mollicie palpas, & ad illecebras nutris. Ità Origenes. *Utinam* Pſeudo-Myſtici *hæc ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent.* [Deuteron. 32. v. 29.]

SECTIO IV.

An Angeli Cuſtodes, & ipſemet Chriſtus Jeſus pugnet nobiſcum in Tentationibus?

EOrum, qui in corporali ſtadio dimicant, quidam fortitudine, quidam verò ingenii calliditate hoſtes ſibi ſubjicere moliuntur; ait D. Laurent. Juſtinian. (De interiori conflictu cap. 12.) Alii namque faciliùs fortitudine; alii verò faciliùs arte ſternuntur: nempè, cui ambo hæc ſuppetunt, exigente neceſſitate, nunc uno, nunc utitur altero. Plurimùm in bellandi peritiâ deficit quicumque tantùm altero ſe ſemper exercet. Eamdem itaque regulam fore arbitror opportunam in ſpirituali certamine, quæ in corporali ſuperiùs memoratur. Ut habeat fortitudinem opus eſt, qui de inimicis triumphare deſiderat, habeat; & calliditatem ingenii: difficile victoriam conſequitur, qui caruerit altero.

Adverſarii, cum quibus ſpiritualis initur conflictus, utroque pollent: de fortitudine quidèm illorum in B. Job. volumine (cap. 41. v. 24.) ſic ſcriptum eſt: *Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret: omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* De calliditate autem in lib. 6. Geneſ. (cap. 3.) *Erat Serpens callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Propter fortitudinem vocatur Leo (1. Petr. 5. v. 8.) *Adverſarius veſter Diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Propter calliditatem verò Draco denominatur. (Pſalm. 103. v. 26.) *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Et (2. ad Corinth. 11. v. 3.) *Timeo autem, ne ſicut Serpens Hevam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ità & ſenſus veſtri corrumpantur, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.*

Hinc vides quanta ſit virtus neceſſaria, quantaque prudentia ad pugnandum cum hoſte antiquo; etenim ſi virtute ſola certare volueris ſine prudentiâ, verſutus inimicus calliditate dejiciet te: ſi verò tantum calliditate, Leonis rabies ſuperabit te. Utrumque igitur habeto: Eſto fortis contrà Leonis hujus ſevitiem: eſto prudens adversùs doloſitatem Serpentis. Fortitudinem ipſius quis non metuet, quando rugitu ſuo, & cauda tertiam partem ſtellarum [Apocalyp. 12. v. 4.] traxit in terram? Calliditatem autem quis non expaveſcet, qui Protoparentes de voluptatis loco in peregrinationis hujus depulit regionem? Nemo igitur (egregiè concludit S. Protopatriarcha Venetus) præſumat de ſe, aut per ſe illum poſſe proſternere.

Verùm enimverò, quùm nos infirmi ſimus, inermes, & invalidi, nedum ad expugnandum, ſed etiam

ad

ad pugnandum hostem tàm strenuum, tàmque immanem; Dei immensa Clementia providit, non solùm de armis, *ut possimus resistere in die malo, & stare adversùs insidias Diaboli*; ut nos consolatur Apostolus [ad Ephes. 6. v. 13.] sed etiam *mandavit Angelis suis, ut custodiant nos* [Psalm. 90. v. 11.] protegant nos, & nobiscum pugnent. Quinimò (oh mira Omnipotentis Bonitas!) ipsemet Deus adest in certamine isto: militibus suis præsidia subministrat: vigilat super ipsorum custodiâ: & imminente periculo, sub latissimâ alarum suarum umbrâ eos protegit, atque defendit. Idque, ut clariùs pateat

105. I. Prænotandum, quòd singulis hominibus, sivè parvulis, sivè adultis: Fidelibus, aut Infidelibus: Prædestinatis, vel Reprobis: Justis, & Peccatoribus, deputantur à Deo singuli Angeli Custodes. Ità omnes Catholici contrà Calvinum [lib. 1. institut. cap. 14. §. 7.] Hanc veritatem ex Scriptura colligit D. Basil. [lib. 3. contrà Eunomium] *Quòd autem*, inquit, *unicuique adsit Angelus, tamquam Pedagogus aliquis, & Pastor vitam gubernans; nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit, dicentis: Nè contemnatis unum ex his pusillis; quoniam Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis est.*

106. Equidèm, loquendo de Infantibus, Angeli deputatio fit statim ac anima est infusa Corpori; quicquid sentiant aliqui, qui putant, Angeli custodiam incipere, quando puer est extrà uterum; eò quia (inquiunt) dùm est in utero, est veluti pars, & fructus matris; ac proindè, qui custodit Matrem, custodit & ejus puerum: veluti, qui custodit arborem, custodit etiam fructum arbori annexum. Verùm omnes penè Doctores conveniunt nobiscum: idque apertè docuit D. Anselm. [in elucidar. circà medium] scribens: *Unàqueque anima, dum in corpus mittitur, Angelo committitur*. Anima autem in conceptione infunditur; & consequentèr in conceptione deputatur Angelus ad infantis custodiam. Ratio est, I. Quia statim ac parvulus est formatus, incipit esse Viator; hinc, licèt physicè sit quasi pars Matris, attamèn in ordine ad salutem animæ, est persona distincta; undè est capax culpæ originalis, estò Mater sit sancta; estque capax etiam meriti, prout constat in Joanne Baptista. II. Est satis credibile, statim adjungi puero Dæmonem, qui specialitèr ei nocere, & damnum inferre procurat; ideoque debet ipsi ex tunc deputari Angelus, qui Dæmonem arceat, & alia ex tunc præcaveat impedimenta tùm corporalia, tùm spiritualia.

Nec obstat, quòd Custos Matris possit hanc suscipere curam; quia ad Angelum Custodem Matris solùm pertinet, quamdiù ad bonum Matris hujusmodi cura est necessaria; sed quando redundat in utilitatem solius filii, istius proprius Angelus speciali affectu, & magis proprio, ejus curam habebit. III. Mater interdùm non parens Angelo suo proprio, potest tentare aliquid nocivum filio: quod impediet Angelus Custos Filii. IV. Denique, hoc pacto, Dei Providentia est liberalior; cur ergò & nos libentiùs huic sententiæ non adhærebimus?

Quoad Adultos, Prædestinatos, Reprobos, Justos, Peccatores,

Digitized by Google

Obcœcatos, Induratos, ac ipsum quoque Antichristum; nemo Catholicorum negat, omnes, & singulos habere Angelum specialem ad sui custodiam. Suadet ratio. I. Quia custodia Angelorum continetur intrà latitudinem auxilii sufficientis ad salutem æternam: quod auxilium esse omnibus commune, jam probavimus Sectione præcedenti. II. Homo de se est insufficiens ad resistendum gravibus tentationibus; ut citatâ Sect. ostendimus; Deus autem permittit, etiam Reprobos, &c. variis, & gravibus pulsari tentationibus; ideoque & omnibus protectionem præbet, & sufficientem defensionem, quam, secundùm ordinem suæ ineffabilis providentiæ, dat per Angelos Custodes. III. Ex D. Thom. (1. part. q. 113. art. 4. ad 3.) Custodia hæc in Reprobis, quamvis non habeat effectum meriti vitæ æternæ; nihilominùs per illam præcaventur, aut revocantur à pluribus, & majoribus malis. IV. Sic Divina Providentia justior, & universalior ostenditur. V. Tandèm, Reproborum custodia redundat in bonum Prædestinatorum; quia per illam arcentur Dæmones instigantes Reprobos, nè quantum cupiunt, noceant Electis.

107. Ipsum utiquè Antichristum habiturum proprium Angelum Custodem, docent passim Thologi. Nam *Deus vult omnes homines salvos fieri*. [2. ad Timoth. 2. v. 4.] *Christus pro omnibus mortuus est*. [2. ad Corinth. 5. v. 15.] Omnibus, etiam pessimis peccatoribus, dat auxilia sufficientia, &c. Favet ratio: Siquidèm, qui alicui proponit finem, providere adhuc oportet de mediis ad finem obtinendum: cunctis, quantumvis impiis, proponitur vita æterna: & aliudè Angelorum custodia est medium ad illam obtinendam; quapropter nec Antichristo denegatur.

108. II. Prænotandum, Angelum Custodem non omninò suum dimittere alumnum quamdiù istius vita durat; etiamsi peccet, & scelera multiplicet. Ità PP. omnes. Ratio est, I. Quia Dæmon non desistit à tentando Justum, etsi videat in eo eximia justitiæ opera: ergò nec bonus Angelus deserit Peccatorem, quamvis aspiciat in illo plura, & replicata crimina. II. Hominis custodia data est Angelo dependenter à statu Viatoris hominis; sicut ergò custodiunt illos, qui vel gratiam, vel fidem nunquàm habuerunt: ità etiam & eos, qui illas perdiderunt. III. Deus non deserit hos Peccatores quoad auxilia sufficientia, tùm interna, tùm externa: ergò nec Angeli hujusmodi Peccatores deserere possunt; quùm hoc non sit consentaneum Divinæ Voluntati.

Quandò igitùr SS. PP. dicunt, homines peccando profligere à se Angelos: vel hos ab illis disjungi; non est sensus, quòd Angeli omninò relinquant Peccatorum custodiam; sed quòd interdùm remittant actualem operationem, & exercitium custodiæ; propter hominum incapacitatem, vel indispositionem. Ità intelligitur illud Jerem. (51. v. 9.) in personâ Angelorum: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Et aliud Isaiæ (cap. 5. v. 5.) *Auferam sepem ejus*, (Angelorum Custodum) *& erit in direptionem*. Numquam tamèn Angelus ità derelinquit hominem, quem custodit, quin aliquis sequatur effectus custodiæ: in quantum

Digitized by Google

tum aliquod prohibet malum, & promovet bonum. Occurrit ratio. I. Quia Angeli boni proniores sunt ad adjuvandum hominem, quàm mali ad perdendum; hi autem numquam cessant ab infestando; juxtà illud (1. Petri 5. v. 8.) *Adversarius vester Diabolus tamquam Leo rugiens circuit*, &c. Ergò & bonus Angelus nunquam cessat à custodiendo. II. Respectu hominis duplex est Angelorum custodia; ut notat D. Bonav. (in 2. dist. 11.) Una ex parte Corporis, quatenùs Angelus repellit Dæmonem, nè corpus opprimat. Alia ex parte Spiritus, nè Malignus illum pervertat. Quoad Corpus, nunquam Angelus derelinquit hominem usque ad finem vitæ; non enim patiuntur hominem opprimi, seù occidi à Dæmone; nisi aliter exposcat sententia Divini Judicii; proùt evenit viris illis Saræ (Tobiæ 6. v. 14.) Quantùm verò ad custodiam Spiritus, distinguit Seraphicus Doctor: vel Angelorum custodia est respectu boni conservandi, acquirendi, vel augendi: Aut respectu mali deserendi, evitandi, vel minuendi? Quoad priores actus, Angeli deserunt obstinatos; frustrà enim esset eorum actus. Nunquàm tamèn quoad actus posteriores; quia semper retrahunt homines, nè labantur in pejus. Sanè quantò quis est pejor, tantò ad malum est proclivior: quantò autèm proclivior, tantò magis indiget retrahente. III. Obstinatus in malo, dum aurâ potitur mortali, converti potest, nec totaliter diffidendum de ipsius æternâ salute: Undè S. Thom. à Villanova (serm. 2.) admirans Beatorum Spirituum intentam solicitudinem, quâ custodiunt commissos sibi homines, tametsi per manifestas conjecturas prævideant, ex ipsorum custodiâ nil utilitatis eos reportaturos; ait: *Non per hoc desistunt ab eorum custodiâ, sed eos protegunt, & instruunt, quantum Divino nutu eis permittitur: scientes, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios, non solùm Abrahæ, sed Dei.* Tandèm hac in re Angeli imitantur Deum, fontem omnis bonitatis: *qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos* (Matth. 5. v. 45.) Hæc enim est natura Bonitatis. Hinc D. Petr. Damian. (serm. 47. de Exalt. S. Crucis) inquit: *Angeli, licèt à nobis frequentèr injurias patiantur, sustinent tamen; nec minor illorum est custodia, imò major solicitudo; quùm boni Custodis sit infirmis magis, quàm sanis operam exhibere.*

109. III. Prænotandum, Dæmones omnes, quicunque illi sint, & cujuslibet ordinis, nunc, ratione status, inferiores esse minimo Angelo bono. Ità docent Theologi cum Suarez (De Angelis lib. 8. cap. 21. n. 31.) Rationem dat Alexand. de Ales (part. 2. q. 100. memb. 2. art. 6.) ubi ait: *Licèt aliqui Angeli mali potentiores sint ex naturâ aliquibus bonis; tamen boni Angeli potentiores sunt simpliciter malis Angelis. Undè Augustin. lib. de moribus Ecclesiæ: Non est Angelus quùm inhæramus Deo, nostrâ mente potentior: nam si virtus hæc nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo omninò sublimior est mens inhærens Deo.* Et Bellarmin. (super Psalm. 33.) *Mira potentia Angelorum, ut unus Angelus vicem exercitus suppleat.*

110. IV. Prænotandum, quod

An-

Angelus Custos tantam habet supra Dæmones potestatem, ut si à Dæmonibus videri permittat, non audeant Dæmones tentare hominem, sed fugiunt terrore paventes. In præsentiâ igitur boni Angeli, mali non tentant; interdùm verò Angelus Custos se occultat; ut juxta Divinam dispensationem, quam ei Deus revelat, permittat Dæmoni tentare hominem. Audiamus os aureum D. Chrysostomi (homil. 5. operis imperfecti circa finem) *Secundùm dispensationem Dei recedit à nobis aliquantulùm Angelus bonus: magis autem non recedit, sed abscondit se, invisibilem se reddens ante Angelum malum, ut det illi licentiam tentandi, & stans expectans tentationis eventum.*

111. V. Prænotandum, quod boni Angeli magis soliciti sunt, & potentiores ad adjuvandum homines, quàm mali ad nocendum; ut paulò antè tetigimus. Et quidèm 1. ratione superioritatis; quia Angelus bonus, qui est inferior ordine naturæ, præest Dæmonibus Superioribus ordine naturæ. Rationes cumulat Henricus de Assia (super Genesim apud Bartholomæum Sybillæ in speculo peregrinor. qq. Decad. 2. q. 1. cap. 6.) 1. ex D. Thom. (1. part. q. 109. art. 4. ad 3.) Virtus Divinæ justitiæ, cui boni Angeli adhærent, potior est, quàm virtus naturàlis Dæmonum. 2. Ratione diffusionis; nam de ratione boni est diffusio sui ad simile bonum; potentior autem est habitus, qui est quid bonum, quàm privatio, quæ est quid malum. 3. Ratione consecutionis; solicitior enim est circa custodiam, qui ex ea consequitur bonum, quàm qui ex illa reportat pœnam: at Angeli boni ex custodia consequuntur gaudium quoddam accidentale; dum eorum alumni proficiunt in bonum, & merentur vitam æternam; Dæmones verò, ex peccato malorum hominum majorem acquirunt pœnam accidentalem.

Ex quo liquet, quàm potentiùs, & perfectiùs Angeli boni possint operari circà custoditos, quàm Dæmones. Equidem Diabolus nequit sic ardentèr inflammare hominem ad vitia, quin Angelus Custos ardentiùs possit accendere ad virtutes. Nec potest Diabolus facere aliquem ità incontinentem, superbum &c. quin Angelus Dei queat facere illum magis castum, humilem &c. Neque tandèm possunt Dæmones ità fortiter impellere ad mala, quin fortiùs Spiritus boni inducere possint ad bona. Videatur laudatus Henricus.

112. VI. Prænotandum, quòd non est imputandum negligentiæ Angelorum Custodum, tot innumeros perire homines eorum curæ commissos; sed hominum socordiæ. Nos Angelos repellimus, dum spernimur illorum consilia; Angeli autèm non possunt supra arbitrium hominis, *Quem Deus reliquit in manu consilii sui.* (Eccli. 15. v. 14.) Tum quia Angeli non subsunt statui currenti Mundi hujus; quùm sint in alio statu, & confirmati in bonum; ideòque, ait prælaudatus Henricus (q. 2.) agere nequeunt extremè, & pro viribus conari pro viatoribus alterius status. Tum quia circà nos tantùm pro viribus agunt, quantùm eis permittitur ex ordine Justitiæ, & providentiæ Divinæ. His præjactis, insurgit

CON-

113. Sancti Angeli nobiscum, & pro nobis pugnant in tentationibus. Est de fide.

114. Id tribus modis facere possunt. I. Moralitèr, seù per Consilium, & suasionem: dum scilicèt Angeli illuminant homines, & incitant ad bonum, atque confortant ad resistendum Diabolo.

115. II. Adhuc moralitèr, per Imperium, & potestatem: nempè, imperando Dæmoni, ut desistat à tentando: ut illic abeat: ut ab hoc loco discedat, &c. Hoc modo Asmodæus fuit à Raphaele relegatus in Ægypto [Tobiæ 8. v. 3.]

Hìc autem advertendum, quòd si fortè Dæmon nollet parere Angelo imperanti, adhuc tamèn coactus obediet; nam Angelus utitur auctoritate, & potestate Dei ad imperandum, atque ad arcendum Dæmonem; Deus autem in tali casu, vel subtrahit Dæmoni concursum, nè possit agere: vel terret illum majoribus pœnis, ni obediat. Cæterùm, quoad tentandum hominem, jam præmisimus ex D. Chrysostomo, quòd Dæmon id non audet in præsentiâ boni Angeli. Diximus etiam, quòd minimus Angelus est simplicitèr potentior Dæmone, cujuscumque Ordinis sit Angelus malus; non quidèm ratione naturæ, sed gratiæ.

116. III. Physicè, per vim, & potentiam naturalem; sivè id fiat ab Angelo injiciendo Dæmoni spiritualem influxum, qui in substantiâ ejus immediatè recipitur; ut aliquibus placet Theologis; sivè alio modo, de quo disputant Scholastici, sed ad rem nostram non interest. Et quamvis hoc officium pertineat ad Potestates; proùt docet D. Gregor. [homil. 34. super Evangel.] *Potestates vocantur ii, qui hoc potentiùs cæteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni Virtutes adversæ subjectæ sint: quorum potestate refrenantur, nè corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt.* Cui concordat D. Aug. [lib. 3. de Trinit.] Nihilominus ex D. Thom. [dicta quæst. 113. art. 3. ad 3.] *Angeli etiam inferiores exercent officia Superiorum, in quantum aliquid de dono eorum participant: & se habent ad Superiores sicut executores virtutis eorum. Undè possunt aliquandò infimi Custodes in gratiam eorum, quos custodiunt, miracula facere, quæ possunt dici privata beneficia, & extraordinaria; quamvis potestas miraculorum, vel signorum, aut præter naturalium operationum ad commune bonum totius generis humani, vel Universi, vel etiam Ecclesiæ, peculiari titulo, & modo ad Virtutes pertineat.*

Ità clarificatâ Conclusione, probatur, & quidèm 1. pro ea

STANT

STANT SACRÆ SCRIPTURÆ.

ECcleſia Catholica Romana primò tuba canit [in feſto SS. Angelorum ad Veſper. & Matut.]

Cuſtodes hominum pſallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœleſtis comites, inſidiantibus
Nè ſuccumberet hoſtibus.

[Et ad Laudes.]

Æterne Rector Syderum,
Qui, quidquid eſt potentiâ
Magnâ creaſti; nec regis
Minore providentiâ . . . .
Tuuſque nobis Angelus,
Electus ad Cuſtodiam,
Hìc adſit: à contagio
Ut criminum nos protegat.
Nobis Draconis æmuli
Verſutias exterminet;
Nè rete fraudolentiæ,
Incauta nectat pectora.

Pſam. 33. v. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Idèſt vertit D. Hieronym. *Circumdat Angelus Domini in agro timentes eum.* Septuaginta legunt: *Caſtra metatur Angelus Domini in circuitu timentium eum.*

Judith. 13. v. 30. *Vivit Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari; ſed ſinè pollutione peccati revocavit me gaudentem in victoriâ ſuâ.*

Cant. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum, propter timores nocturnos.* Super quo Ludovicus Granatenſis vir doctiſſimus, ac piiſſimus: *Lectulum hunc, in quo Salomon noſter quieſcit, pii cujuſque mentem eſſe apertiſſimum eſt. In illâ enim ità mollitèr accubat, & quieſcit, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Qui ſint autem fortes iſti, Prophęta declarat, quùm ait* [Pſal. 90.] *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te &c. Quæ ſit autem horum fortitudo oſtendit alibì, quùm ait: Benedicite Dominum omnes Angeli ejus, potentes virtute &c. Hìc pertinet & illud, quod infrà ſub nomine Sunamitis de eadem Sponsâ dicitur* Cant. 6. *Quid videtis in Sunamite, niſi choros Caſtrorum?* Hoc ipſum docuerat D. Athanaſ. (in lib. quæſtionum q. 12.) *Fortes hi Angeli Dei ſunt, qui perfectum virum circumeunt, & circa ipſum incedunt.*

Iſa. 62. v. 6. *Super muros tuos Jeruſalem conſtitui Cuſtodes: totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.* S. Cyrill. Alexandr. (lib. 4. contra Julian.) *Angeli noxias à nobis abigunt feras, & captos ab eorum crudelitate liberant.*

Zac-

Digitized by Google

Zacchar. 9. v. 8. *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi.* At qui sunt milites isti? Rx. & D. Basil. [in Psalm. 33. v.8.] *Sicut muri Civitatis circumducti omni ex parte obarcent, propulsantque hostiles insultus: sic & Angelus te præmunit à fronte, & à tergo custodit: nihil utrinque incustoditum relinquit.*

Psalm. 90. *Cadent à latere tuo mille, et decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Hìc subdit Incognitus: *Secundum Bernardum, iste versus intelligitur etiam de quolibet justo, quem Angeli Sancti in manibus portant: quia non patientur eum tentari supra id, quod potest; sed in manibus, idèst, in auxiliis suis tollent eum, ut pertranseat offendiculum. Quàm facilè transit foveam, qui portatur manibus! Quàm mundè lutum transit, qui manibus sustinetur! Quàm facilè natat aqua, cujus alter sustinet mentum!*

TUENTUR SS. PP.

Divus Thom. à Villanova [serm. 2. de S. Michaele] *Pessimi Dæmones nostram cupiunt perditionem usque adeò, ut videre sanguinem humanum effusum in bellis eorum luxuria est: & nonnisi humano sanguine invocati à Magis, respondeant ad quæsitâ; tanta est humani sanguinis sitis. Angeli autem è converso, has truculentas bestias à nobis abigunt, atque pro nobis decertant adversùs eos: ac veluti parvulos suâ protectione tuentur.*

S. Bernard. [in Psalm. 90. serm. 12.] *Quoties gravissima cernitur urgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere: invoca Custodem tuum, Ductorem tuum, Adjutorem tuum in opportunitatibus in tribulatione. Quid sub tantis Custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis: Fideles sunt, prudentes sunt, quid trepidamus?*

D. August. [Soliloq. cap. 27.] *Facis Angelos tuos Spiritus propter me, quibus mandasti ut custodiant me in omnibus viis meis, nè fortè offendam ad lapidem pedem meum. Hi enim sunt Custodes super muros Civitatis tuæ novæ Jerusalem, & Montes in circuitu ejus: vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum; nè quando rapiat ut Leo animas nostras, dum non esset, qui eriperet, ille antiquus Serpens, adversarius noster Diabolus: qui quasi Leo rugiens circuit quærens, quem devoret. Hi sunt Cives beatæ civitatis supernæ Jerusalem, quæ sursum est mater nostra: in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, ut eos liberent ab inimicis suis, & custodiant in omnibus viis suis ..... Adjuvant laborantes, protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, &c.*

S. Bonav. [serm. de S. Michaele] *Quid formidat imbecillis animus Christiani, cui tot Deus contulit præsidia Potestatum? ... Non paveas ergò repentino terrore irruentes contrà te impiorum potestates, quùm Angelorum præsidio sis munitus.*

Digitized by Google

Idem [serm. 2. de Angelis] *Quis in tot malis, in tantis periculis, tantisque Diaboli tentamentis, tot Mundi periculis, & fallacibus blandimentis, & carnis tàm innumeris incendiis posset esse securus, si non esset Custos Angelus?*

Idem [serm. 4. de Angelis] *Quis tot mala, quæ caro suggerit, Mundus ingerit, & Dæmon impingit, portare posset, si Angeli non juvarent.*

Idem (dist. 2. art. 2. q. 1.) *Paratior est bonus Angelus ad conservandum in bono, quàm sit malus Angelus ad præcipitandum in malum.*

D. Thom. (part. 1. q. 113. art. 4. ad 3.) *Hominibus Angeli ad custodiam deputantur, ut per eos manuducantur ad vitam æternam, et incitentur ad benè operandum, & muniantur contrà insultus Dæmonum.*

S. Petr. Damianus (Opusc. 23. cap. 4.) *Felices, qui justè vivunt, quia dum malignis spiritibus infrænabiliter obluctantur, Angelicæ fortitudinis auxilio muniuntur.*

D. Basil. (in Psalm. 33. v. 7.) *Considera quanta est Angelorum natura, nàm toti exercitui, & multorum hominum ordini unus Angelus assimilatur. Propter magnitudinem igitur custodientis te, Dominus totum exercitum tibi largitur: propter fortitudinem verò Angeli, velut muro te munit. Undequaque ipsius tutela.*

S. Chrysost. (homil. 40. oper. imperf. in Matth.) *Sicut Imperatoris optimi provisione, Urbes omnes, Castella singula, manu militari adversùs hostilem muniuntur adventum: ità & Deus, quoniam barbara, & agresti mente rabientes Dæmones ad pacis eversionem ubique versantur, ad tutelam nostram constituit exercitus Angelorum.*

D. Laurent. Justin. (de Spirituali animæ resurr.) *Angeli suo ministerio Dæmones arcent, nè ad libitum noceant. Quis, quæsò, nisi Angelico esset suffultus auxilio, tàm immanissimorum hostium valeret superare rabiem, effugere laqueos, tentationis vincere, fraudesque detegere?*

S. Posthumius (serm. ad Fratres) *Si adversùs vos conveniunt castra Dæmonum, potestis vos mul ùm adjuvari agminibus Angelorum.*

Glos. ord. (in Judith. cap. 13.) *Angelici Spiritus nobis in custodiam missi, malignos spiritus excludunt.*

Origen. (in Josve cap. 8.) *Quid putas Josve fugiens significat? Videamus si sit tale aliquid, quod fugiendo vincamus; quia est aliqua perfecta virtus in fugâ. Paulus indicat dicens:* (1. Corinth. 6.) *fugite fornicationem &c. si fugiendo evaserimus horum malorum contagia, videntes devotionem nostram, & propositum mentis Angeli, & nos insectationem Dæmonum pati, insurgunt, & eos, post tergum cædentes, interimunt.*

Franciscus Titelman. (in Psal. 33. v. 7.) *Angelus ad hominum auxilium, & protectionem deputatus, atque destinatus, sese immittit, seseque diffundit, & velut castra metatur per circuitum eorum; nè possint ad illos nocendum accedere adversarii.*

Bellarm. (in eundem Psalm.) *Mira potentia Angelorum, ut unus Angelus vicem exercitus suppleat.*

PU-

Digitized by Google

PUGNANT RATIONES.

I. TRia ad benè ordinatam Civitatem cupiebat Plato [lib. 1. de Republicâ] 1. Ut in illâ essent excubiæ, sedulò vigilias agentes. 2. Ut propugnaculis, & armis forent abundè munitæ. 3. Ut essent in eâ milites strenui, qui absque ullo timore hostes aggrederentur, & debellarent. Atqui Civitas Altissimi est hominis anima, cui *non est colluctatio adversùs Carnem, & Sanguinem, sed adversùs Principes, & Potestates, adversùs Mundi Rectores tenebrarum harum*. [Ephes. 6. v. 12.] Ergò Deus suâ ineffabili providentiâ destinavit Custodes: 1. Ut vigilent pro animâ nostrâ. 2. Dedit arma, quæ ipsam propugnant. 3. Militibus eam constipavit, qui pro ipsâ contrà hostes dimicant. Hi autem sunt Angeli nostri Custodes.

Et quidèm de Angelorum excubiis ità effatur D. Laurent. Justin. [in fasciculo Divini amoris 87.] *Quis non ineffabili quodam exuberat gaudio, quùm revolvit mente Sanctum adjutorium Angelorum, qui sinè fatigatione, & intervallo excubias celebrant super plebem Dei, cœtusque fidelium?* Armaturam verò Dei, ut obsistere Hosti antiquo, eumque vincere possimus, Angelos esse Custodes, testatur Dydimus [in Job. cap. 34.] *Scito arma Dei esse Angelicas Potestates*. Angelos tandèm nobiscum, & pro nobis certare adversùs Diabolum, satis constat ex PP. mox allegatis: ipsimet quoque Angeli sic protestantur apud Tertull. [Apol. 42.] *Nam & nos vobiscum militamus*.

II. Propter peccatum Protoplastorum facti sumus infirmi, ac debiles: hostis autem veterator fortissimus est, *nec est potestas, quæ comparetur ei super terram* [Job. 41.] Ergò indigemus auxilio, & protectore, qui nos roboret, atque defendat, ut de inimico tàm immani victoriam reportemus. Quis autem iste Propugnator? Nonnisi Angelus Custos, qui robore pollet inexpugnabili. *Deus*, inquit D. August. [lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 22.] *subdit Angelos malos bonis, ut malorum improbitas, non quantum nititur, sed quantum sinitur, possit.*

III. In republicâ tartareâ sancitum fuit, ut cuilibet homini assignetur Dæmon tentator, qui moliatur viatoris ruinam, cunctisque modis ad Infernum trahere conetur. *Suggestimus*, ait Tertull. [lib. de animâ] *nullum hominem carere Dæmonio*. Ità etiam sentiunt PP. & Doctores. Ergò Deus Creator noster, Redemptor noster, Pater noster, amabilissimâ suâ providentiâ, Angelum lucis tenebrarum Angelo opposuit: qui, tamquam Athleta invictissimus nos protegat, nos liberet à malignis Spiritibus. Hinc à Sophronio [orat. 6. de excellent. Angelorum] Angeli Custodes appellantur *Conservatores, Defensores, Decertatores*.

IV. Nisi Deus providisset hominem de Angelo Tutelari, delinquens aliquam haberet excusationem de peccato suo, dicens: succubui, quia pugnavi contrà hostem absque ullâ comparatione me fortiorem. Sic objicit sibi D. Thom. [1. p. q. 114. art. 2. argum. 2.] *Non est æqua conditio pugnæ, ut infirmus contrà fortem, ignarus contrà astutum exponatur ad bellum. Sed*

Digitized by Google

homines sunt infirmi, & ignari, Dæmones autem potentes, & astuti. Cur ergò permittit Justitiæ Auctor, ut homines à Dæmonibus impugnentur? Bt. & Angelicus Doctor. *Ad hoc, ut non sit inæqualis pugnæ conditio inter Homines, & Dæmones, fit ex parte hominis talis compensatio: principaliter quidèm per auxilium Divinæ Gratiæ: secundariò autèm per custodiam Angelorum.* Undè (4. Reg. 6.) *Eliseus dixit ad ministrum suum: Nolite timere, plures enim nobiscum sunt, quàm contrà nos.*

V. Guillelmus Parisiensis (part. 2. de universo cap. 158.) sic arguit à fortiori: Si hominibus datur potestas in homines, & præficiuntur eis Rectores hominum: & hoc contrà perturbatores publicè faciũt homines, atque privatè: Quantò fortiùs contrà malignos spiritus, qui maximè infesti, maximè noxii sunt hominibus, necessarii sunt eis Rectores, & Defensores? Si igitur cura est Creatori, videlicèt Deo altissimo, ut omnes Rectores, & Defensores habeant, sivè Reges, & Principes contrà infestatores, & perturbatores hominum: quantò fortiùs cura est eidem Creatori benedicto, ut sint eis Rectores, & Defensores contrà infestatores, & perturbatores spirituales, videlicèt, malignos spiritus: ubi tantò magis indigent hujusmodi regimine, & curâ, quantò majora sunt spiritualia bona, & mala corporalibus, & temporalibus? Ità ille.

„ Qui pergit infrà. Quùm „ ordinata sit universalis gubernatio Dei altissimi, & nihil ultrà gubernationem suam esse patitur: „ nihil sinat debito carere regimine; unumquodque igitur pro „ modo, & ordine suo, congruentibus subjecit Rectoribus. Manifestum autèm est, quia homines hominibus, nec congruentes pro toto, nec sufficientes Rectores existunt: maximè quùm „ in majori, vel meliori parte regiminis eorum deficiant, videlicèt, contrà Principes militiæ „ spiritualis. Contrà eos enim virtute suâ, aut sapientiâ incomparabilitèr minùs possunt, quàm „ requirat cura gubernationis hominum. Ut igitùr perfecta sit „ gubernatio Dei altissimi, quâ „ regi totum indiget universum, „ necesse est & sapientiores, & „ fortiores, atque modis omnibus „ meliores esse Rectores hominibus: præsertìm propter infestationes, ac perturbationes, „ quæ hominibus, & rebus humanis à spiritibus proveniunt. Præsertìm quùm manifestum sit, per „ gubernationem Rectorum, hoc „ est, Regentium, homines nec „ astutiæ, nec potentiæ malignorum spirituum resistere posse. „ Alioquin quid aliud esset de hominibus, nisi quòd malignis spiritibus, tamquam animalia occisionis absque Pastoribus, & Custodibus, dati essent in prædam, „ & devorationem? Quod bonitas, „ atque benignitas Creatoris benedicti nullo modo patitur. Hactenus pulcherrimè laudatus „ Guillelmus.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

117. IPsemet Christus Dominus noster adest nobis in tentationibus: pugnans nobiscum, & pro nobis contrà Dæmonem.

Est dogma Fidei, Deum gratiâ suâ nos adjuvare in tentationum prælio, & ad hostem antiquum debellandum. Sic testantur sacra eloquia [Eccli. 33. v. 3.] *Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis.* [2. Paralip. 20. v. 17.] *Non eritis vos, qui dimicabitis; sed tantùm confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos.* [Psalm. 7. v. 11.] *Justum adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.* Et [Psalm. 117. v. 7.] *Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.* [Isaiæ 50. v. 7.] *Dominus Deus auxiliator meus, ideò non sum confusus.* (4. Esdr. 12. v. 47.) *Est memoria vestri coram Altissimo, & Fortis non est oblitus vestri in tentatione.* (2. Petri 2. v. 9.) *Novit Dominus pios de tentatione eripere.*

Alia ferè innumera sunt Sacræ Scripturæ testimonia, quibus patet, Deum gratiâ suâ præstò esse contrà Dæmonem, in auxilium hominis tentati: adjutorem fore in opportunitatibus, in tribulationibus, quæ invenient nos nimis.

Verùm enimverò, pro majori tentatorum consolatione, ac fiducia, ulteriùs asserimus, ipsum amabilissimum, & potentissimum Jesum Salvatorem Mundi, adesse nobis in tentationibus; & nobiscum, ac pro nobis pugnare contrà Dæmonem.

COLLIGITUR EX SACRIS SCRIPTURIS, ET SS. PP.

ECCLESIASTES 4. v. 12.

ET si quispiam prævaluerit contrà unum, duo resistunt ei.

Quærit Baeza [de Christo figurato tom. 1. lib. 2. §. 43.] *Qui duo? Homo, & Christus. Nunquam enim homo linquitur solus in certamine adversùs Diabolos, sed semper sotium protectorem Jesum habet.* Idque confirmat auctoritate D. Hieronym. dicentis: *Vix Diaboli impugnationem sentit homo, & simul sentiet protectionem Christi.*

ISAIÆ Cap. 27. v. 10.

CIvitas enim munita desolata erit. Legunt Septuaginta: *Ego Civitas munita, ego Civitas obsessa.* Quæ verba D. Ambros. [lib. 6. Examer. cap. 8.] exponit de animâ Justi. *Ego Civitas munita, ego Civitas obsessa: munita per Christum, obsessa per Diabolum.* Pergit laudatus Baeza, cujus totum est argumentum. *Nunquam, mihi crede, tibi venit impugnatio Diaboli, quin simul veniat Christi munimentum. Impugnat Diabolus, sed protegit Christus: poterit Diabolus animæ tuæ Civitatem undique obsidere, appositis undique machinis,*

nis, undique concutere. Sed non poterit facere, ut anima in tali impugnatione, & luctâ careat ſocio auxiliante Chriſto.

ISAIÆ Cap. 51. v. 12.

EGo, *Ego ipſe conſolabor vos.*

Per Prophætam loquitur Jeſus Chriſtus; proùt ex SS. PP. advertit hìc Cornelius à Lapide, qui ſcitiſſimè ponderat: *Quaſi dicat, quid times, quùm me habeas defenſorem? Qui, quùm volo, conturbo mare, multò magìs homines, hoſteſque tuos conturbare poſſum: quique ſum Dominus exercituum, qui, ſcilicèt, quùm lubet, in aciem educo Cœlos, Stellas, elementa, flumina, tonitrua, grandines, procellas, atque innumeras Angelorum legiones.*

Hoc idem prius ſenſerat Thaddæus Peruſinos in præcit. locum Iſaiæ. *Ego, Ego*, inquam, *Ego ſum, qui conſolabor vos: Qui ſum Deus miſericordiarum, & Pater totius conſolationis: conſolabor, inquam, vos per memetipſum, & non per Prophætam, ut antèà, neque per Angelos.*

GENESIS 32. v. 24.

MAnſit ſolus (*Jacob*) *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque manè.* Vir iſte, qui luctabatur cum Jacob, non ejus Impugnator, ſed Defenſor fuit. Nam cum dicitur *luctabatur cum eo*, inſinuatur ſocietas ad protegendum, non verò diſcordia ad impugnandum. *Non ergò* (proſequitur laudatus Baeza) *vir luctabatur adversùs Jacobum, & repugans, & contradicens; ſed luctabatur cum Jacob eum adjuvans, & confortans adversùs communem hoſtem, qui luctas, & certamina homini parabat. Quid mirum? Hoc eſt officium Divinìſſimi viri Jeſu, qui nobiſcum in luctas, & certamina deſcendit adversùs Diabolum. Simul enim, ut provocamur à Diabolo in certamen, nobiſcum præſtantiſſimus Jeſus adeſt, & protectionem, & defenſionem affert.*

Dices: Jacob per multum temporis fuit ante Verbi Æterni Incarnationem. Igitur potiùs dicenda erit pia meditatio, quàm germana textus allati expoſitio, quòd Jeſus Chriſtus luctabatur cum Jacob, & compræliabatur cum eo contra Diabolum.

R. Adhuc Sidrach, Miſach, & Abdenago fuere ante Chriſti adventum; & tamen ipſemet Chriſtus ſtetit cum eis in fornace Babylonis, eoſque liberavit de camino ignis ardentis. Legimus enim [Danielis 3. v. 91. & 92.] *Nonne tres viros*, ait Nabuchodonoſor optimatibus ſuis obſtupeſcens, *miſimus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes Regi dixerunt*: verè Rex. Qui reſpondit: *Ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* En cum tribus pueris Filius Dei Chriſtus Jeſus. Perbellè hìc Maldonatus. *Multi veteres Auctores, ut Heronymus indicat, hunc Chriſtum fuiſſe putarunt, qui jam tàm antè ſumptam naturam humanam*

Digitized by Google

nam, ejus similitudinem induerat. En difficultatis solutio. *Et se quodammodò ad futurum Redemptoris officium exerceret. Opinio est valdè probabilis, & Prophætæ verbis, & Justini, Tertulliani, Hilarii, & ferè omnium vetustiorum Scriptorum sententiæ consentanea: qui Christum fuisse dixerunt eum, quem sæpe & specie, & appellatione Angeli Patriarchis apparuisse legimus.*

MATTH. 8. v. 28.

Occurrerunt vi (Jesu) *duo homines habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ità ut nemo posset transire per viam illam, & clamaverunt dicentes: Quid nobis, & tibi Jesu fili Dei?* Soli nè erant hi duo miseri in tàm rabidâ Dæmonum impugnatione? *Absit*, respondet laudatus Baeza; *imò & Diabolus laniebat hominem, & simul substinebat Christi spicula, & clamaret dicens: Quid nobis, & tibi, Jesu? Potuit enim Diabolus eripere homini lucis usum, corporis salutem, claudens eum in sepulchris; sed non potuit vitare congressum Christi stantis pro homine suo.*

Id totum sensit D. Basilil. Seleuc. (orat. 23.) *Tantis malis Dæmon quùm à se obsessum implicuisset, Domini congressum prohibere non valuit.* Non potuit homo obsideri à Diabolo, & non muniri à Christo: sed ut Diabolum sensit obsidentem, simul sensit Christum adversùs Dæmonem congredientem.

MATTH. 28. v. 20.

Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

Ex his dulcissimis Jesu Christi verbis infert D. Laur. Justin. [de interiori conflictu] *Inhæreat itàque Domino Jesu, fidei bruchiis ipsum adstrictum teneat, qui de hostibus suis vult reportare coronam. Infirmitatibus nostris semper propitiatur: nostros sanat languores: in nostris certaminibus nobiscum est, ut succumbentibus nobis præbeat opem, atque pugnantibus vincendi præsidia subministret. Horum expertus Prophæta ajebat: Dominus mecum est, tamquàm bellator fortis. Nec diffidas de eo, quòd minimè præsentia videas: adèst ipse Dominus nobiscum potentialitèr, spiritualitèrque, quemadmodum ipse in Evangelio ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

Et (de Casto Connub. cap. 14.) Sanctus idem Protopatriarcha, sic cœlitùs loquitur: *Quùm vides animam, post longam diversarum tentationum exercitationem, post diutinam malignorum spirituum experientiam, spirituum discretione polere, & in omni spirituali conflictu obtinere triumphum; intellige eamdem Æterni Verbi possidere præsentiam. Non enim, nisi per inhabitantis Sponsi gratiam, tàm gloriosè, tàm prudenter, tàm robustè, tàmque perseveranter posset adversùs acerrimos, eruditos, atque crudeles luctatores prævalere. Talis nam-*

Digitized by Google

namque victoria inhabitanti invisibili Æterno Verbo adscribenda est; non instrumento visibili, mortali, hominique.

EXPLODUNTUR OBJECTIONES CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM.

I. ANgelorum custodia detrahit hominis libertati, & meritorum præstantiæ. Ergò non videtur admitti. Ant. prob. Homo per liberum arbitrium, quo pollet, compelli nequit ad malum, etiam à Dæmonum caterva. Ergò de se absque Angelorum patrocinio, est sufficiens ad pugnandum, & resistendum Diabolo.

Rursùs. Tantò major est gloria vincentis, quantò paucioribus auxiliis triumphat de adversario. Igitùr glorioſiùs est homini, ex se solo vincere Diabolum, quàm cum Angelo compræliante.

℟. Nego ant. quoad utramque partem. Ad prob. dico: Quamvis homo per liberum arbitrium Dei auxilio roboratum, per se sufficeret ad resistendum Diabolo, unum autem ex Dei auxiliis est Angelorum præsidium, & patrocinium. Undè D. Petr. Damian. (Epist. ad Alex. XI.) scribit: *Versutiæ tam callidi, & exercitati hostis non posset fragilitas humana resistere, nisi eum à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret.*

II. Soli Deo convenit custodire hominem, ac protegere; undè Job (cap. 7. v. 20.) ait: *Quid faciam tibi o Custos hominum?* Et David (Psalm. 120. v. 4. & seqq.) *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te, Dominus protectio tua. Dominus custodit te ab omni malo.* Ergò supervacanea est Angelorum custodia.

℟. Nego ant. Nam ex Doctore Seraphico (ubi supra) perfectio Divinæ custodiæ non excludit utilitatem custodiæ Angelicæ. Sicut enim Deus propter ostensionem suæ bonitatis, ac sapientiæ communicavit creaturis posse operari, & aliàs effectivè producere creaturas, ipso cooperante: sic designavit Angelos ad hominum custodiam, estò nec ipsemet desistat ab eorumdem custodiâ; eò vel maximè, quià hujusmodi virtus custodiendi decebat dignitatem gratiæ, & perfectioni Angelorum. Divina igitur custodia non officit custodiæ Angelicæ; imò confert ad perfectionem Angelicam: custodia verò Angelica commendat, & manifestat Divinam bonitatem.

III. Custodia Angelorum ordinatur ad præservandum hominem, nè ruat in captivitatem Diaboli &c. Atqui ejus est præservare, cujus est redimere à captivitate. Ergò, quùm solius Dei sit redimere hominem, solius est Dei custodire, & conservare.

℟. Cum eodem D. Bonav. (loco citato) nego parit. Redimere quippè est mortuum vivificare; at solius Dei est vitam primò conferre, eamque deperditam restituere. Verùm *custodire* importat tantùm aliquem beneficentiæ actum externum, qui potest conferri à naturâ præstantiori, & virtute potentiori. Itàque Angeli, quamvis solvere nequeant à Dæmonis captivitate, possunt tamen hominem custodire, nè rur-

Digitized by Google

rursùs in eam ruat.

IV. Fruſtrà quis nuncium mittit, ubi ipſemet eſt præſens; eò vel maximè quùm facere poſſit per ſeipſum. Deus autèm eſt nobis præſens, & omnia facere poteſt per ſeipſum. Ad quid ergò deputare Angelum ad præliandum nobiſcum, & pro nobis contrà Dæmonem.

℟. Idem Doctor Seraphicus (ubi ſupra diſt. 101. art. 2. p. 2.) Quamvis Deus ſit præſens, tamen propter cœcitatem intellectus noſtri ipſum cognoſcimus tamquam ſi eſſet abſens. Angeli verò, propter luminis claritatem, & beatitudinis perfectionem, ſemper vident Deum facie ad faciem: & ità utpotè ii, qui ſunt in camera Regis, aliis exiſtentibus in exercitu, indicant Domini voluntatem: & ad hoc mittuntur à Deo.

Nec valet: Deus Omnipotens per ſe facere poteſt omnia: ergò non oportet nuncios mittere. Non ſequitur; nam qui præeſt, poteſt multa facere per ſeipſum, quæ injungit ſervo: idque, ut in miniſterio decens, & congruus ſervetur ordo. Deus itàque & per ſeipſum, & per Angelos ſuos miniſtros cuſtodit hominem, protegit, defendit &c.

CONTRA UTRAMQUE CONCLUSIONEM.

I. SI Angeli, & ipſemet Chriſtus Jeſus pugnant nobiſcum, & pro nobis contrà Dæmonem: Ergò hoſtis antiquus numquàm prævalere poteſt contrà hominem. At quotidianâ patet experientiâ, plures, & plures homines vinci, & ſuperari à Dæmone: Ergò ſolus homo certat cum Diabolo.

℟. 1. Alex. de Aleſ. (2. part. ſum. q. 40. art. 4. q. 4.) Divinæ eſt Providentiæ ſic impedire mala, ut tamen ſalvetur conditio naturæ. Sic quoque dicendum de cuſtodiâ, & protectione Angelorum, ac ipſiuſmet Chriſti Jeſu: quod, ſcilicèt, ità fiat, ut non pereat libertas arbitrii, & ratio meriti.

℟. 2. Expeditiùs D. Laurent. Juſtin. [ubi ſupra] *Ipſe* (Chriſtus) *pro nobis dignatur inire certamen, non tamen ſinè nobis. Præbet namque nobis virtutem reluctandi, tribuitque liberaliter ſpem vincendi; dummodò non à nobis, ſed ab ipſo teneamus fiduciam triumphandi.* Id ipſum teſtatur Oſea [cap. 33. v. 9.] *Perditio tua ex te Iſrael: tantummodò in me auxilium tuum.*

II. Bonus Jeſus, qui ſupra modum noſtram ſitit ſalutem æternam: qui ſcit figmentum noſtrum, & potentiam Diaboli: qui perfacilè compeſcere poteſt hoſtem tartareum; cur tantum Adverſarium non propulſat? Cur permittit accedere ad tentandum? Angelus etiam Cuſtos, ad cujus præſentiam Diabolus tentare non audet; quarè interdum ſe occultat? Cur non expugnat?

Huic inſtantiæ fiet ſatis Sect. ſeq. Hìc tantùm dicimus, imperſcrutabilem Dei providentiam mala permittere, ut indè eliciat bona, &c. ut mox dicemus. Scire ſufficiat, totum Infernum nocere nobis non poſſe, niſi velimus. Verba laudati Doctoris Seraphici, utpotè cedro digna, digniſſima quoque ſunt, quæ exhibeantur: *Hi ſunt noſtri Cuſtodes, & Protectores, qui ſemper, & ubique nobis aſſiſtunt, nec nos patiuntur lædi* (N. B.) niſi velimus.

Digitized by Google

REFLEXIO.

OH, qui hæc ſcribis! Oh, qui hæc legis! Oh mortalium cuncti! quid trepidamus timore, ubi non eſt timor? Parvo negotio de adverſario antiquo poſſumus referre victoriam. Pater miſericordiarum potabit nos tentationum lachrymis in menſurâ. Deus totius conſolationis ſtat ad oſtium cordis noſtri, & pulſat: clamare non ceſſat: Dilata os tuum, & implebo illud gratiis uberioribus ad conſpuendum in faciem Diaboli. Angelis ſuis mandavit de nobis, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris: Hi in manibus tollent nos, nè unquam offendamus ad lapidem pedem noſtrum: Horum ſuffulti præſidio, ſuper Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabimus, & concalcabimus Leonem, & Draconem. Scuto circumdabit nos Veritas Chriſtus: non timebimus à timore nocturno: à ſagittâ volante in Die: ab incurſu, & Dæmonio meridiano. Ipſemet Chriſtus Jeſus, Leo de Tribu Juda, qui Serpentem ſuſpendit in ligno, ipſemet Fortitudo plebis ſuæ, & Protector ſalvationis Chriſti ſui eſt: Ipſemet viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ; ut ſinè timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi in ſanctitate, & juſtitia coràm ipſo omnibus diebus noſtris. Ipſemet nobiſcum adeſt uſque ad conſummationem ſæculi. Ipſemet bellator fortis pugnat nobiſcum in tentationibus, & callidum expugnat hoſtem.

Cavete igitur Fideles à falſis Myſticis, qui tentationes prædicant Irreſiſtibiles: qui docent violentias Dæmonis inexpugnabiles: qui affirmare audent, eam eſſe aliquarum tentationum vim, ut iis ſuccumbere una ſit ſalus. Cavete mulieres, cavete viri ab hominibus iſtis, de quibus ait Jerem. [Thren. cap. 2. v. 14.] *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas, & ejectiones.*

SECTIO V.

Cur Deus permittit hominem tentari?

DUM quis fortè pagum pertranſit graviſſimè indignatur, ſi è ruſticanis tuguriis Moloſſi in eum prorumpant. Quarè (ità campos vocibus implet) iſti Nebulones ſuos non alligant canes, ut cuivis tutò permeare liceat? Hoc ferè clamore non pauci ponunt in cœlum os ſuum, & nomen Dei blaſphemant. Cur, ajunt, Deus Cerberos ſuos non coercet inferorum catenis? Cur permittit eos ad nos accedere? Cur finit nos tentari? Nuſquam, nec momento quidèm, tuti ſumus ab incurſibus Dæmonum: ad latus ſemper hærent hoſtes infenſiſſimi: omneſque vias nobis obſepiunt. Quarè igitur Deus hos Adverſarios vinculis non adſtringit æternis. Poteſt certò Omnipotens; cur ergò non facit?

Huic injuſtiſſimæ querimoniæ pauciſſimis verbis reſponderi poſſet

cum

Digitized by Google

cum Job (cap. 9. v. 11.) *Quis ei dicere poteſt; cur ità facis?* Et cum Magiſtro Sentent. [2. diſt. 23.] *Quia noluit. Cur noluit? Ipſe novit. Non debemus plus ſapere, quàm oportet ſapere.* Nihilominùs, ut ſileant hujuſmodi dementatiſſimi, ac prorsùs fanatici contumelioſi, ante concluſionem

118. Præmitto I. Magnum eſſe diſcrimen inter *Præceptum*, *Conceſſionem*, & *Permiſſionem*. *Præceptum* eſt de bonis neceſſariis ad agendum, vel de malis neceſſariò vitandis. Vel, Præceptum eſt, quod jubet faciendum, vel cavendum.

Conceſſio verò eſt de bonis non neceſſariis ad agendum: proùt evenit in privilegiis, in quibus non præcipitur fieri, quod in eis datur, ſed conceditur in favorem illius, cui indulgetur; ideòque licet uti, aut non uti tali privilegio. Seù, *Conceſſio* eſt quùm non jubetur aliquid; conceditur tamen, ut liberè utamur eo, abſque eo, quod in culpam, aut in pœnam incidamus.

119. *Permiſſio*, deniquè, propriè ſumpta, dicitur de quocumque malo, ſeù prohibito: non quidèm reſpectu majoris, aut minoris mali, ſed reſpectu cohibitionis ejuſdem mali permiſſi.

Dixi, *propriè ſumpta*; quia interdum Permiſſio dicitur de omni eo, quod non prohibetur, nec lege præcipitur. Sìc matrimonium permittitur reſpectu Virginitatis, tamquàm minus bonum, relicto meliori. Undè Apoſtolus [1. ad Corinth. 7. v. 6. de matrimonio] ait: *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium*. At hæc magis eſt *Approbatio* quàm Permiſſio.

Magis autèm impropriè, Conceſſio melioris boni non præcepti vocatur Permiſſio; potiùs enim appellari debet *Conſilium*.

Nec licentia aliquid faciendi, quod per ſe non eſt malum, nec prohibitum, eſt in rigore Permiſſio.

Permittere igitur, propriè loquendo, idem eſt ac non impedire, cum ſuppetat impediendi facultas. Hìnc, ut aliquid reverà dicatur permitti, quinque requiruntur. 1. Ut malum, quod permittitur, diſpliceat permittenti illud; 2. Ut ſit eventurum, niſi illius cauſa impediatur. 3. Ut qui permittit, ſciat malum hujuſmodi futurum, ni ipſemet impediat. 4. Ut adſit facultas impediendi. 5. Ut voluntariè omittat impedire: vel, ut non ſe opponat rei eventuræ; nam, qui ſe opponit, & conatur impedire, non dicitur permittere, etiamſi res eveniat.

120. Præmitto II. Quod Permiſſio dividitur in permiſſionem *Juris*, & *Facti*. Prima eſt, quando Jus, ſeù Lex permittit aliquid, quod aliàs prohibitum erat. Hæc autem Permiſſio adhùc eſt duplex: quædam eſt tantum *Impunitatis*: dum, ſcilicèt lex ſolùm jubet nè hoc, aut illo modo delinquens puniatur. Alia dicitur *Exemptionis*: nempè, ut ſinè culpâ fieri poſſit, quod ante hanc legem conceſſionis *Exemptionis*, fieri non poterat ſinè peccato. Quod accidit in *Diſpenſatione*.

Permiſſio autem *Facti* dicitur, quando ſinè Jure aliquid ſtatuente, de facto peccatum voluntariè non cohibetur. Id optimè explicatur in Deo; etenìm, ſi factum attendamus, Deus multa permittit peccata, quæ poſſet impedire; de facto tamèn non vult impedire, ſed potiùs vult

Digitized by Google

illa permittere, ideſt, ſinere ut fiant. Si igitur conſiderabimus *Jus*, Deus nullum permittit peccatum; quia nullum non prohibet, nequè aliquod impunitum relinquit. Quo ſenſu ait D. Auguſt. [lib. 1. de liber. arbitr. cap. 5.] *Legem æternam nullum peccatum permittere.*

121. Præmitto III. Ex meo Trigoſio [par. 1. ſum. Theol. q. 15. art. 3. dub. un.] periculoſam eſſe opinionem eorum, qui autumant, quòd Permiſſio, quâ Deus ſinit hominem peccare, non eſt, niſi hominis libertas, ſecundùm quam homo eſt liber ad bonum, & malum: itaùt nil aliud ſit, Deum permittere hominem peccare, quàm eum relinquere in manu conſilii ſui. Hæc, inquam, Opinio eſt contrà communem SS. PP. ſententiam. Porrò Juſti omnes quotidiè precãtur Deum: *Nè nos inducas in tentationem*; ideſt, non ſinas nos tentationibus ſuccumbi: ſic autem orando, non petunt à Deo nè illis concedat libertatem peccandi, ſed tantùm nè de facto permittat eos peccare, & malè uti propriâ ſuâ libertate. Libertas ergò ad peccandum non eſt permiſſio peccandi.

Prætereà ex eâ opinione ſequeretur, quòd rectè dicere poſſemus: Deum permiſiſſe Chriſti Præcurſorem, & Sanctos Apoſtolos eſſe Hæreticos, Adulteros, &c. Quamvis enim hi, utpotè confirmati in gratiâ, non potuerint peccare in ſenſu compoſito; attamen, abſolutè loquendo, poterant peccare, quùm habuerint libertatem peccandi. Quàm verò diſſonum ſit aſſerere, Deum permiſiſſe iſtos ſuæ Eccleſiæ Proceres omnia patrare delicta, dicant Fideles, qui hæc abhorrent audire. Itàque Permiſſio peccandi non eſt habere libertatem peccandi; ſed permittere de facto, quòd quis ruat in peccatum, & malè utatur propriâ libertate.

122. Præmitto IV. Omnem Permiſſionem Divinam cadere ſub æterno Dei decreto: non minùs, quàm omnes Dei operationes poſitivæ. Sicut enim Deus nil facit in tempore, nequè aliquem impedit effectum creaturæ, quin decreverit ab æterno illud facere, & iſtum impedire: ſic etiam nihil omninò permittit, quin ab æterno decreverit illius permiſſionem. Nullum ergò in mundo committitur peccatum, quin Deus ab æterno ſtatuerit illud permittere. Quapropter, eſtò permiſſa à Deo peſſima ſint, ac deteſtanda; horum autem permiſſio eſt bona, & ob eam laudandus Deus, & benedicendus. Siquidèm Altiſſimus juſtiſſimas, & ſanctiſſimas habet rationes, cur mala permittat; ut mox probabimus. Hinc D. Auguſt. [Enchir. cap. 96.] inquit: *Non fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit: vel ſinendo, ut fiat: vel ipſe faciendo. Nec dubitamus, Deum benè facere, etiam mala fieri ſinendo; non enim hoc niſi juſto judicio ſinit.*

123. Præmitto V. ex Abulenſi [in 1. Reg. cap. 22. q. 28.] quòd eſtò Deus permittat hominem, & Dæmonem deſiderare quodcumque uterque voluerit; non permittit tamèn hunc, aut illum patrare quodlibet. Id enim non requiritur ad perfectam rationem liberi arbitrii, ſed ſufficit, quòd Angelus, aut Dæmon, vel homo poſſit velle bonum, aut malum. Ratio eſt, quia libertas arbitrii eſt facultas Intellectus, ac Voluntatis, & conſiſtit in his duabus potentiis: quòd autem efficiamus, quod volumus, ad virtutem

Digitized by Google

tutem ſpectat executivam. Ideò libertas arbitrii non eſt major, quùm quis efficit omnia, quæ elegerit; quàm quùm nihil eorum facere poſſit.

124. Præmitto VI. Ex eodem (in Exod. c. 9. q. 6.) valdè inter ſe differre has locutiones: *Deus permittit hominem peccare, ut oſtendat juſtitiam ſuam, fortitudinem ſuam, ſapientiam ſuam &c.* ac dicere: *Deus permittendo hominem peccare, elucet in Deo Juſtitia, Fortitudo, Sapientia &c.* Siquidèm verum eſt, quòd in permiſſione peccati elucet Dei potentia, juſtitia &c. ſed falſùm eſt, Deum permittere peccatum, ut oſtendat ſua attributa Divina: quaſi quòd finis, per quem Deus permittit peccatum, ſit manifeſtatio ſuæ Fortitudinis, Sapientiæ &c. Profectò *Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra* (1. Teſſalonic. 4. v. 3.) *Sancti eritis, quoniam Ego Sanctus ſum, dicit Dominus* (1. Petr. 1. v. 16.) *Deus neminem vult perire; ſed vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (1. Timoth. 2. v. 4.)

Quòd ſi de Pharaone legimus (Exod. 9. v. 16.) *Idcircò autem poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*; non debemus attendere corticem literæ; itàut ly *idcircò* importet cauſam motricem, ſeù finalem: quaſi quòd Deus poſuerit Pharaonem obſtinatum, ut oſtenderetur Fortitudo Dei in puniendo illum. Sic enim *litera occidit* (2. ad Corinth. 3. v. 6.) dirimit namque libertatem arbitrii, & conſtituit Deum cauſam, & auctorem peccatorum noſtrorum. Itaque textus allatus ità exponitur à laudato Abulenſi, aliiſque Sacris Expoſitoribus; & particula *Idcircò* ſic expenditur: *Idcircò* non dicit cauſam finalem principalem, ſed quamdam ſecundariam, & per additamentum. Nimirum: Ego nollem quòd tu peccares; ſed quia peccaſti, *idcircò poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam*. Et ſenſus eſt: Quamvis peccatum tuum ſit malum, tamen ex eo hoc bonum ſequitur, quòd fortitudo Dei oſtendetur in puniendo, & narrabitur nomen meum in omni terrâ. Ego non feci te malum; tu voluntariè peccaſti contrà voluntatem meam; *idcircò poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terrâ*. Tu propter peccatum tuum meruiſti, *ut oſtendam in te fortitudinem meam &c.*

125. Præmitto VII. Ex D. Damaſceno (lib. 4. cap. 2.) Auguſt. (de Grat. & lib. arbitr. cap. 25.) Permiſſionem interdùm in Scripturâ dici *Actionem*, imò & nonnunquàm appellari *Præceptum*. Ità Chriſtus Dominus, quaſi imperans, dicebat (Joan. 2. v. 19.) *Solvite Templum hoc*; idèſt, occidite me. Et (Matth. 23. v. 32.) *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*, & (Joan. 13. v. 27.) *Quod facis fac citiùs*. Horum ſenſus eſt: Ego paratus ſum quàm citiſſimè mori; & quòd in me eſt, permittitur tibi, ut citiſſimè id facias:

126. Præmitto VIII. Ex communi Theologorum, & SS. PP. Malum, ſeù peccatum, conferre ad ordinem Univerſi; non quidèm per ſe, ſed per accidens. Nam ex D. Bonav. (in 1. diſt. 46. q. 6.) Decor univerſi eſt duplex: Subſtantialis unus, ſeù quantùm ad eſſe ſimplicitèr: alius accidentalis, ſeù quantùm ad bene eſſe. Porrò quo

ad

ad decorem ſubſtantialem, mala non conferunt, nec per ſe, nec per accidens ad ordinem univerſi; ſed quoad decorem accidentalem, mala aliquid conferunt, ſi benè ſint ordinata. Undè, non quia mala, ſed quia benè ordinata conferunt ad decorem univerſi, & ſic per accidens; etenim hoc decore circumſcripto, adhuc decor univerſi eſſet perfectus. Mala igitur faciunt ad decorem, non ratione ſui, ſed ratione *Subjecti*, quod ordinatur ad punitionem, & ad oſtenſionem Divinæ Juſtitiæ; Vel ratione *Oppoſiti*; oppoſita namque juxtà ſe poſita, magis eluceſcunt; Vel ratione *Boni elicitì*; multa enim bona facta ſunt, & facit Deus, quæ nec facta eſſent, nec faceret, niſi malum præſtitiſſet occaſionem faciendi ea; ut patet in hominum reparatione. Semper tamèn verum erit, quòd ſinè his malis Univerſum eſſet completum. Hæc Doctor Seraphicus.

127. Præmitto IX. Hactenùs præmiſſa de Permiſſione peccati, etiam concludere de permiſſione tentationis ad peccatum; ut clatè patet. Omnia enim, quæ fiunt à cauſis inferioribus, eſtò pravè ſint, ſubſunt Divinæ Providentiæ; ideòque omnis tentatio, aut impugnatio à Diabolo nobis facta, eſt permiſſa à Deo, & ab ejus ordinatione aliquo modo deſcendit; Hinc D. Thom. (1. part. q. 114. art. 1.) docet: *Dicendum, quòd circà impugnationem Dæmonum, duo eſt conſiderare: ſcilicèt, ipſam impugnationem, & impugnationis ordinem. Impugnatio quidèm ipſa ex Dæmonum malitiâ procedit, qui per invidiam profictum hominum impedire nituntur; & per ſuperbiam, Divinæ poteſtatis ſimilitudinem uſurpant, deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem; ſicùt & Angeli Dei miniſtrant in determinatis officiis ad hominum ſalutem. Sed ordo impugnationis ipſius eſt à Deo, qui ordinatè novit malis uti, ad bona ea ordinando. Sed ex parte Angelorum, tàm ipſa cuſtodia, quàm ordo cuſtodiæ, reducitur ad Deum, tanquàm ad primum auctorem.*

Ut autem rectè, ac ritè intelligantur verba iſta Doctoris Angelici, advertere debemus, quòd quùm ait: *Ordo impugnationis eſt à Deo*, loquitur de ordine finis, ſeù intentionis; non verò de ordine quaſi formali quoad actiones, quibus à Dæmonibus talis impugnatio fit. Ad tollendam igitur æquivocationem, diſtinguere debemus duos Ordines: Unus eſt ſecundùm varias actiones pertinentes ad talem impugnationem: ità v. g. in bello, quòd hi milites iſtas exerceant actiones, & alii alias. Ordo iſte vocatur ordo formalis, qui eſſe nequit à Deo, niſi permiſſivè tantùm, quoad impugnationem Dæmonum, non autèm poſitivè, ſeù intentivè, niſi quoad concurſum generalem, quem Deus præbet voluntatibus adhuc deordinatis. Alius eſt ordo, quo totum bellum ordinatur ad hunc, vel illum finem: & hoc modo, licèt ordinatio ad privatum, & pravum finem ſit intenta à Dæmonibus, & non à Deo; nihilominùs Deus totam hanc impugnationem, omnia Dæmonum miniſteria, eorumque diſtributiones, & actiones ordinat ad altiorem finem gloriæ ſuæ, & ſalutis hominum. Et in hoc ſenſu ait D. Thom. quòd *Ordo impugnationis eſt à Deo.*

128.

Digitized by Google

128. Præmitto X. quòd ex dictis non benè infertur: Ergò permissio cadendi in peccatum est à nobis appetenda, & petenda. Nam bonitas illius permissionis fundatur in Dei Sapientiâ, & Potentiâ: quatenùs Deus scit, & potest ex permissione mali elicere majus bonum. Nos autèm, utpotè fragiles, id facere nequimus, & consequentèr nobis non *licèt* appetere, aut petere hujusmodi permissionem. Eo modo, quo non licet rumpere vas aureum, estò sit Artifex, qui restauret illud; quia scire restaurare Artificis est sapientia, non autèm nostra: sic non desideranda permissio peccati, etsi Deus ex illo bonum eliciat; *non enim sunt facienda mala*, neque cupienda, ex quibus probabilitèr sequuntur mala, *ut veniant bona* [ad Roman. 3. v. 8.] Tùm quia, non omne objectum voluntatis Divinæ esse potest objectum voluntatis nostræ; Deus enim potest velle suum Esse; nos autèm non possumus appetere Esse Divinum. Potest Deus velle mittere peccatorem in ignem æternum; nos verò id appetere nequimus; imò tenemur velle, ut Deus misereatur omnibus. Ità in re nostrâ: Pemissio Divina, quâ Deus sinit justum delinquere, ut indè resurgat ad majorem gratiam, licèt sit bona in ordine ad voluntatem Divinam, & subest Dei Sapientiæ, ac Potentiæ; attamen respectu nostræ infirmitatis, & imbecillitatis non est bona. Indè potest Deus velle hujusmodi permissionem, tamquàm nobis bonam; nos autèm non debemus nec appetere, nec petere illam.

Neque insurgas: Ergò saltèm possum appetere, & petere illam, proùt subest Dei Sapientiæ, ac Potentiæ: & secundùm hunc modum possum petere à Deo, ut permittat me cadere in peccatum, ut cum majori gratiâ indè resurgam, conformitèr ad suam Sapientiam, & non ad meam miseriam.

Vana prorsùs, & erronea instantia. Jam enim diximus, quòd non sunt facienda mala, ut exindè sequantur bona. Nec solùm culpa certa, sed etiam probabilis, non est appetibilis; ideòque non licet appetere hujusmodi permissionem, etiam ut subest Dei Sapientiæ, & Potentiæ. Qui verò alitèr sentiunt, coincidunt in errores Illustrissimi Archiepiscopi D. Francisci de Salignac Fenelon, damnatos ab Innoc. XII. anno 1699. Die 12. Mensis Martii.

CONCLUSIO.

129. DEus sapientissimè, ac justissimè permittit nos tentari. Est de fide, & ut in hac assertione certi simus, sufficit auctoritas Dei permittentis; ad uberiorem tamen doctrinam

SUNT IN PROMPTU SS. SCRIPTURÆ.
ECCLI: 27. v. 6.

VAS figuli probat fornax, & homines justos tentatio. Et 34. v. 9. *Qui non est tentatus, quid scit? .... Qui tentatus non est, qualia scit?*

Digitized by Google

TOB: 2. 12.

HAnc tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus. Et 12. v. 13. *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

EPIST: JACOBI 1. v. 2.

OMne gaudium existimate, Fratres mei, quùm in tentationes varias incideritis; scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autèm opus perfectum habet.... Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam quùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

EPIST: 1. PETR: 1.

IN quo exultabitis modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: Ut probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Jesu Christi.

2. AD CORINTH: v. 7.

NE magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.

APOCALIP. 2. v. 7.

VIncenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. Et cap. 3. v. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei:* v. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.*

SUBSCRIBUNT SS. PATRES.

DIvus Greg. [lib. 2. moral. cap. 3.] *Ecce permissionem verberis comitatur custodia protectionis, & electum suum Divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit, alia illius prodit, alia protegit. Si enim Job totum desereret in manu tanti adversarii, homo quid esset? In ipsa ergò justitia permissionis miscetur quædam libra pietatis, quatenùs in uno, eodemque certamine, & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbus ex permissione succumbat. Idem ergò in manu Dei, idem in manu Diaboli est; quia tenuit, quem concessit: & dando non dedit, quem adversarii sui jaculis ejiciens abscondit.*

Idem [ibid. cap. 32.] *In tantum Deus ad bonorum corda hostem sævire permittit, in quantum necesse*

Digitized by Google

ceſſe eſt, ut tentationibus erudita ſolidentur, nè ea, quæ agunt bona, ſuis viribus tribuant: nè in ſecuritatis torpore ſe deſerant, & à timoris accinctione diſſolvant; ſed ad profectus ſui cuſtodiam tantò ſolertiùs invigilent, quantò ſe contrà adverſarium ſtare in acie tentationum ſemper vident.

S. Ambroſ. [lib. 4. ſuper Luc. cap. 4.] *Tentatio eſt cauſa victoriæ, materia triumphorum: Dives ille, qui tentationem non ſenſit in hoc ſæculo, in pœnis eſt apud inferos.*

D. Auguſt. [in Pſalm. 61.] *Noli timere, permiſſum facere aliquid Tentatorem; habes enim miſericordioſiſſimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodeſt, ut exercearis, ut proberis, ut qui te neſciebas, à te ipſo inveniaris.*

Idem [ſerm. 90. cap. 5.] *Quid Diabolo nequiùs? & de illius nequitiâ quanta bona fecit Deus? Non funderetur pro ſalute noſtrâ ſanguis Redemptoris, niſi nequitia eſſet deſertoris.*

S. Hieronym. [Epiſt. 6. ad Amicum] *Miſer, & infelix eſt, qui nec fuerit in felicitate tentatus.... exterum ſe noverit ab amore Dei, qui neſcit tentationibus vexari.*

D. Baſil. [homil. 9.] *Providentiſſimus rerum humanarum Diſpenſator Deus utitur ad noſtram exercitationem malignitate Dæmonis, quemadmodùm Medicus Viperâ ad venena.*

S. Chryſoſt. [homil. 43. in 1. ad Corinth.] *Non eſt quod mireris, ubi innumeris malis virum probum tentatum conſpexeris; ſed illud erat demirandum magis, ſi Diabolus conquieſceret. Sicut nihil mirum, ſi ſtipulatus Serpens reſultet, & vexanti moleſtus ſit: ità, nec ſi Diabolus, qui omni Serpente nocentior eſt, inſiliat, & inſtar Scorpii aculeum exerens, impellat virum bonum... Sed dices: Cur Deus iſta permittit? Quò magis hic coronetur, ille graviùs vulneretur. Non enim permagnum eſt in proſpero rerum ſtatu miſericordiam exercere, & virtuti deditum eſſe; longè verò majus eſt, adverſitatibus urgentibus, à virtutum actibus non deturbari.*

S. Doroth. [doctrina 19.] *Neceſſariò bonum omne præcedit, aut ſequitur tentatio. Neque bonum dici poteſt ſecundùm Deum, niſi approbetur tentatione.*

Orig. [ſuper lib. Num.] *Sicut caro, ſi ſale non aſpergatur, quamvis ſit magna, & præcipua, corrumpitur; ità & Anima, niſi tentationibus aſſiduis ſaliatur, continuò reſolvitur, & relaxatur.*

D. Thom. [1. part. q. 14. art. 1. ad 3.] *Deus permittit electos ſuos impugnari propter eorum exercitium, ut, ſcilicèt, pugnando exerceant actus Virtutum; Fortitudinis, Patientiæ, Obedientiæ, Charitatis, Fidei, Spei, Caſtitatis, &c.* Et ſibi objiciendo argumentum illud: *Ad exercitium hominum ſufficiebat tentatio Carnis, & Mundi: Ergò non videbatur neceſſarium, quòd à Dæmonibus impugnaretur.* Et Angelicus Doctor. *Infirmitati hominis ſufficeret quidem impugnatio Carnis; ſed malitiæ Dæmonum non ſufficit, quæ utroque utitur ad hominum impugnationem. Sed tamèn ex Divinâ Ordinatione hoc provenit in gloriam electorum.*

Ugo à S. Charo [in Geneſ. cap. 14.] *Deus ſæpè permittit nos tentari de vitio aliquo, nè tentati de alio ſuccumbamus.*

OBSIGNANTUR RATIONIBUS.

130. I. EX parte Dei. In permiſſione tentationum reluceſcit ejus *Conſtantia* in ſuis decretis. Quùm enim liberum creaverit hominem, ac Dæmonem; ità liberè ſinit peccare hominem: nimis quoque violentum videretur ad omnia Dæmoni adſtringere manus, & ſemper impedire, quod Dæmon naturaliter poteſt, & ſummoperè optat. Indè patet etiam *Suavitas* Divini regiminis.

131. Ceraitur Dei *Clementia*, quæ Satanæ dentes non excuſſit; ungues non præſcidit; ſed ità deſrivit limâ, ut nec mordere, neque inunicare poſſet, niſi volentem. Debilitatus eſt Dæmon, & fractus in plurimis; ſi enim ſineretur agere, quod iniquè vult, & naturaliter poteſt, noſtrum omnium confodiſſet jugulum: acciſa eſt ejus poteſtas, adeout ſit ei præfixum: *Hucuſque*. Sicuti Magiſtratus dictat Carnifici: Eouſque torqueatur reus: tot mulctetur plagis: iis luat ſuppliciis. Ità omninò Deus ad unguem præfinivit Dæmoni, quouſque in nos poſſit ſævire.

132. Apparet Divina *Sapientia*, quæ Patrem ſuperbiæ permittit quidem viribus uti naturalibus; efficit tamen, ut ab hominibus infimiſsimis creberrimè vincatur: & ut ſordidiſsima, abjectiſsimaque ferenda ſe dejiciat ille, qui Solium ſuper Aquilone conatus fuerat collocare. Id equidèm menti tàm ſublimi, Angelo tàm potenti ſummo dedecori eſt, ac probro, ab hominibus luteis beſtiam veluti cæcam videri. Obibat olim Monachii per plateas Urſus cæcus, qui puerorum erat ludibrium: quùm enim miſerum pecus ſibi mendicaret pabulum, paſsim his ſalutabatur vocibus: Pande fauces, bellua: quantùm potes hia: hiabat, fauces pandebat; ſed non rarò pro panis buccella, ſordes, lutum, lapillos conjectabant in os frementis beſtiæ. Sic Diabolus, vero nomine pauperrimus, tanquàm Leo rugiens, circuit quærens, quem devoret, hinc, illinc mendicans ſibi pabulum; ſed adhuc à Puellis ludibrio habetur. *Creditis me*, dicebat filiis ſuis magnus Antonius [in Vit. PP.] *quid dicturus ſum vobis? Vidi aliquando Diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem, & providentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: Quid vis, ut à me tibi donetur, Antoni? Ego in eum, Chriſti nomine armatus, ſputaculum maximum imoſ ejus ingeſi: & ſtatim procera virtus illius evanuit.* En Lucifer Angelorum formoſiſsimus, veluti Urſus cæcus ab homine conſpuitur. En Draco ille, quem formavit Deus, non ut nobis illuderet, ſed ut à nobis illuderetur; proùt teſtatur David. [Pſalm. 103. v. 26] *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.*

133. Patefit Divina *Potentia*, quæ grande elicit bonum à malo tentationum. Porrò tentatio à Diabolo eſt noſtra perfectio: peccatum unius, eſt meritum alterius. Claret etiam Dei potentia, dum coercet Dæmonem, nec ei permittit, quod facere poſſet. Potuit Dæmon in Ægypto, & jam mutavit aquas in ſanguinem, Ranas quoque produxit; quia Deus id permiſit: poterat multò faciliùs Culices progignere; ſed non fecit; quia Omnipotens non permiſit.

134.

Digitized by Google

134. Oſtenditur *Juſtitia* Divina, quæ hominum delicta etiam in hac vitâ punit. Siquidèm Tentatio, veluti ſpuma cauſtica, eluit noxarum ſordes, juxtà illud Iſaiæ [1. v. 25.] *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.*

135. Convincitur efficacia *Gratiæ Divinæ*, quâ homines debiles, & imbelles fortitèr ſuperant Adverſarium arrogantem. Indè Apoſtolus colaphizatus ab Angelo Satanæ, tèr Dominum rogavit, ut diſcederet ab eo: & dixit ei Dominus (2. Corinth. 12. 9.) *Sufficit tibi gratia mea.* Undè D. Auguſt. (ſoliloq. cap. 16.) ait: *Adfuit Tentator &c. ſed ut non conſentirem, Tu me tenuiſti: Tu me confortaſti; Tu me roboraſti: Tu me illuminaſti.* Demonſtratur etiam, quàm vera ſit Gratia, quæ gratis datur: Quamvis enim Deus hominibus, quos tentari permittit, Gratiam præbeat, quâ poſſint, ſi velint, tentationem vincere; Gratiam tamèn efficacem dat cui vult; & tantâ libertatè, ut non paucis peccatoribus illam poſtea tribuerit: & homini juſto interdùm eam non dederit. Docente Apoſtolo (ad Roman. 11. 6.) *Si autem gratia, jam non ex operibus: aliquin gratia jam non eſt gratia.*

Dices. Imò per tentationes ſæpè apparet inefficacia gratiæ. Nam ſæpiùs vincuntur homines, quàm vincant. Id maximè fuit manifeſtum in tentatione primorum hominum, qui, etſi magnâ fuiſſent gratiâ præventi, & à tentationibus propriarum paſſionum immunes, proſtrati fuere unâ, facili, & extrinſecâ Dæmonis tentatione.

R. In eâ victoriâ Diaboli oſtenſam quidèm fuiſſe debilitatem liberi arbitrii hominis; illum verò lapſum redundaſſe in majorem claritatem gratiæ Dei. Audiamus D. Auguſt. (lib. de correct. & grat. cap. 10. 11. & 12.) *Sic ordinavit Deus hominum vitam, ut priùs oſtenderet quid poſſet eorum liberum arbitrium; & deindè quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium.*

136. Manifeſtatur *Æquitas* Dei. Nam interdùm prævenit, nè tentemur, nec Tentatorem aggredi ſinit: ſæpè ità moderatur tentationem, ut non ſuperemur; proùt advertit D. Auguſt. (ibid. cap. 16.) *Nonniſi ad menſuram Diabolum tentari permittit: undè dando tentandi poteſtatem, ſervat Æquitatem.*

Nequè obſtat, quòd interdùm Deus permittit tentari eos, quos præſcivit fore caſuros, vel etiam aliquandò perituros. Nil officit. Id enim Deus non permittit, niſi dando & libertatem, & gratiam, & poteſtatem ad reſiſtendum, & vincendum. Undè ait D. Bernardus [ſerm. 5. Quadrag.] *In nobis eſt, ſi vinci nolumus: & nemo noſtrum in hoc certamine dejicitur invitus.*

137. II. Ex parte hominis multæ adſunt rationes, quibus noſtra probatur Concluſio; ſed quia eas paulò antè retulimus ex Sacris Scripturis, & SS. PP. unum occurrit diſtinguere, Statum, nempè, humani generis antè, vel poſt Adæ peccatum. In utroque ſiquidèm ſtatu permiſſum fuit Dæmoni tentare homines; diversâ tamèn ratione, ſi ex parte hominum causa, & ratio ſpectetur. Nam in ſtatu Innocentiæ, tota ratio, cur homo permiſſus eſt tentari, fuit ut ejus virtus exerceretur, ejuſque conſtan-

Digitized by Google

ſtantia, & obedientia probaretur: atque interveniente pugnâ, glorioſior eſſet Corona; juxtà effatum D. Greg. (in 1. Reg.) *Ut tantò ſit copioſior gloria, quantò eis irrogata fuerint graviora prælia.*

Poſt lapſum verò, tentatio, ſeù impugnatio Dæmonum, non tantùm eſt exercitium virtutis, ac via ad victoriam, & coronam; ſed eſt etiam pœna peccati. Ideòque poſſet Dæmon nunc juſtè permitti graviùs tentare, quàm jam tentat; niſi per Chriſti merita, & gratiam coerceretur.

138. III. Ex parte Dæmonis aliquam poſſumus rationem aſsignare, cur poteſtatem habeat permiſsivam tentandi homines. Enim verò antè peccatum hominis, fuit hujuſmodi poteſtas tributa Dæmoni ad majorem ipſius confuſionem, ac dejectionem: conſideratâ, nimirùm, causâ ex parte Dæmonis. Quia, ſi in primâ tentatione fuiſſet victus ab homine, ſtatim oſtenderetur Dæmonis imbecillitas: Si autèm homines vinceret, proùt de facto vicit, & ità futurum eſſe Deus prævidit; nihilominùs ibi pararetur via, ſeù Deo præberetur occaſio, altiori, potentiorique modo triumphandi de Diabolo, per eamdem naturam humanam, non ſolùm in Chriſto deificatam, ſed etiàm lapſam, & per gratiam Salvatoris adjutam, & reparatam.

Quamvìs igitur per peccatum hominis nova quædam ratio tentandi orta fuerit ex parte Dæmonis, quatenùs hominem ſuperaverat, & quodãmodò ſibi ſubegerat; nam (2. Petr. 2. v. 19.) *A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Attamèn tota hæc poteſtas redundavit in majorem ejuſdem Dæmonis confuſionem, & augmentum pœnæ, ſaltèm accidentalis. Nec poteſt indè gloriari, vel (ut ità dicam) conſolari, quòd plures vicerit homines, & à pauciori-bus fuerit victus: nam *in primis*, in iis, quos vicit, non *vicit* Dei potentiam, aut gratiam; Deus enim non ex impotentiâ, ſed voluntariè proptèr judicia ſua incomprehenſibilia id permiſit: & quotiès voluit efficacitèr juvare hominem, ſemper vicit Dæmonem. Deindè Dæmon victus eſt ab omnibus hominibus, quos Deus prædeſtinaverat ad reparandas ſedes Angelorum cadentium: qui erat ſcopus, & finis totius belli. Ideò (Apocalyp. 12. v. 10.) Angeli abſolutè proclamarunt hominum victoriam contra Dæmones dicentes: *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator* (Dæmon) *fratrum noſtrorum* (hominum) *qui accuſabat illos antè conſpectum Dei noſtri die, ac nocte. Et ipſi* (homines) *vicerunt eum propter ſanguinem Agni.*

OBJECTIONES ALLATÆ à D. Thom. (3. diſt. 23. art. 2.) ET AB EODEM SOLUTÆ.

I. SApientis Artificis eſt facere unumquodque, quantumcumque poteſt, fini competentius: homo autèm ad beatitudinem, ſicut ad finem, factus eſt. Quùm ergò competentior beatitudini fieret ſinè peccato; videtur, quòd non debuerit Deus permittere, eum in peccatum cadere.

℟. Dicendum, quod ſapiens Arti-

Digitized by Google

Artifex, non tantùm considerat quid competat parti ædificii, secundùm se acceptæ, sed etiam secundùm proportionem ad totum ædificium: & ideò, sicut unam partem aliâ meliorem facit: ità etiam Deus unumquodque facit in illâ proportione ad finem, secundùm quem competit naturæ suæ in ordine ad totum Universum.

II. Ad providentiam Sapientis pertinet, ut impedimenta removeat sui operis. Quùm ergò per tentationem Dæmonis homo à suâ rectitudine impeditus fuerit, & Providentia Divina sit omnium creaturarum, & præcipuè rationalium Opifex; videtur, quòd hominem tentari permittere non debuit.

℟. Quòd Sapientis est removere hoc modo impedimentum, quod naturâ non tollatur. Quod non fieret, si hominem, vel Angelum in peccatum cadere non permitteret, quàmdiu est in statu viæ.

III. Quantò aliquid efficitur compendiosiùs, tantò certiùs, & meliùs est; undè & omnium linearum inter duo puncta, recta brevissima est. Sed compendiosior fuit via perveniendi in beatitudinem, quando homo non peccaret, quàm quòd homo post peccatum, de peccato erutus, in beatitudinem transferretur. Ergò videtur, quòd Deus non debuit permittere hominem peccare.

℟. Quòd non semper via brevior eligenda est, nisi quandò per eam omnia, quæ ad rem pertinent, convenienter salvantur. Et hoc non fieret, si hominem in peccatum non permitteret cadere.

IV. Minus malum pro majori malo permittendum est. Sed minus malum est diminutio alicujus laudis, quàm ipsum peccatum; quia minori bono opponitur. Ergò videtur, quòd non fuerit ratio sufficiens permissionis Divinæ, quæ assignatur, scilicèt, quòd glorioſiùs est non consentire, quàm tentari non posse.

℟. Quòd non tantùm per non permissionem peccati violenta tolleretur laus; sed etiam naturalis ordo rerum: quod nullo modo Providentia Divina pateretur. Hæc Angelicus Doctor.

OBJECTIONES PROPOSITÆ, ET ENODATÆ A D. CHRYSOSTOMO [tom. 5. orat.] DE PROVIDENTIA.

I. QUam ob causam ab initio Deus, Inimicum, postquàm decepit hominem, non delevit, si dominatur vi?

℟. Ad hoc dici potest, quòd sit rationi consentaneum. Quia Dæmon persuadet solùm; & non parere ei nostræ potestatis est. Quarè ergò adimis à nobis occasionem laudis, & coronarum excutis materiam? Quòd autèm ille superet, à nobis est, quùm inclinamur volentes, non autèm cogimur. Quòd si multi jam superiores fuerunt, & multi posthac erunt, quarè tu tanto vis honore privari?

Sed non omnes, inquies; erunt Dæmone superiores. Multò tamèn justius est, generosas occasiones habere, in quibus institutum probent, ac eos, qui tales non sunt, de propriâ

priâ ſocordiâ puniri, quàm proptèr ipſos bonos illos affici damno. Malus enim, ſi patitur injuriam, non tamèn ab adverſario, ſed à ſegnitie ſuâ: quòd multitudo vincentium declarat.

Verùm tunc læſi eſſent à malis boni, ſi non haberent ubi fortitudinem exercerent: ſic autèm linguam, os, & oculos accuſare poſſunt; multi enim appetunt oculis, quæ appetere non decet, & in adulterium cadunt: linguâ verò convitiantur, & pernicioſa loquuntur. Nùm igitùr ſinè oculis, & ſinè linguâ homines facere oportebat? Ergò & pedes, & manus amputabimus? nam ſæpè manus ſanguine plenæ ſunt, & pedes ad malum currunt. Vides riſum, & abſurditatem! Diabolus ergò ſibi malus, non verò nobis; nos enim, ſi velimus, multa bona per eum conſequemur, ipſo quidem invito, & nolente.

II. Cujus rei gratia veteranum illum ſeductorem non continuò deleverit Deus?

℟. Pro ſummâ in nos curâ factum fortaſſe comperies. Quodammodò ex illo proficimus, dum illius actum, immanitatem, & perpetuas inſidias, ac fraudes varias ſoliciti metuimus, & ſomnum immodicum excludimus, vigilamus ſobrii, & ſemper reminiſcimur Dei. Audi Petrum [Epiſt. 1. c. 5.] *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter Diabolus, tamquàm leo rugiens circuit quærens, quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide*. Promptiores nos ergò tentationes faciunt, & fortiores, perſuadentque familiariſſimos fieri Deo. Qui enim imminere ſibi ſenſit inimicum, majori ad Deum currit deſiderio, quo ſe tueri poſſit.

Ità ferè infantes pueri, quùm quid horrendum viderint, ad Matrum ſinus protinùs fugiunt, illarumque pandentes veſtes, eis ſe tuentur, & protegunt, nè indè avelli poſſint. At verò quandò nihil hujuſmodi perturbat, nec vocantes quidèm illas exaudiunt, neque trahi patiuntur; imò blanditiis allicientes reſpuunt; & quùm plurima illæ moliantur, ut ad ſe eos pertrahant, ſemper eas averſantur. Quamobrem Matrum plurimæ, quùm nihil obſecrando proficere ſe viderint, larvas quaſdam, & horroris figmenta parant, quæ ad reditum impellant. Hoc in nobis etiam contingit: Quandò enim malignus ille perterret nos, atque perturbat, tunc frugi efficiamur: tunc nos agnoſcimus ipſos: tunc ad Deum recurrimus omni ſtudio. Hactenùs os aureum Chryſoſtomi.

FIT SATIS ALIIS OBJECTIONIBUS.

I. VIdetur alienum à Dei Sapientiâ, & Providentiâ permittere Dæmonem tentare hominem. Ergò, &c. Ant. prob. In caſu conſtitueret hominem in periculo multiplicandi peccata. Siquidèm Adverſarius eſt potentiſſimus, *nec eſt poteſtas in terrâ, quæ comparetur ei*. [Job. 41.] Homo autem naturâ ſuâ eſt fragilis, & facilè vinci, ac decipi poteſt. Hinc D. Ambroſ. [ad Epheſ. 6.] ait: *Peccata hominum à Diabolo miniſtrari, cujus altitudo grandis & hominibus impoſsibilis eſt*. Et S. Bernardus [ſerm. 5. in Quadrag.] *Magnum diſcri-*

Digitized by Google

discrimen est adversùs Diabolicæ fraudis astutias, tàm crebros, tàm continuos habere conflictus: quam nec videre quidem possumus, et quam nimis astutum fecerit, tàm naturâ subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus.

℟. Magnam quidèm esse Dæmonis potentiam, & versutiam; sed major est incomparabilitèr Dei potentia, & clementia; quâ semper est paratus ad adjuvandum hominem; juxtà illud [Psalm. 90.] *Cum ipso sum in tribulatione*, & nos supra ostendimus. Benè verùm est, quòd tempore tribulationis, ac tentationis, oportet hominem per orationem recurrere ad Deum; proùt in eodem Psalmo immediatè præmittitur: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum*. Imò, ut dicebamus, ideò permissa est à Deo impugnatio hujusmodi, ut homines provocarentur ad orandum, & in Deo sperandum.

Præterea, estò Diabolus sit potentissimus, astutissimus, & exercitatissimus ad pugnam: homo autem debilis, ac fragilis; fit tamèn compensatio ex parte Dei, & Angelorum custodiâ; ut supra probavimus. Undè Abulensis [in Matth. cap. 4. q. 61.] advertit: Quandò tentamur à Dæmone, Deus permittit nos aliqualitèr affligi ab eo, ut locum merendi habeamus, & facit, quòd Angeli Custodes nostri non adjuvent tunc nos juxtà totas vires suas; quia aliàs Diabolus non posset tentare, quùm illicò Angeli Custodes eum repellerent: & tamen permittunt eum contrà nos agere, sicut Deum velle vident. Et ista permissio significatur per aliqualem absentiam Angelorum à Christo, tempore tentationis. Non est tamen ista permissio totalis, itaùt permittat Dæmonem agere juxtà omnes vires suas, (N. B.) & nos totalitèr destituant; quia tunc semper vinceremur, propter altitudinem Satanæ: sed permittitur tentari quantum possumus tolerare: & tunc Angeli Custodes nos adjuvant. [1. Corinth. 10.] *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari, ultra id, quod potestis.* Istud adjutorium, quod Angeli nobis faciunt, quandò nos fecimus quantum potuimus, signatur per hoc, quòd Angeli multùm elongati à Christo tempore tentationis, licèt non essent omnino præsentes; & hoc colligitur, in quantum dicitur in litera: *Reliquit eum Diabolus, & ecce Angeli accesserunt*; idest, immediatè accesserunt: quod signat illa dictio: *Ecce*. Satis ergò propinqui erant, quùm immediatè accedere potuissent. Etiam, quia dicitur: *Accesserunt*; quia accedere non est, nisi inter ea, quæ propinqua sunt; in his autem, quæ longinqua sunt, dicitur: *Venire*, & non *Accedere*. Sic dicit Chrysostomus super Matth. Ità ille,

Quando ergò D. Ambrosius ait, esse homini impossibile resistere potentiæ Dæmonis, verum dixit, si Dæmoni permitteretur totâ suâ uti potentiâ contrà hominem, & iste suis solis viribus, Dei auxilio destitutus, cum Dæmone congredi sinatur. At sub Divinâ Providentiâ, & Bonitate temperante adversarii efficaciam, atque offerente suum adjutorium, & cum Angelorum patrocinio, imò & ipsomet Christo Jesu nobiscum, & pro nobis propugnante; non solùm possibilis, sed & facillima erit victoria. Homo namque, si debito modo velit uti dictis auxiliis, & Patronis, potentior est

Dia-

Digitized by Google

Diabolo, & omnibus Inferni Furiis: *Omnia possum in eo, qui me confortat*: ait Apostolus [ad Philip. 4. v. 13.] *Non ego solus, sed gratia Dei mecum* [1. ad Corinth. 15. v. 10.] Ideò, quùm dixisset D. Ambrosius: *Altitudo Dæmonis homini impositibilis est*, adjecit: *Ideò monet Apostolus contrà illum arma Dei sumere, cujus solius virtute superantur, & destruuntur omnia machinamenta Diaboli*.

II. Qui potest impedire malum, & non impedit, dicitur ejus causa moralis. Ergò Deus permittendo tentationem, quam posset impedire, censeretur Auctor illius peccati, ad quod inducit tentatio. Quod non est asserendum.

139. R. Ant. esse manchum. Tunc quis dicitur causa moralis alicujus mali, quandò non solùm potest, sed etiam tenetur illud impedire. Hinc herus, qui permittit sibi aliqua subripi à famulo, ut ejus fidelitatem magis exploret, non dicitur causa moralis furti; quia hoc furtum impedire non tenetur; imò jus habet explorandi famuli fidelitatem. Ità mulier nimis pulchra non tenetur domi manere, aut vultum fœdare, nè juvenis lascivus ex ejus aspectu ad amorem accendatur. Paritèr, qui, urgente necessitate, mutuum petit ab Usurario, quem prævidet in exigendo peccaturum: vel Sacramenta poscit à Parocho, quem præscit ea in peccato administraturum, dum ea ab alio commodè accipere nequit; neutiquàm peccat. Ratio est, quia utitur jure suo, nec tenetur impedire. Deus autèm non tenetur impedire hominis lapsum, sed jus habet explorandi ejus fidelitatem: & satis est, quòd ei vires tribuit, quibus peccatum vitare possit.

Verùm quidèm est, Deum potuisse alium eligere rerum ordinem, in quo nullam permitteret tentationem; sed hunc præ alio possibili elegit, ut etiam de malo benè faceret bonum; secundùm dictum D. August. [Enchirid. cap. 100.] *Neque bonus sineret mala fieri, nisi Omnipotens etiam de malo posset facere bonum benè*.

140. Aliæ sunt objectiones levioris momenti, ad quas diluendas advertere juvat: Effectum bonum sequutum ex peccato, multoties esse à Deo intentum per se, quamvis Deus non per se intendat illum per hoc medium, scilicèt, per peccatum. Sed Deus videns voluntatem hominis propensam ad efficiendum malum, permittit id facere, ex quo Deus elicit bonum effectum, quem intendit. Hoc modo intelligi debet, Deum voluisse venditionem Joseph in Ægyptum; idèst, quantum ad effectum illius venditionis. Quod patet ex illis verbis [Genes. 50. v. 20.] *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos*. Et ità interpretanda sunt omnia testimonia, quæ pertinent ad mortem Christi.

141. Peccatum autèm non intenditur à Deo, nec per se, quâ malum est: nec per accidens, ob aliquam bonitatem, & utilitatem illi adnexam; alioquin Deus non minùs peccaret, quàm homines, qui nolunt malum culpæ, quà malum est; quùm nemo intendens ad malum operatur; sed volunt illud proptèr delectationem, & utilitatem, cui est adjuncta malitia. Undè ineptè Calvinus docuit Deum directè velle

Digitized by Google

velle peccati malitiam ex bono fine, nempè, ad oſtendendam magnitudinem ſuæ Juſtitiæ punitivæ. Errarunt quoque Cainani, gratias agentes Judæ, qui conſulens humani generis ſaluti, Chriſtum tradidit. Ratio eſt, quià nullum bonum adeſt in peccato honeſtè præferibile. Summo Bono, quod relinquitur per peccatum. Ergò nullum bonum eſt à Deo per ſe intendibile, per quod Creatura præfertur Creatori.

Sed neque per accidens intenditur à Deo malum. Siquidèm ex D. Thom. [1: part. q. 19. art. 9.] Nullum malum appetitur per accidens, niſi bonum, cui conjungitur malum, magis appetatur, quàm bonum, quod excluditur per malum. Atqui nullum bonum creatum poteſt Deus magis appetere, & amare, quàm ſuam Bonitatem. Ergò nec per accidens poteſt velle malum culpæ, propter bonum, quod magis amaretur, quàm Summum Bonum excluſum à bono adjuncto malitiæ formali, & actioni peccaminoſæ.

Hanc doctrinam tradidit Apoſtolus [ad Rom. 3. v. 5.] *Si autem iniquitas noſtra juſtitiam Dei commendat; quid dicimus? Numquid iniquus eſt Deus, qui infert iram? Abſit. Alioquìn quomodò Deus judicabit hunc Mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius: quìd adhuc & ego tamquam peccator judicor? Et non (ſicut blasphemarut, & ſicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.* Et [cap. 6.] *Quid ergò dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo?*

Deus igitur nequit intendere, nec per ſe, nec per accidens peccatum, ſeù tentationem inducentem ad peccatum; hæc enim non commendant perfectiones Divinas; alioquìn immeritò Deus puniret Peccatores, ac Tentatores, ſi hi propriis peccatis cooperarentur ad propagationem gloriæ Divinæ, & ad bonum intentum à Deo. Imò, ut arguit egregiè Valdenſis [lib. 5. Doctrinæ fidei cap. 28.] Dei exemplo agerent homines committendo furtum, ut eleemoſynam largirentur: perpetrando perjurium, ut redimerent morientem, &c. In quo aberravit Abulenſis, qui [in Geneſ. cap. 42. q. 1.] ſuper illa verba: *Exploratores eſtis*, favet mendacio officioſo. Et [in Joſue cap. 2. q. 3.] ſenſiit, poſſe Deum hominem movere ad peccatum veniale v.g. mendacium, propter magnum bonum, quod indè ſequitur, & nè in majora incidat peccata: Et nos poſſe, & debere mentiri ad ſalvandum morti deſtinatum, &c.

REFLEXIO.

EX quo Deus permittit nos tentari ob bonum, quod ſequitur ex tentatione, ideſt, manifeſtatio Divinorum Attributorum, Virtutum exercitium, & noſtra utilitas; novos Pſeudo-Myſtici reſumunt animos ad confirmandam ipſorumet demeritiam; & ità inſaniunt: Permittit Deus nos graviſſimis pulſari tentationibus, ut noſtram dignoſcamus miſeriam, recurramus ad Deum, & uniamur cum

Digitized by Google

eo. Ergò *Deus, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, permittit, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigiliâ, & ſinè mentis obfuſcatione: movendo phyſicè illarum manus, & alia membra contrà earum volatatem: & idem dicitur quoàd alios actus per ſe peccaminoſos. In quo caſu non ſunt peccata; quià in his non adeſt conſenſus. Deus, præteritis ſæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum miniſterio; nunc verò efficit Sanctos miniſterio Dæmonum, qui, cauſando in eis prædictas violentias, facit, ut illi ſeipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.*

Sèd heu miſeri! Nonnè hæc fuere deliramenta Michaelis Molinos [propoſit. 41. , & 42. inter damnatas ab Inn. XI.?] Permittit ſanè Deus quod eſt permiſſibile, & ex quo elicit bonum ad ſui gloriam, & noſtram utilitatem; ſed permiſſio à Myſticis Spurlis prætenſa, eſt impoſſibilis; utpotè contra Dei Bonitatem, Fidelitatem, Providentiam, &c. prout ſuo loco ſatis probabimus: eſtque non utilitas noſtra; imò foret noſtra perniciès, exitium, & animarum ruina. Permittit Deus ad animas purgandas Dæmonum tentationes; at, quæ purgatio in vitiorum cœno, in ſentina ſenſualitatis, in cloaca luxuriæ? *Vivit autem ipſe Dominus,* canebat Judith [cap. 13. v. 20.] *quoniam cuſtodivit me Angelus ejus.... & non permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari; ſed ſinè pollutione peccati revocavit me vobis gaudentem, in victoria ſua, in exultione mea, & in liberatione veſtrâ.* Permittit Deus nos multas, & ſæpè graviſſimas pati tentationes, ad veram transformationem perducendos; non autem ad falſam, & diabolicam tranſformationem: ut uniamur cum Deo, non verò cum Dæmone. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?* ait Apoſtolus [2. Corinth. 6. v. 14.] *Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Permittit Deus, quòd in aliquibus animabus perfectis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, vexandò, & nocendo corporalitèr; proùt evenit Job patientiæ ſpeculo; dando licentiam Diabolo debaccandi in bona, & corpus ipſius: *Ecce univerſa, quæ habet, in manu tua ſunt* (Job. 1. v. 12.) Sed non in ejus animam: *Ecce in manu tua eſt; verumtamèn animam illius ſerva.* (ibid. cap. 2. v. 6.) Permittit Deus fortiſſimos Dæmonis inſultos contrà aliquem electum; Sed *Certamen forte dedit illi, ut vinceret;* (Sap. 10. v. 12.) non verò ut ſuccumberet. Permittit Deus, Juſtos examinari tentationis igne; ſed non ut comburantur: *Igne me examinaſti,* dicebat David (Pſalm. 16. v. 3.) *& non eſt inventa in me iniquitas.* Permittit Deus nos tentari; ſed non ſupra vires. *Fidelis autem Deus,* teſtatur Apoſtolus (1. Corinth. 10. v. 13.) *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Verùm pateretur nos tentari ſupra id, quod poſſumus, ſi permitteret, quòd Dæmon, non ſolùm moralitèr, ſed etiam phyſicè nos tentaret, movendo phyſicè noſtras manus, aliaque membra ad nefaria &c.

Chariſſimi, hortor vos, ac obſecro verbis Apoſtoli (ad Epheſ. 5. v. 3)

Digitized by Google

v. 3.) *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos .... Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergò effici participes eorum* [ad Coloſſenſ. 2. v. 18.] *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ.*

Audite, & mente tenete voces querulas piiſſimi Tauleri [ſerm. 2. Dom. 1. Quadrag.] *O hi! Nè ſpiritus, otium, quies, & libertas ullum patiantur impedimentum, cunctis naturæ affectibus, & concupiſcentiis indulgent, & obſequuntur.... Se Dei patientes nuncupant, eò quòd ſuſtineant, ſed patiantur opera, quæ ipſe (ut putant miſeri) in eis operatur.... Quidquid agant, nihil ſe peccare arbitrantur; quùm Deus id per eos efficiat, (ut ipſi dicunt) & quidquid ipſe velit, id per eos fiat, nec prorsùs aliud aliquid. Humilitatem quamdam præſeferunt in converſatione, & actibus ſuis: facilèque adverſa omnia tolerant, eâ de causâ, quòd ſe Dei inſtrumentum eſſe arbitrantur, per quod Ille pro gratiſsimâ voluntate ſuâ operetur. Sicut igitur veris Dei amicis admodum ſimiles in multis; ſed in hoc nimiùm aberrant: quòd omnia, ad quæ intus moventur (N. B.) ſivè bona ſint, ſivè mala, à Spiritu Sancto procedere, & fieri putant.*

DISSERTATIO II.

De Tentatione Carnis.

142. IN constitutione Universi humanum corpus à Deo plasmatum esse, atque rationabilem spiritum in eodem legimus fuisse infusum, ut animaret illud, regeret, ac nutriret; nihil enim sibi valebat, sed prorsùs erat inutile: Verùm, quamvis ex limo terræ fuisset formatum, Opus tamèn erat mirabile, & per Mediatoris gratiam, suo tempore Divino donandum honori, & in Angelicam dignitatem transformandum. At ex quo per peccatum prævaricatio Divinæ legis invaluit, Corporis tota deordinatà est compago, factaque est, nedùm sibi gravis, sed & rationali spiritui adversa: adeoùt caro pugnet contrà spiritum, & spiritus adversùs carnem, absque pacis ullâ concordiâ. Dum enim singuli concupiscunt propria, invicem inimicantur. De certamine isto, seu Tentatione præsens instituitur dissertatio. Et sit

SECTIO I.

An inter omnes Tentationes gravior sit Tentatio Carnis?

QUandò primus plasmatus est homo, duplicem accepit oculum: carnis unum, quo cerneret visibilia: rationis alterum, quo spiritualia dignosceret, ac divina. Unum, ut exerceretur in imis: alterum, quo delectaretur in summis. Per oculum carnis, ut visibiles posset discernere hostes, & discernendo vitare: per oculum rationis, ut spirituales nequitias spiritualitèr decertantes superare valeret. Prævidens namque Creator omnium hominum casum, antequàm fieret, contrà visibiles, & invisibiles hostes congruentibus roboravit armis.

143. Deus namque hominem in hujus vitæ campo militaturum instituit, atque lege propositâ: sicùt Vincenti gloriam, ità Victo interitum utriusque hominis repromisit. Sed heu! in primo belli congressu homo, pestiferâ suggestione seductus, occubuit. Hinc in sui pœnam peccati mundum istum, quem acceperat tanquàm Conditoris speculum, sibi sensit adversum. Hinc ex Carnis propagine excrevit concupiscentiarum germen; atque carnis, & spiritus prælium sumpsit initium. De hac dirissimâ pugna, & rebelli concupiscentiâ movetur quæstio. Pro quâ

144. Notandum 1. Quòd *Concupiscentiæ* nomine plura veniunt. I. Intelligitur vis concupiscendi, quæ appellatur *Concupiscibilis*: estque portio præcipua appetitus sensitivi: quæ ab Irascibili est distincta. II. Pro Concupiscentiâ accipitur prava inclinatio naturæ corruptæ, quam nos *Fomitem*, & Apostolus [ad Rom. 7. v. 23.] vocat *Peccatum habi-*

Digitized by Google

habitans in carne, seù *legem membrorum repugnantem legi mentis nostræ*. Ejusmodi appellationis veniunt affectiones, seù actus ejusdem pravæ inclinationis, quibus Caro concupiscit adversùs Spiritum, aut contrà jussiones Divinas: quærens quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. De qua Jacob Apostolus ait: [cap.1. v.14.] *Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia, quùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò quùm consummatum fuerit generat mortem*. Et Joannes [Epist.1.cap.2. v.16.] *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: In præsentiarum erit sermo de affectibus, & cupiditatibus inordinatis, quibus caro militat contra spiritum.

145. Notandum II. Quòd Appetitus sensitivus sic definitur: *Potentia interna, affectiva, materialis, amans bona sensibilia, & omne quod convenit naturæ sensitivæ, quod ut tale, cognoscitur per sensum communem: & similiter fugit malum sensibile, quod repugnat naturæ sensitivæ, & ut tale, dignoscitur à sensu communi*. Hujusmodi appetitum sensitivum Scholastici vocant *Partem inferiorem voluntatis*; non quiâ sit pars substantialis voluntatis, sed quatenùs sit etiam volitiva, & est inferior respectu voluntatis superioris. Appellatur etiam *Appetitus brutalis*, quia communis est quoque Brutis, quæ utique appetunt sensibilia sibi convenientia, & fugiunt nociva. Dicitur quoque *Appetitus irrationalis*; quiâ non obsequitur rationem, sed sensum communem, seù imaginationem. Demùm vocatur *Appetitus materialis*; quiâ ex naturâ suâ materialis est, sicut Imaginatio, & quinque corporis sensus: nec ad alia, præter materialia, & sensibilia objecta, extendi potest.

146. Notandum III. Quòd ejusmodi Appetitus dividitur, vel, ut mavis, duas continet partes, seù potentias, vel proprietates, quarum una dicitur *Concupiscibilis*, altera *Irascibilis*. Illa diligit, appetit, & prosequitur bona sensibilia, & delectabilia: Hæc amat sensibilia, non quâ sensibilia, sed ut repugnantia concupiscibili, & veluti acerba, & ad consequendum difficilia: ad quorum difficultatem superandam vires assumit, quibus possit expellere contraria illi bono, quod Concupiscibilis appetit possidere. Indè D. Thom. [1.part. q.81.art.2.] ait: *Irascibilis est quasi bellator fortis; & defensor Concupiscibilis*. Motus igitur Irascibilis oriuntur à passionibus Concupiscibilis; ut apertè docet Jacob. [Epist.cap.4. v.1.] *Unde bella, & lites in vobis? Nonnè hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Ira namque oritur ex Tristitiâ, quæ est actus Concupiscibilis; & Vindicta refertur ad Gaudium, quod pariter est actus Concupiscibilis.

147. Notandum IV. Quòd ad partem Concupiscibilis sex pertinent passiones, nempè *Amor, Odium, Desiderium, Fuga, Gaudium, & Tristitia*. Ex his tres dicuntur *Actus prosecutionis*, quibus appetitus amat, & prosequitur bona ei convenientia: alii verò tres appellantur *Actus fugæ*, quibus appetitus fugit, & rejicit quæ illi opponuntur. Tribus igitur passionibus Appetitus sequitur bona sibi convenientia; & similiter tribus fugit mala.

Ve-

Verùm enim verò ad hujus operationis explanationem, poſſùmus bona, & mala conſiderare triplicitèr. I. Veluti neque præſentia, neque abſentia, ſed præſcindendo ab utriſque. II. Quaſi præſentia. III. Sicuti futura. His enim tribus modis apprehendi poſſunt à ſenſu communi: & diverſimodè apprehenſa, diverſos in appetitu pariunt affectus. Bonum igitur apprehenſum in communi, præſcindendo à præſentiâ, & abſentiâ, producit in appetitu affectum, qui vocatur *Amor*: ſed conſideratum ut præſens, excitat *Gaudium*: Viſum autèm ut futurum, parit *Deſiderium*. E converſò. Malum apprehenſum in communi, gignit *Odium*: Ut præſens, cauſat *Triſtitiam*: Ut futurum, efficit *Fugam*. Ità *Odium* opponitur *Amori*: *Fuga*, *Deſiderio*: & *Gaudio Triſtitia*.

148. Actus autèm, ſeù paſſiones *Iraſcibilis* ſunt quinque: *Spes*; *Deſperatio*, *Audacia*, *Timor*, *Ira*. Quibus omnibus *Iraſcibilis* ducitur per *Concupiſcibilem* circà bonum dilectum. At quia in ejuſmodi bono dilecto interdùm reperit difficultatem, & reſiſtentiam ſui contrarii, quamvis illud deſideret, indiget tamèn alio actu, quo excitari valeat, nè ſuperetur ab objectâ difficultate: qui actus dicitur *Spes*. Quandò autèm vincere nequit difficultatem, elicit *Deſperationem*. Quùm verò ad aſſequendum bonum, & repellendum malum, non ſolùm erigitur appetitus, ſed etiam dilatatur, & invaditur; tùnc producit *Audaciam*. Et è converſò: Si dùm ſe erigere tentat, deficit, & contrahitur; gignit *Timorem*. Hi quatuor actus diverſificantur per diverſas apprehenſiones boni, vel mali ardui, & difficilis. Sed præter eos, reſtat alius actus productus ex apprehenſione mali præſentis: ex quo *Vindictæ* generatur Appetitus, qui appellatur *Ira*.

Hæc per tranſennam ſufficiant, ut percipere poſſimus, undè quælibet paſſio, aut motio in Appetitu procedat. Ut autèm properemus ad noſtra

149. Notandum V. Quòd delectatio venerea duplex eſt, *Rationalis*, ſcilicèt, & *Senſibilis*. Prima, (quæ potiùs Gaudium, vel Concupiſcentia dicenda eſt,) exurgit in voluntate ex cognitione intellectivâ rei illicitæ. Quæ rursùs duplex eſt: aut ſpeculativa de ipsâ cognitione, ſeù cognitione actus mali, vel de modo agendi; ut eſſet, ſi videns amicum ridiculè cadentem, rideas; non quidèm de lapſu, quem doles, ſed tantùm de lepido, & ridiculo modo cadendi. *Practica* verò delectatio eſt de ipsâ re, ſeù actione illicitâ cogitatâ.

Delectatio autem *Senſibilis* (quæ propriè dici debet Delectatio) exurgit in appetitu ſenſitivo, vel ſenſualitate ex imaginatione phantaſticâ rei, ſeù actionis pravæ delectabilis. Hæc fit cum aliquâ alteratione, ſeù immutatione corporis circà pectus, & pudenda in parte inferiori, per motum ſpirituum vitalium inſervientium generationi.

150. Et quamvis difficillimum ſit diſtinguere delectationem de eâdem re, an *Rationalis* ſit, vel *Senſibilis*; quùm ob naturalem connexionem, & ſympathiam voluntatis cum appetitu ſenſitivo, exurgente delectatione in unâ potentiâ, ſtatim movetur, & excitatur delectatio in alterâ; attamen reipsà diſtin-

gui

Digitized by Google

gui certissimum est, & sufficit posse distingui in ratione voluntarii. Nam sæpè constat, delectante appetitu, volũtatem non delectari, sed tristari secundùm portionem superiorem: & è conversò, voluntatem non rarò delectari de multis, de quibus non delectatur, sed abhorret appetitus.

151. Notandum VI. ex Cardenas [tract. 5. de Castit. disp. 41. cap. 2.] Quòd in delectatione venereâ *morosâ* novem solent concurrere actus. I. *Cognitio intellectualis* de objecto delectabili v. g. de copulâ illicitâ. II. *Fruitio*, seù, *delectatio voluntatis* de eodem objecto. III. *Cognitio corporea* sensus interni (sivè phantasiæ, aut imaginationis, vel sensus communis; proùt vis appellari ille sensus internus) de eodem objecto delectabili. IV. *Fruitio*, seù, *delectatio* appetitus corporei. V. *Delectatio potentiæ tactivæ*, quæ tunc habet pro objecto commotionem spirituum carnalium deservientium generationi. VI. *Cognitio intellectualis* ejusdem delectationis externæ, & commotionis spirituum. VII. *Delectatio voluntatis* de illâ commotione spirituum, & delectatione externâ. VIII. *Cognitio corporea* sensus interni, quâ cognoscatur delectatio externa. IX. *Delectatio appetitus corporei* de eâdem commotione spirituum, & delectatione externâ. His actibus aliquandò accedere solet decimus, nempè, voluntatis efficacis, quandò voluntas efficacitèr decernit retinere illam commotionem spirituum, sivè delectationem externam, aut ejus causam.

152. Causa hujusmodi delectationis externæ duplex est: una in genere *Efficientis*, altera in genere *Determinantis*, quæ, licèt non sit efficiens, tamen reducitur ad genus efficientis. *Causa Efficiens* delectationis externæ est ipsa potentia tactiva; delectatio siquidèm externa est actus sensationis, & perceptio delectabilitatis objecti: potentia verò tactiva, est potentia sensitiva externa, quæ illi actui correspondet, & à quâ, tamquam à potentiâ vitali procedit in actus. Ad causam efficientem ejus delectationis externæ pertinent spiritus carnales excitati intrà carnem ipsam; nàm, quùm hi sint objectum actus sensationis, seù delectationis externæ, & sint omninò applicati potentiæ tactivæ, non erit necesse, quòd producant per speciem illum actum vitalem delectationis, sed per seipsos concurrunt ad producendum actum; juxtà ea, quæ asserunt Philosophi de objecto, quando est præsens.

153. *Causa Determinans* delectationem externam, est delectatio interna corporea de re venereâ: seù actus appetitus corporei de tali re venereâ. Item actus sensationis internæ repræsentans objectum modo delectabili venereo: qui actus, saltèm mediatè, determinat ad talem delectationem externam. Porrò quilibet actus ex his, per sympathiam, sivè connexionem unius actus cum alio, determinat potentiam commotricem spirituum deservientium generationi, ad hoc ut illos commoveat, & excitet. Dicitur autem propriè, appetitionem objecti venerei determinare ad delectationem externam, quià dùm determinat potentiam commotricem spirituum ad commovendos spiritus intra carnem, determinat applicationem objecti ad potentiam tactivam. Sicuti, si puer afferens

ignem

Digitized by Google

ignem in manibus, à viro per vim phyſicam cogeretur ad applicandum ignem Segeti, vir ille utiquè determinaret ad tale incendium: Ità potentia commotrix ſpirituum, quaſi affert in manibus eos igniculos: appetitio autem, & cognitio corporea objecti venerei ex ſympathiâ, cogit potentiam commotricem, ut illos igniculos applicet potentiæ tactivæ: indè corpus experitur incendium luxuriæ.

Quòd autem datur ea ſympathia in appetitione corporeâ objecti venerei ad commovendos ſpiritus carnales; ipſa teſtatur experientia, quùm ex primâ objecti venerei apprehenſione, & appetione ipſam conſequente, reſultare ſoleat ea ſpirituum circumcurſatio. Quarè dicendum eſt, vel ipſam appetitionem corpoream efficienter concurrere ad commotionem ſpirituum: vel (quùm id neceſſarium non ſit) ipſam appetitionem determinare ex phyſicâ connexione, quam habet cum illâ commotione ſpirituum.

154. Hinc benignè interpretandus eſt Tamburinus, qui [lib. 10. Decalogi cap. 1. n. 5.] ait: *Propter ſympathiam naturalem, delectatio voluntatis excitat delectationem appetitus ſenſitivi: & è contrà.* Quod intellige de connexione actus appetitus ſenſitivi, non cum actibus liberis, ſed cum actibus neceſſariis voluntatis, qui ex inadvertentiâ, aut defectu deliberationis, dicuntur neceſſarii. Profectò, ſi appetitus connecteretur cum aliis actibus voluntatis, bi non evaderent liberi, ſed neceſſariò ponerentur ad poſitionem actus appetitus ſenſitivi. Nihil enim antecedens uſum libertatis determinat ad actum liberum, ſed ipſa voluntas ſe determinat. Inclinatio autem illa vehemens, quam voluntas ſentire ſolet ad objectum venereum, & difficultas abdicandi illam à ſe, non provenit ex ſympathiâ, ſeù connexione, quam habeat appetitus cum actu voluntatis; ea enim, ut dixi, evertit libertatem: ſed provenit à cognitione intellectuali repræſentante objectum venereum, ut ſibi valdè delectabile, & maximè conveniens. Eſt quippè propenſio vehemens in appetitu, & intellectus eam agnoſcens, repræſentat objectum venereum, ut ſuo appetitui, ac ſuæ inclinationi corporeæ maximè conveniens: & indè propendet voluntas in tale objectum; ſemper tamen manente indifferentiâ libertatis. Hucuſque ingenioſiſſimus Cardenas. Quæ in hoc opuſculo ſunt valdè notanda.

155. Notandum VII. Quòd dùm quærimus: An inter omnes tentationes, ea carnis ſit gravior? non ſciſcitamur de gravitate, quæ per accidens evenire poteſt; *quòd enim eſt per accidens non cadit in arte.* Fortaſsè, in ſpecie tentationum leviſſimarum, poterit alicui tentatio accidere, quæ, ob aliquas circumſtantias, gravior ſit tentationibus aliarum ſpecierum, quæ ſecundùm ſe graviores ſunt. Sic regularitèr, Homicidium majus eſt Perjurio; ſed evenire poterit, quòd falſum teſtimonium, attentis circumſtantiis, graviùs ſit homicidio.

156. Prætereà, loquendo de gravitate tentationum ſecundùm propriam ſpeciem, adhuc diſtinguere debemus. Siquidèm tentationes vel ſimplices ſunt, aut conjunctæ: ſimplicem, voco, tentationem, quæ circa eamdem rem eſt ſola, & unica, ſeù procedit ab uno: Con-

jun-

Digitized by Google

junctam appello, quæ circà eamdem rem à duobus procedit Tentatoribus, nimirùm, à Carne, & Diabolo, vel à Mundo simùl. Quandò igitur tentatio est sic conjuncta, nulli dubium est, quòd sit major, quàm tentatio simplex; quià comparatur totum ad partem.

157. Notandum IX. Quòd tentatio Mundi est minor tentatione Dæmonis. Quamvis enim conveniant in hoc, quòd ambæ sint ab extrinseco; verumtamèn tentatio Dæmonis est per modum suggestionis, persuasionis, & consilii: tentatio verò Mundi est à rebus fortunæ moventibus in ratione objecti; sed manifestum est, quòd in suggestione major gravitas esse potest; nam dato casu, in quo Mundus tentat de cupiditate alicujus rei, & ad id non concurrat Dæmon: tunc res movens per modum objecti, non repræsentat seipsum aliter ac est in se. At dato, quòd solus Dæmon tentet de cupiditate illius rei, potest astutiâ suâ suggerere meliora, & majora de illâ re, quæ reverà non sint, & sic magis suadebit. Id patet in propositione Causarum, tùm in genere Demonstrativo, tùm Deliberativo; si enim non Orator rem proponat, & eamdem utiquè elegans proponat Orator, iste efficaciùs movet, quàm ille. Adde, quòd Dæmon est pater mendacii, & coloratè, ac pulchrè mentitur, & ità trahit nos ad consentiendum tentationi, cui obsisteremus, si Versutor referret verum; & in tentationibus Mundi, in quibus res movent dumtaxat per modum objecti, nequit esse falsitas; ni quis voluerit fallere seipsum.

Certum est igitur, quòd Dæmonis tentatio gravior est Mundi tentatione; an verò sit etiam gravior tentatione Carnis? Ponitur.

CONCLUSIO.

158. INter omnes Tentationes gravior est tentatio Carnis. Assertio est communis, & apud omnes indubitata.

CONSTAT EX SS. SCRIPTURIS.

EPIST. 2. AD ROMANOS 7. v. 18.

SCio, quia non habitat in me, hoc est, in carne meâ bonum: nam velle adjacet mihi, perficere autèm bonum non invenio. Non enim, quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.

Aliæ quidèm tentationes, ut plurimùm, sunt in nobis per modum transeuntis; tentatio autèm Carnis in corporibus nostris fixum habet domicilium. *Insita est*, ait D. Cyrill. Alexandr. [lib. de Adorat.] *& in nobis ipsis infixa, & hærens concupiscentia Carnis: eamque peccati legem Beatus quoque Paulus appellat habitantem in membris meis.*

Digitized by Google

IBID. v. 23.

VIdeo autèm aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Hunc præmens locum Raymund. Pasqual. admirando exclamat: *Mira res, & stupore digna! Quòd enim aliquis alteri non pareat, & obediat, & nolit ipse, quod alter vult, & imperat, tolerabile est, & passim contingit. Nil mirùm; nam unus est qui imperat, & alter, qui jubetur: duæ sunt voluntates, quæ diversæ esse possunt; & duo sunt homines conditionis non ejusdem: de hoc mirari nemo debet. At quòd unus, & idem homo sibi ipsi volenti aliquid, illud non præstet, nec opere complere valeat: hoc certè res stupenda, atque miranda (audemus dicere) & monstruosa est, si quod volumus, non agimus.... Cur non, si vult? non est hujus actionis Dominus? maximè. Per quem ergò stat, quòd non faciat? In promptu est ratio: Per alterum, quem in se gerit hominem, videlicèt, per carnem, quæ recalcitrat. Insurgunt passiones ex appetitu sensitivo, & fomite, & impediunt actionem illam &c.*

IBID. v. 24.

INfelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus.

Mortis nomine Apostolum intellexisse Carnem, putat D. Joann. Climac. [grad. 15.] *Sicut enim, ait, mors homini connaturalis est, omnibusque inevitabilitèr accidit: ità quoque omnes homines, etiam perfectissimi, quamdiù hac fragili carne induti sunt, concupiscentiæ, & tentationibus carnalibus dirè subjiciuntur.*

IBID. Cap. 8. v. 7.

SApientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest.

Hac sententiâ perculsus laudatus Pasqual. prosequitur stupens: *Hominis subjecit Deus sub pedibus omnia, & Deo non erunt omnia subjecta, quamcumque sint ferocia? Quis Deo fortior? Quis Omnipotenti potentior? Qui de morte triumphavit, vinci poterit à prudentiâ carnis? Tàm rebellis, & pertinax est carnis sapientia, ut audeat insurgere erecto collo contrà Deum, & cum illo præliari? Tàm dura est ejus cervix, ut sub pede Dei, hoc est virtute, suppeditari nequeat.... Mira res! Infernus, & Dæmones subjecti sunt Deo, & Paulus dicit, carnalem sapientiam non esse subjectam Deo.*

AD

Digitized by Google

AD GALAT. 5. v. 17.

CAro concupiscit adversùs spiritum, spiritus autèm adversùs carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis illa faciatis.

D. Aug. [lib. 3. de diligendo Deo cap. 6.] attonitus de luctâ tàm gravi, tamque implacabili, gemitibus scribit amaris: *Primus hostis continentiæ nostræ caro est, dum concupiscit adversùs spiritum. Quàm domesticus hostis! Quàm periculosa pugna! Quàm intestinum bellum! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possum, nec fugare: circumferre illum necesse est, quaniàm alligatus est nobis. Nam, quod periculosiùs est, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet.*

ECCLI. 9. v. 9.

PRopter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit.

Hìc Hugo Cardinal. *Ignis est usque ad consumptionem devorans, & omnia eradicans; quia, ut dicit S. Greg. Quàm luxuria semel mentem invaserit, nullum bonum cogitare permittit.*

CONTESTANTUR SS. PATRES.

DIvus Augustt. [de verbo Domini serm. 43.] *Modò, quandò Caro concupiscit adversùs spiritum, & spiritus adversùs Carnem, contentio mortis est: quia volumus, ut nullæ sint concupiscentiæ, sed non possumus: velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt, premuntur, nondùm exstinguuntur. Ergò, quamdiù vivitur, fratres, sic est. Sicut & nos, qui servimus in istâ malitiâ, minores quidèm hostes habemus, sed tamen habemus.*

Idem [serm. 2. Domin. 3. post Epiphan.] *Concupiscentia sic insidiatur Sanctis, ut faciat dormientibus, quod non potest vigilantibus.*

Idem [lib. medit. cap. 15.] *Diabolus plùs confidit in adjutorio Carnis, quoniam magìs nocet domesticus hostis.*

Idem [de honest. mulier. cap. 2.] *Inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis: ubi quotidiana pugna, & rara victoria.*

S. Bernardus [serm. 52. a. 2. cap. 2.] *Malus vermis luxuria, quo nullus alius nocentior: ingreditur enim blandiendo, mordet ridendo, transformat delectando, perimit consentiendo. Undè* Prov. 23. v. 31. *Ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut Coluber, & sicut Regulus venena diffundet.*

Idem [de inter. Dom. cap. 29.] *Hæc pestis, quæ præ cæteris vitiis est mihi familiarior, & ad nocendum promptior, & ad repellendum difficilior; nam quùm eam repellere volo, nolenti mihi se ingerit, blandè operosa, displicendo placens, & placendo displicens. Carnis libidinem numquam fugere potui, sed*

Digitized by Google

ſemper me perſequitur, & cum aliquâ delectationis cogitatione, vel viſus intentione, me comprehendere poteſt: non diebus, neque noctibus requieſcere ſinit.

D. Laurent. Juſtin. [de inter. conflictu cap. 8.] *Vides nè quàm inſuperabilis ſit Carnis illecebra? Latitat in Carne, accendit Carnem, & Carnis miniſterio utitur.*

D. Thom. à Villan. [concion. de S. Ildelphonſo] *Univerſalis naturæ noſtræ pernicies libido eſt, quam omnes facilitèr accuſare, pauci vitare, pauciores autèm ſuperare poſſunt. Eſt enim vitium naturæ inſertum, & naturali quodam inclinatione firmatum; repugnare autèm naturæ difficillimum eſt: Quis namque ſinè divino adjutorio ſuam poterit in hoc caſu ſuperare naturam? Undè Caſianus: Cætera, inquit, vitia forinſeca ſunt, & levi pelluntur impulſu; quia extrà pugnam ab extrà nobis inferri ſcimus: ut autèm libidinem ferociſſimam, & indomitam belluam ſuperare poſſimus, non extrà nos, ſed intrà nos auxilia quærenda: magnam nobismetipſis vim inferre debemus, & intrà nos ſunt tela, quibus ipſum fugare valeamus.*

D. Bonav. [in dictâ ſalutis tit. 3. cap. 8.] hanc excitat quæſtionem: Cur Sapientia increata inter decem Decalogi præcepta, peccatum Carnis duplici præcepto dicitur: *Non mœchaberis*: in nono verò iterùm ſubdit: *Non concupiſces?* Reſpondet Seraph. Doctor: *Nota, quòd triplex eſt ratio, quarè ſpecialis iſta concupiſcentia carnis duplicitèr prohibetur: tùm quia eſt animæ labes, quæ citò maculat, & vix poteſt tergi: tùm quia eſt quidam animæ ignis, qui citò inflammat, & vix poteſt extingui: tùm quia eſt quædam animæ ſitis, quæ ſemper cruciat, & vix poteſt ſatiari.*

S. Joann. Climac. [grad. 15. ad finem] *Quoniam modo, & mortem hunc inimicum vinciam, neſcio; priùs enim quàm illum vinciam, ſolvitur, & antequàm Judicem, cum illo in gratiam redeo, & antequàm puniam, flector. Quomodò illum vinciam, quem ut amicum à naturâ ſuſcepi? Eſt cooperator, & hoſtis: adjutor, atque adverſarius: auxiliator ſimùl & inſidiator. Si foveatur, oppugnat: ſi affligatur, debilior fit: laſcivit per quietem rursùs: flagella, & verbera non ſuſtinet.*

D. Ambroſ. [lib. 1. de Jacob. & vitâ beatâ cap. 1.] *Graviſſima paſſio eſt concupiſcentia, quam ratio mollit, & comprimit. Emollire enim poteſt, eradicare non poteſt.*

Idem [ſerm. 37. in Quadrag.] *Diabolus ubique inſidiatur homini, ubique congreditur; ſed ubi mulierem non invenit, virtus abſcedit.*

S. Joann. Chryſoſt. [homil. 43.] *Efferata, & malo beſtia Concupiſcentia; quandò rationem vicerit. Nihil, quod oportet, videre ſinit, ſed quaſi in tenebris, & pugnâ nocturnâ omnia facit.*

Idem [homil. 31. oper. imperfect. ſuper Matth.] *Multò magis laborioſum eſt in ſecuritate concupiſcentias vincere, quàm in periculo divitias poſſe contemnere.*

D. Petr. Damian. [lib. 8. Epiſt. 14. ad ſorores ſuas] *Nulla virtus eſt, quæ in adoleſcentiæ flore graviora certamina perferat, quàm caſtitas: quam, videlicet, in ſemine ſurgentis incendii, ſtillicidii illecebræ geminus ardor impugnat.*

Hu-

Digitized by Google

Hugo à S. Victore [lib. 3. allegor. in Matth. 6. 14.] exponens verba illa orationis Dominicæ: *Sed libera nos à malo*, ait de concupiscentiæ vitio: *Malum est hoc, Domine, & non sicut cætera mala. Crudeliùs persequitur, profundiùs nocet, efficaciùs lædit. Blanditur, ut fallat; lenocinatur, ut perimat; mentitur dulcedinem, ut amaritudinem infundat. Ideò, Domine, difficiliùs vincitur, tardiùs exstirpatur, quià nostris desideriis adversùs nos pugnat: & ad mortem blandiente dulcedine, ipsam etiam voluntatem penetrat: & ut postmodùm naturæ dominetur, ipsam (quæ totum regit) rationem violentâ quadam pestiferæ delectationis persuasione inclinat.*

Idem [lib. 4. de propriet. rerum cap. 3.] *Tres sunt tiranni, qui contrà nos acies suas prodacunt: Diabolus, Mundus, & Caro. In exercitu Diaboli militant vitia: in castris Mundi prospera, & adversa: in societate Carnis desideria terrena. Ex his tribus duo conjurarunt tertiò contrà subversionem nostram. Mundus enim, & Caro Diabolo auxilium ferunt contrà nos: unus est vicinus, alter domesticus; Mundus enim juxtà nos, Caro nobiscum. Idcircò confidit Diabolus magìs in auxilio Carnis; quià plùs nocet domesticus hostis.*

Idem (lib. 3. de Arca Noe in Moral. cap. 7.) *Nullus portus illi tutus est: nulla statio secura: nulla serenitas tranquilla; qui intrinsecùs concupiscentiæ suæ æstibus jactatur.*

Glos. Moral. (in 3. Reg. 11. v. 14.) expendens verba illa: *Suscitavit autèm Dominus adversarium Salomoni Adad &c.* inquit: *Suscitavit Dominus tres adversarios Salomoni. Per quos significantur tres Dæmones, qui homini à sapientiâ dejecto immittunt tentationes, & sic eum inducunt ad multiplicem culpam, & post hæc trahunt, nisi pœnituerit, ad gehennam. Isti sunt tres animæ inimici, Demon, Mundus, & Caro: querum fortior est Caro per Jerobam adumbrata; quià totum ferè regnum Salomonis abstulit Roboam.*

Tertull. (lib. de patient. 17.) *Inter tentatationes, quæ ad malum inducunt, illa potentissima est, quæ venit de concupiscentiâ Carnis. Adeò potens est Carnis concupiscentia, & ad peccatum impellens, ut voluntas Carnis dicatur ab Apostolo* (ad Ephes. 2. v. 3.) *In quibus & nos conversati sumus, facientes concupiscentias, & voluntates Carnis. Ut autem expendit Anselm. (Plùs voluit in desideriis notare, quàm concupiscentiam; idest, multiplicem, & omnimodam vehementiam concupiscentiæ) Vehementior concupiscentia, voluntas Carnis vocatur. O quàm flagitiosa est concupiscentia! quàm sollicitatrix criminum! quàm præceps ad delinquendum! Voluptatis siquidèm præstigiis sic mentem allicit, sic voluntatem trahit, ut quod concupiscentia cupit, voluntas amare dicatur. Quid periculosiùs Carne, cujus concupiscentia voluntas nuncupatur?*

IN-

INNITITUR RATIONIBUS.

I. PRobatur, quòd tentatio Carnis ſit gravior tentatione Mundi. 1. Tentatio Carnis eſt de rebus pertinentibus ad conſervationem ſpeciei, aut individui; tentatio verò Mundi eſt de rebus non neceſſariis; ut omnes fateri debemus. Atquì deſiderium eò majus eſt, quò res magis neceſſaria erit, vel naturalis.

2. Tentatio Mundi eſt extrà, Carnis verò intrà nos. Quis autèm non videt, quòd difficiliùs eſt pugnare cum eo, qui eſt nobiſcum, quàm cum illo, qui eſt à longè? Caro autèm, non ſolùm eſt domeſticus hoſtis, ſed pars etiam noſtri.

3. Tentatio Carnis violentiùs urget, quàm Mundus; eò quià diutiùs manet in homine. Bona etenìm fortunæ, & Mundi concupiſcit homo poſtquàm pervenerit ad aliquem diſcretionis ſtatum; tunc namque cogitat modum vivendi hominum, & quid ſit, quod cæteri cupiunt; ideòque tunc incipit ea concupiſcere bona, quià *beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* [Pſalm. 143. v. 15.] Ea verò, de quibus Caro tentat, inſunt nobis à vitæ primordiis, ſuntque veluti neceſſaria ad conſervationem ſpeciei, & individui.

4. Facillimè renunciamus hujus Mundi bonis, ſed difficillimè renunciamus Carni; quià arduum, & operoſum eſt renunciare nobis. Undè D. Gregor. [homil. 32. in Evangel.] ait: *Fortaſsè laborioſum non eſt homini relinquere ſua; ſed valdè laborioſum eſt relinquere ſemetipſum.*

II. Oſtenditur quoad tentationem Diaboli. 1. Propter rationem mox allatam; quià tentatio Diaboli eſt extrà, non intrà nos.

2. Diabolus tentat ſuggerendo, & per modum ſuadentis; Caro autèm ſollicitat per modum cujuſdam motus naturalitèr inſurgentis. Atquì inclinatio naturalis efficacior eſt quacumque perſuaſione.

3. Quùm tentatio à Diabolo facta ſit per modum conſulentis, ut jam dicebamus; tanta erit ejus efficacia, quanta fuerit apparentia boni, quod ſuggeritur: & ultrà id, nulla eſt virtus movendi voluntatem. Verùm in tentatione Carnis, non ſolùm repræſentantur nobis bona, ut valdè delectabilia; ſed experimur quoque quamdam anguſtiam, & duriſſimam afflictionem, ſi non conſentimus illecebris repræſentatis. Hìnc, eſtò id, ad quod caro movet, non judicetur eſſe ſimplicitèr delectabile; tamèn ad non ſuſtinendam diuturnam moleſtiam, & gravem tentationis anguſtiam, non rarò ſuccumbimus; proùt etiam Ariſtotiles docuit [lib. 9. Eth.]

Verùm enimverò, ſi quis ab homine, aut à Dæmone tentaretur ad venerea, ei proponendo turpes delectationes, etiàm ſecundùm omnes ſuas circumſtantias; ſi tamèn ad hæc non inſurgerent motus ſenſuales in vi concupiſcibili, ſed ſolùm per imaginationem, ſenſum communem (aut quo mavis modo) judicaretur de re delectabili; certo certiùs foret valdè facilè talem repellere tentationem; quùm enim eſſet exteriùs, ſolâ repulsâ, & reſoluto *Nolo*, ejiceretur abſque ullâ moleſtiâ. Secùs evenit, dùm aliquis inſurgit motus ſenſualis: tùnc enim, ſi diſſentimus, magnam tole-

ra-

Digitized by Google

ramus angustiam, non solùm in imaginatione &c. sed etiàm redundat in Corpus, in quo veræ fiunt immutationes afflictivæ. Idque clarè liquet, quandò nullâ formâ delectabili præconceptâ, non rarò insurgit naturalitèr motus pravus, & quasi violentus in parte concupiscibili: qui quidem motus est valdè afflictivus.

Tentatio igitur Carnis est gravior cæteris tentationibus: tùm quià est nimis imperiosa: tùm quià inducit secum executionem: tùm quià vim habet coactivam molestandi dissentientes. Quod non habent aliæ tentationes.

4. Tentationi Diabolicæ resistit, seù resistere potest totus homo: & unus pugnat contrà alium. At in tentatione Carnis, in quâ homo certat contrà semetipsum, homo dividitur in duo; Caro etenìm concupiscit adversùs Spiritum, & Spiritus adversùs Carnem. Sicque homo pugnat pro medietate sui, nempè, Spiritus: & impugnatur ab aliâ medietate sui, scilicèt, Carnis. Adde, quòd hæc medietas hominis, quæ repugnat carni, est adhuc captivata, propter cognationem cum aliâ medietate pugnante. Undè sequitur, quòd homo minoris sit virtutis ad resistendum Carni, quàm Diabolo.

5. Diabolus, etsi antonomasticè dicatur Tentator, quasi ejus munus sit tentare; ac mille habeat nocendi artes; verumtamèn ex seipso inermis est, & imbecillis; ideòque facili negotio eum superabimus solo, sed efficaci *Nolo*, testánte Jacobo [Epist. cap. 4. v. 7.] *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Caro autèm non fugiet à nobis, nec nos fugere poterimus ab eâ; imò, velimus, nolimus, arma contrà nos ipsi tribuere necesse est.

Ratio totius nostræ assertionis est: Quià in aliis tentationum præliis, alius est, qui ostendit; alius, qui se defendit; at in militiâ Spiritus, & Carnis Egomet sum mihi adversarius: Ego interior mihi interiori, Ego exterior resisto mihi interiori. Quo pacto igitùr me à me liberabo? Prætereà duo pugiles non semper pugnant, non semper adoriuntur; sed Caro, & Spiritus semper sunt in acie: semper amplexati ad luctam hanc periculosissimam: non valent exquirere inducias; imò eoipso, quòd vel ad momentum ab invicem separentur, mors intercedat oportet. Quòd periculosius est, Caro, & Spiritus sunt quidèm inimici, sed dilecti. *Nemo unquam*, ait Apostolus [ad Ephes. 5. v. 29.] *carnem suam odio habet, sed nutrit, & fovet eam*. At quænam pugna gravior, quàm cum hoste amico?

Dices: Tentatio Iræ est aliis impetuosior, & prævenit judicium rationis. Quod non evenit in tentatione Carnis. Ergò illa est gravior.

R. Ex Aristotile [2. Eth.] Quòd difficiliùs est pugnare contrà concupiscentiam carnis; quià hæc est nobiscum connutrita, & vitæ contemporanea. Tum quià est diuturnior, molestior &c. ex hactenùs probatis.

Alias omitto objectiones, quià non urgent.

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

159. IN Sectione iſtâ tenuis ingenioli noſtri eòuſque laboravit intentio, ut debellantium nos hoſtium diverſitates agnoſcantur, & fraudes. Caſſo ſiquidèm labore deſudat, quiſquis certaminis introiens campum, ignorat cum quibus debeat habere conflictum. Verùm ad victoriæ profectum, ſicut utile eſt ſcire quis certet: ità neceſſarium cenſetur armorum non ignorare præſidia. Horum quippè duo ſunt genera, quædam ſcilicèt offenſiva, & quædam defenſiva. Unum, quo Chriſti præliator ſui utitur ad munimen: alterum quod tenet inimicus, ut feriat: altero namquè Adverſarii effugit ictus: per alterum verò eumdem vulnerando inſequitur. Ut igitur in ſtadio Chriſtianæ militiæ, poſtquàm agnovimus Carnem, hoſtem domeſticum, fortiorem eſſe inimicum; reportemus triumphum, utriſque armis, Scuto, ſcilièt orationis, & mortificationis Gladio nos circumcingi neceſſe eſt. His inſtructus Apoſtolus, ut alios reticeam Chriſti Athletas, Carnem ſubjecit in ſervitutem ſpiritus; proùt ipſemet fatetur: *Datus eſt mihi*, inquit, (2. Corinth. 12. v. 8.) *ſtimulus Carnis meæ.... propter quod ter* (idèſt ſæpè, & frequentèr: Ternarius enim ſymbolum eſt multitudinis, & univerſitatis; ut notat hìc à Lapide) *Dominum rogavi*. En Clypeus, quo Paulus dimicat in hoc ſpirituali certamine. *Ego ſic pugno*, ait (1. Corinth. 9. v. 26.) *non quaſi aërem verberans*, nimirùm, inanitèr, fictè, ac ſimulatè, ſed verè, ſinceriſſimè, & efficacitèr reſiſto: totiſque viribus, tùm internis, tùm externis refreno carnis petulantiam: *Sed caſtigo corpus meum*. Ambroſ. *Jejuniis ango*. S. Baſil. (lib. de Virginit.) *Plagis affligo*. Origenes, *macero*. Græcè, *Subigo*, *coerceo*, *contundo*, & in ſervitutem redigo. En enſis, quo Antagoniſtam in humum dejecit.

160. Quamvis igitùr Caro noſtra hoſti ſit infenſiſſimus, perfidus, pertinax, formidabilis, imperterritus, munitiſſimum tamèn habemus præſidium, nempè Jeſu Chriſti latus nobis ſemper apertum: ad quod in hoc diriſſimo bello fatigati, quotiès acceſſerimus, totiès, reſumptis viribus, robuſtiores redibimus ad certamen. Tutus enim eſt locus, & ineſpugnabilis: ad hunc invitat nos ipſe Salvator (Matth. 11. v. 28.) *Venite ad me omnes*, inquit, *qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Indè D. Luren. Juſtin. (de Caſto Connub. c. 8.) ſic piiſſimè effatur: *Nemo pugnantium ignoret locumhunc. Pacis tempore reſperſus eſt ſuavitate mirabili; belli autèm tempore invictis munitus cuſtodiis. Semper accedere volentibus patet, nullus eſt qui prohibeat. O pugnatores oſtiæ hæc intuemini diligentiſsimè, lateris, manuum, pedumque fixuras videte Redemptoris, apertæ ſunt, introire nè timeatis: intùs eſt latitudo immenſa, deliciæ inæſtimabiles, odoramenta, per quæ omnes interiores animæ ſenſus raparantur, & pacatiſsima quies. Experimini, videte, guſtate quàm ſuave eſt, quàm jucundum, quàmve tutum commorari in latere Salvatoris. Quàm infeſti ſunt adverſarii, quàm illis impares veſtras ſenſeritis vires, quàm titubare, formidare, & ipſorum*

ſug-

Digitized by Google

ſuggeſtionibus inclinare cæperitis, ſinè morâ ad præſidia currite Verbi, ad petræ foramina, ad vulnera Redemptoris. Conſuevit quidèm fortitèr, pièque protegere accedentes ad ſe.

Ad hanc fiduciam nos animat, & conſolatur his verbis D. Auguſt. (ſerm. 105.) *Adjuvat certantes, qui certamen indixit. Non te ſic ſpectat Deus in agone certantem, ut populus ſolet athletam; clamore enim populus monet athletam, adjuvare non novit. Coronam parare poteſt, qui indixit certamen; vires autèm ſubminiſtrare non poteſt. Deus autèm quandò ſpectat certantes ſuos, adjuvat eos certantes, & invocantes. Nam vox athletæ ipſius eſt* (Pſalm. 93.) *Si dicebam: Motus eſt pes meus, miſericordia tua Domine adjuvat me.*

Aſt inimicus repellitur quidèm Scuto, ſed Gladio jugulatur. Undè (1. Paralip. 5. v. 18.) dicitur: *Viri bellatores, Scuta portantes, & Gladios.* Quamvis igitùr veriſſimum ſit, quòd Chriſtus Jeſus *Scuto circumdabit nos* (Pſalm. 90. v. 5.) *quòd ſermo ejus vivus ſit, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* (ad Hebræos 4. v. 12.) quòd *nobiſcum ſit, tamquàm bellator fortis* (Jerem. 20. v. 11.) Nihilominùs pugnabit quidèm, at non ſinè nobis; docente D. Auguſt. (quæſt. 30. in Deuteron. lib. 5.) *Deus veſter, qui præcedit vobiſcum, ſimùl debellabit vobiſcum inimicos veſtros, & ſalvos faciet vos. Ecce quemadmodùm & in ſpiritualibus conflictibus ſperandum, & petendum eſt adjutorium Dei; non ut nos nihil faciamus, ſed ut adjuti cooperemur: ſic enim,* ait, *debellat vobiſcum, ut etiam ipſos acturos, quod agendum eſſet, oſtenderet.* Hinc David miles veteranus in Carnis certamine, ait: (Pſalm. 44. v. 4.) *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè.* Quæ verba exponens Hugo Cardinalis, inquit: (*Accingere*) *idèſt accingeris* (*Gladio tuo*) *idèſt voluntariè à te ſumpto* (*ſuper femur tuum*) *idèſt, ſuper carnem tuam. Pro carne enim femur ſpecialitèr ſumitur, quià femur humanæ propaginis eſt ſeminarium:* (*Potentiſſimè*) *non ſegnitèr, aut laſsè. Nec dicit tantùm potentèr, aut potentiùs, ſed* (*Potentiſſimè*) *hoc eſt, triplici vinculo, ſivè habenâ, quâ gladium noſtrum debemus circà renes noſtros ligare, nè auferatur à nobis. Quià funiculus triplex difficilè rumpitur; ut dicitur* [Eccleſ. 4. v. 12.]

161. Quicumque ergò Chriſtianæ militiæ nomen dedit, accingatur gladio ſuo ſuper femur ſuum. Gladio, inquam, quo carnem maceret, ejuſque jugulet deſideria: Corporis namque mortificatio eſt Chriſtiani militis Baltheum, atque Inſigne. *Qui autèm ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt eum vitiis, & concupiſcentiis* [ad Galat. 5. v. 24.] Indè infert idem Apoſtolus [ad Coloſ. 3. v 5.] *Mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam.* Et D. Auguſt. [ſerm. 156. aliàs 3. de verbis Apoſtoli] *hoc eſt opus noſtrum in hac vitâ, actiones Carnis ſpiritu mortificare, quotidiè affligere, frænare, interimere.* Caro noſtra, etſi ſpecie tenùs venuſta, fœditas eſt morum, ſepulchrum vitæ, innatum periculum, imò naturalis ruina; cùr igitùr non cavetur, nè decipiat? *An fortè fallit incautum?* proſequitur Auguſtiſ-

Digitized by Google

simus Doctor (lib. de Spirit. & litt. cap. 10.) *Ergò caveat, nè fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ità est, nulla ergò peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autèm: caveri igitur potest.* Hostis est robustissimus, omnique alio truculentior; ergò variis edomandus asperitatibus, nè in Spiritum insolescat, & reprobum efficiat. Quarè igitùr blanditiis delinitur, opiparè pascitur, deliciis saginatur? *Dando ei vires*, insurgit Sanctus Præceptor (tract. 41. in Joann.) *Quomodò vincis, quandò contra te inimicum nutris viribus tuis?* Adversarius est semper infensus, semper insidiosus, semper pugnans; cur ergò & nos diù, noctùque contrà eum summa vi, omnique conatu non decertamus? *Si caro nostra quotidiè contrà animam pugnat*; urget Augustus. (lib. de salute docum. cap. 4.) *Cùr & nos quotidiè contrà Carnem pugnare non debemus?* Et (serm. 51. aliàs 45. de Verb. Apost. cap. 3.) *Rebellat, rebella: pugnat, pugna: expugnat, expugna: hoc solum vide, nè vincat.*

Amara isthæc reflexio, & durus est hic sermo; verùm *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet*: [1. Corinth. 9. v. 25.] *& illi quidèm ut corruptibilem coronam accipiant*, nempè Pineam, & hujusmodi; *Nos autèm incorruptam*, cœlestem, æternam, auro, gemmisque ornatam, rosis, ac liliis florentem immarcescibilibus, quâ milites Christi coronantur. Undè D. Hieronym. (Epist. 14. ad Cellantiam) scribit: *Arduum est iter castitatis; sed magna sunt præmia.*

SECTIO II.

An qui non resistit positivè tentationi Carnis, sed negativè, & permissivè se habet, censeatur consentire, & peccet?

162. UTinàm nec Metaphysicus sit, nec propriæ opinionis præventus passione, qui hanc perleget Sectionem. Metaphysicus enim non rarò efformat Sphynges: libentèr defendit Chymeras: ultrò doctrinis adducitur variis, & peregrinis: ac prompto animo doctas sequitur fabulas. At moralia, de quibus agimus, moralitèr tractanda sunt, & sanè practicè. Similitèr, studiosus propriæ opinionis cæcus est, & manu tentans. Vis amoris sic mentem affectu depravat, ut nihil non magnificum in dilecto videat. Deformes liberi, parentibus pulchri videntur; sed partus mentis non minùs diligitur, ac partus ventris. Longè igitur à nobis speculationes inutiles; procùl sit amor proprius; ut hac in re magni momenti, ad castè vivendum à veritate non dissentiamus. Pro quâ amplexandâ

163. Adverto I. Consensum sic definiri: *Est acceptio, & complacentia voluntatis in eo, quod ab intellectu proponitur.* Dicitur autem *Consensus*, quasi actus Voluntatis idem sentientis cum Intellectu.

Ad quem duo concurrunt: nempè advertentia Intellectus, & motus Voluntatis. Et quidèm primò requiri-

Digitized by Google

quiritur Advertentia; nàm actus, ut sit humanus, esse debet in pleno dominio, & potestate operantis: nullus autem actus potest esse talis, nempè, ut eum elicere, vel non elicere, continuare, aut abrumpere possit, nisi cum advertentiâ ad ipsum actum. Indè primæ cogitationes Intellectus, seù motus primò primi, qui ex solâ apprehensione objecti, absque ullâ sui advertentiâ, exurgunt in Voluntate, vel appetitu sensitivo, esse nequeunt actus humani, nec liberi, neque boni, aut mali. Idque certum est apud omnes.

164. Rursùs Advertentia est multiplex. 1. *Ratione objecti*, & hæc iterùm, vel est ad actum materialitèr captum, quùm quis v. g. advertit quidèm se carnem comedere, sed non advertit id à se fieri die jejunii. Vel est ad actum, & ad ejus malitiam: ut quùm etiam reflectit se carne vesci tempore prohibito. 2. *Ratione modi*; & advertentia ista alia est *Formalis*, & expressa; quùm quis actionem ponit, actù advertens eam esse vetitam. Alia *Virtualis*, seù *Implicita*, quæ dicitur etiam *Interpretativa*; quùm, scilicèt, adest dubium, vel suspicio peccati, aut periculi ejus: vel prævisio saltèm confusa actus mali in suâ causâ: aut quandò peccatum, ejusque periculum non advertitur ob negligentiam culpabilem. Et hæc bipartita advertentia virtualis, est mente tenenda. 3. *Ratione perfectionis*. Equidèm Advertentia, alia est *Perfecta*, seù *Plena*; quùm, scilicèt, agens ità sibi præsens est, & sui compos, ut rem consideret, aùt considerare possit, quantum sat est. Alia dicitur *Imperfecta*, vel *Semiplena*; quùm somnus v. g. vel aliud impedimentum facit, nè homo satis sit compos sui, ut considerare possit rem, quantum sufficit.

165. Omnes fatentur Doctores, quòd ubi nulla est advertentia, saltèm Virtualis, nullus est consensus; quià, sublatâ advertentiâ, tollitur voluntarium: *Nihil enim volitum, quin præcognitum*; hìnc dicebamus, motus, qui dicuntur primò primi, non esse peccaminosos, neque actus humanos; quià præcedunt omnem advertentiam rationis. Acritèr tamèn disputatur: An ad peccandum formalitèr sit necessaria advertentia *Actualis*, & *Expressa*: vel saltèm actuale dubium, seù scrupulus de malitiâ actionis? An verò sufficiat, si quis ponat actionem malam, dùm advertere potest ad ejus malitiam, sed non advertit; sivè ob passionem, aut habitum, quibus rapitur: vel quia attendit ad alia, quæ non compatiuntur cum hac advertentiâ.

166. Mihi placet opinio illorum, qui putant, ad peccandum formalitèr non requiri advertentiam *Actualem*, vel dubitationem, seù scrupulum malitiæ moralis actus; sed sufficere advertentiam *Interpretativam*, in hoc sensu, quatenùs quis advertere debuerit, & potuerit.

Moveor 1. Quià dantur peccata ex ignorantiâ: idque est indubitatum. Atquì hæc fiunt sine advertentiâ actuali, vel dubio actuali, seù scrupulo. Hoc probo. Solùm ille peccat ex ignorantiâ, cujus peccati causa est ignorantia: sed in eo, qui actù vel attendit, vel dubitat de malitiâ peccati, ignorantia esse nequit causa peccati. Nam eatenùs ignorantia est causa peccati, quatenùs removet prohibens, ideſt, qua-

Digitized by Google

tenùs tollit cognitionem, quâ positâ, non poneretur peccatum: At, quod tollit cognitionem peccati, non supponit actualem notitiam, advertentiam, dubium, aut scrupulum ejusdem. Qui ergò peccat ex ignorantiâ, non habet actualem notitiam peccati; implicat enim, habere actualem cognitionem peccati, & simul habere ignorantiam ejusdem. Undè nullum esset peccatum ex ignorantiâ, si nullum esset sine actuali notitiâ ejusdem peccati, aut dubio &c. quod nemini placere debet.

Moveor 2. Quià contrariæ opinionis Patroni, ideò ad peccandum formalitèr requirunt notitiam actualem malitiæ peccati, quià, eâ sublatâ, peccatum esset quidèm voluntariè in ratione actus, non autèm in ratione peccati. Atqui peccatum, in ratione peccati, potest esse voluntarium sine actuali advertentiâ malitiæ, dubiove, aut scrupulo. Patet, quià sine advertentiâ actuali ad peccatum, ut peccatum, (quæ facit peccatum formalitèr, & actù voluntarium) consistere potest Voluntarium Virtuale, & Interpretativum: quod sufficit, ut peccatum, quâ peccatum, satis sit volitum. Ratio est, quià Voluntarium Virtuale habet annexam notitiam virtualem peccati, quâ tale: quæ notitia virtualis in eo sita est, ut homo possit, & debeat cognoscere. Ad peccandum igitùr formalitèr sufficit cognitio illa virtualis: Nam *scire de facto, & posse, ac debere scire, æquiparantur*; ut utriusque Juris loquuntur Doctores.

Forsitàn inquies. In hoc, quòd quis possit, & debeat scire, seù advertere, necessariò includitur aliqua cognitio, saltèm confusa. Si enim agens nullam, nè quidèm confusam, haberet cognitionem, non potuisset excitari ad diligentèr inquirendum, & animadvertendum: quòd si ad id excitari non potuisset, ejus omissio & involuntaria foret, & inculpabilis.

Verùm, si res ità sit, quæstio erit de nomine: & jam fateris, reum esse peccati illum, qui potuit, & debuit advertere; eò enim ipso, quod potuit advertere, advertit saltèm confusè. Cæterùm hæc cognitio confusa non est, nisi fictitia; nàm deberet habere pro objecto ipsam malitiam actus; ut ipsimet ajunt adversarii. Atquì peccat ex ignorantiâ, aut ex conscientiâ erroneâ, nequaquàm cognoscit actus sui malitiam; quandoquidèm, ex hypothesi, non ageret, si cognosceret; juxtà illud [1. Corinth. 2. v. 8.] *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Moveor 3. Si ad peccandum requiritur actualis attentio ad malitiam peccati, Athæi, Sardanapali, cæterique, *quorum Deus excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde.* [Joann. 12. v. 40.] non peccabunt, perpetrando quæcumque scelera immania, sine scrupulo, imò tranquillâ conscientiâ, vel saltèm, si nec muta sit apud eos Syndéresis: quùm tamèn per habitus pravos, & repetitos passionum æstus, ità sit impedita, ut vix audiri possit; tantò minùs peccabunt, quantò minorem peccando patientur remorsum. Sed hujusmodi doctrina repugnat Sacris Bibliis, adversatur rationi, nec eam Catholicorum aliquis amplectitur.

Id

Digitized by Google

Id efficaciùs probant exempla Idolatrarum, & Hæreticorum, qui in gratiam ſuæ Religionis, innumera exercent (*velut legitima terræ*) quæ, non modò mala eſſe actu non ſentiunt, ſed optima eſſe arbitrantur. Ità Sinenſes infantes necant ſuos, pietate moti, ut eos liberent è vitæ miſeriis: eorumdem filii, clementiæ amore, languentes occidunt parentes &c.

Moveor 4. Quià ex contrariâ opinione, quæ ad rationem peccati formalis requirit notitiam malitiæ ejuſdem peccati, ſequitur opinio Phyloſophiſmi, ſeù Peccati Phyloſophici, proſcripta ab Alex. VIII. Nam cognoſci actù non poteſt malitia præcipua peccati, quìn actù cognoſcatur peccatum, ut offenſa Dei. Sed qui actù non attendit ad malitiam peccati, actù non cognoſcit, ipſum eſſe Dei offenſam. Ergò, ad ſummum, peccabit phyloſophicè. Quod aſſerere neſas eſt.

Ex his liquidò patet, quod ab initio innuebamus, Methaphyſicum, ſcilicèt, longè diſtare à Morali. Siquidèm Methaphyſici, qui conceptus formales peccati Phyloſophyci, & Theologici conſiderant diſtinctos ſecundùm varia connotata; in re, & practicè ſeparant. Quique præciſiones objectivas, imò & formales, practicas, ac phyſicas chymerizant, dicentes cùm Molinoſiis: *Animas Deo unitas, urgentibus Carnis tentationibus, non debere curare, quid agant ſenſus, ſed perſiſtere in Dei amore, & unione: etſi ſenſus in libidines, etiam viri cùm muliere prorumpant, non peccari Theologicè; quià nec Dei offenſam actù cognoſcunt.*

167. Adverto II. Quòd advertentia imperfecta non ſufficit ad plenum, & perfectum conſenſum: & conſequentèr, nec ad peccatum mortale, etiamsì materia gravis ſit. Ità Doctores omnes. Ratio eſt, quia peccatum mortale, ideò tale, quià diſſolvit amicitiam Dei cum homine, huncque æternis ſuppliciis facit obnoxium. Atquì ad malum tàm grande non ſat eſt conſideratio imperfecta. Eadem namque requiritur advertentia, quæ in rebus maximi momenti eſt neceſſaria: in his autèm non ſufficit advertentia ſimilis illi, quam habet ſemidormiens, aut qui mente penè omninò diſtractâ, vix attendit ad ſuam actionem. Tùm quià, nemo Pater eſt tàm bonus, quàm Deus; bonus autèm Pater non dejicit filium ab hæreditate, ob peccatum commiſſum ex ſolâ animi inconſideratione: Nec igitùr Deus, cujus natura eſt bonitas. Tùm quia, ſicùt tenuitas materiæ ſæpè impedit nè peccatum ſit mortale; ut patet in furto levi; ità idem efficere poteſt tenuitas advertentiæ.

Nequè dicas: qui imperfectè advertit, poterat perfectiùs advertere. Ergò ſicùt, ex dictis, ſufficit ad peccatum mortale, ut quis advertere poſſet: ità ad peccatum grave ſat etiam erit, ut quis perfectam advertentiam habere potuerit.

Non valet. Sæpè namquè fit ut tanta ſit ſubreptio, ut vix, & nè vix quidèm mens poſſit hìc & nunc ampliùs, & perfectiùs attendere. Id conſtat in viris piis, iis præſertìm, qui ſtudio, aut negotiis implicatis incumbunt: qui officium Divinum attentè recitare volentes, tàm profundè diſtrahuntur, ut ſæpè dubitent, an, & quid recitaverint. Nonnè hi mortalis culpæ crederentur

rei

Digitized by Google

rei, eò quià perfectiùs attendere debuerint? Nequaquàm. Et in hoc caſu intelligendum eſt, quod dicebamus, nempè, ſubjacere peccato gravi eum, qui non advertit, quandò penès eum ſtat ut advertat.

168. Impudici verò, Blaſphemi, & alii id generis, qui verba oſcena, indigna &c. ſinè conſideratione, aut remorſu plenis faucibus effundunt, perperàm ſuâ ſeſe inadvertentiâ excuſare conantur; quùm iſta ſubreptio prævideri, & caveri poſſit: & aliundè ſit voluntaria in causâ. Quid autèm dicendum de iis, qui prolabuntur in actus ex objecto turpes, ſub prætextu inconſiderationis, vehementis paſſionis, violentiæ &c. patebit infra.

169. Adverto III. Quòd etiam *Conſenſus* eſt duplex: *Perfectus*, ſcilicèt, & *Imperfectus*; proùt Voluntas aliquid amplectitur cum plenâ, aut ſemiplenâ advertentiâ: cùm aliquali, vel totali approbatione. Indè ad conſenſum perfectum duo requiruntur: advertentia plena, & deliberatio perfecta; itaùt, ſi adeſt perfecta Intellectus advertentia; & approbatio Voluntatis non ſit etiam perfecta, tunc conſenſus dicitur ſemiplenus, & imperfectus. Approbatio autèm Voluntatis tunc erit imperfecta, quandò voluntas approbat objectum; non toto (ut ità dicam) actu; ſed imperfectè, & ex quadam ſubreptione. Quandò igitur concurrunt iſta duo, advertentia perfecta Intellectus, & approbatio perfecta Voluntatis: tunc conſenſus eſt plenus, & perfectus; quamvis duret per unùm dumtaxat inſtans. Siquidèm non ex temporis morâ metienda eſt perfectio conſenſus; quamvis enim verum ſit, deliberationem perfectam requirere tempus; attamèn poſitâ jam debitâ advertentiâ, conſenſus fieri poteſt in inſtanti.

170. Prætereà, Conſenſus alius eſt *Poſitivus*, quo Voluntas expreſsè approbat objectum ab Intellectu propoſitum. Alius *Negativus*, quo Voluntas, adhuc ſuppoſitâ ſufficienti advertentiâ, nec poſitivè approbat, nec poſitivè reprobat; eſtò reprobare poſſit.

171. Iterùm Conſenſus (*aliis* omiſſis ejus diviſionibus) vel eſt *Directus*, vel *Indirectus*. Primus eſt, qui directè fertur in objectum propoſitum; v. g. quùm *quis* vult pollutionem. *Indirectus*, (quem alii vocant Virtualem, Interpretativum, in alio, in causâ) eſt, quandò quis, licèt non velit rem aliquam in ſe; vult tamèn aliquid, in quo res illa continetur, aut ex quo ſequitur. V. g. dùm quis non vellet turpes corporis motus, vult tamèn lectionem librorum expirantium amorem, ex quibus pravi excitantur motus.

172. Cauſa verò hujuſmodi conſenſus, aut eſt *Poſitiva*, aut *Negativa*. Conſenſus indirectus *in causâ poſitivâ eſt*, quandò quis voluntariè ponit cauſam, ex quâ prævidet, vel prævidere deberet, ſecuturum talem effectum: eò vel magìs, ſi jam de facto experitur ſequi; ut mox dicebamus de eo, qui indulget lectioni turpi, quamvis ſentiat periculum proximum pollutionis. Hic, inquam, etſi directè minimè velit, imò omninò nolit pollutionem; indirectè tamèn cenſetur velle pollui; & pollutio indè ſecuta, dicitur voluntaria indirectè. Conſenſus autèm indirectus *in causâ Negativâ* dicitur, quandò quis, quùm poſſet, & deberet,

Digitized by Google

beret, solùm non aufert causam effectus prævisi, vel alio modo non impedit, quominùs sequatur effectus prævisus, vel in se, vel in alio. Ità erit, si ab aspectu non amoveas imaginem obscœnam &c.

173. Ex quo sequitur, quòd ut ex causâ positâ, aut non ablatâ, effectus secutus dicatur voluntarius indirectè, & imputetur ad culpam, requiruntur tria. 1. Ut operans sciat, & advertat: vel scire debeat, seù inculpabilitèr non ignoret ex tali causâ à se positâ, aut non ablatâ, secuturum talem effectum, vel ejus adesse grave periculum. 2. Ut possit utique talem effectum impedire, non ponendo, vel auferendo causam. 3. Ut non solùm possit, sed etiam debeat hoc modo impedire effectum. Sic communitèr Doctores.

174. Conveniunt quoque omnes, quòd in tentationibus gravibus, in quibus est periculum proximum consentiendi, si quis non resistat positivè, censetur indirectè, seù interpretativè consentire. Sic docet S. Scriptura [Eccli. 3. v. 27.] *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et [Matth. 5. v. 29.] *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te.* Hæc quoque est praxis, & judicium Ecclesiæ, quæ per Innoc. XI. hanc damnavit propositionem: *Potest aliquandò absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.*

Sed non omnes conveniunt Doctores in assignando, quodnam sit periculum proximum. Dissentiunt etiam in discernendo, an quis vitare debeat non solùm periculum certum, sed quoque probabile, ut censeatur non consentire tentationibus gravibus. Ideòque

175. Adverto IV. Periculum definiri à Caramuele [Theol. fundam. n. 535.] *Inclinatio ad futuritionem mali*. Hæc autèm definitio indiget explicatione; ut scitissimè advertit Cardenas [Cris. Theol. tract. 1. de Probabilit. disp. 18. cap. 2.] Quùm enim Periculum dicitur: *Inclinatio ad futuritionem mali*, non est intelligendum, quòd damnum sit reipsà futurum. Nam sæpè datur periculum, quin reipsà sit futurum damnum; undè dicitur *Inclinatio*, non autèm *Illatio*. Sic igitur intelligendum est, nempè, Periculum esse motivum inclinans ad damni futuritionem. Indè periculum dicit duo: habitudinem, scilicèt, seù inclinationem, tamquàm constitutivum periculi: & futuritionem damni, tamquàm terminum ejus inclinationis.

Insuper, nomine *Inclinationis*, non intelligitur inclinatio voluntatis, aut judicii, sed motivum antecedens ad futuritionem mali, seù peccati: ex quo motivo Prudentes colligunt impendere illam futuritionem mali.

176. Adverto V. Quòd periculum dividitur in *Certum*, *Probabile*, & *Leve*. Periculum *Certum* (quod & *Proximum* dicitur) est illud, quod certò, certitudine morali, infert futuritionem damni. Ità certum dicimus periculum mortis, ei, qui appropinquat Leoni sævienti.

Periculum Probabile est, quandò adsunt rationes probabiles, quæ suadeant malum, seu lapsum futurum ex tali, vel tali occasione. Ut quùm quis timoratæ conscientiæ, sed tamèn fragilis, probabilitèr censet, se fore vincendum à tentatione:

Digitized by Google

ne: fragilis autèm, & sinè timore Dei habet motivum sibi persuadendi certam futuritionem lapsus in eâ occasione.

Periculum Leve est, quandò judicium, quo suspicatur futuritio mali, est leve: seù motivum levitèr inclinat ad futuritionem mali. Ità Religiosus, qui nunquàm lapsus est in venerea, & magno afficitur Dei timore dùm ingreditur in domum fœminæ nimis pulchræ, ex tantâ pulchritudine judicium sumit ad suspicandum, se forsitàn lapsurum.

177. Adverto VI. Periculum adhuc distingui in *Formale*, & *Materiale*. Periculum *Formale* est illud, quod, attentis omnibus circumstantiis tùm intrinsecis, tùm extrinsecis, ità inclinat, & movet ad lapsum, ut in personâ similis conditionis soleat esse frequentèr cum peccato conjunctum. Et hoc periculum vocatur etiam *Proximum*, quià in proximo est, ut labatur in peccatum, qui in tali versatur periculo; undè, qui amat hoc periculum peribit in illo. Appellatur etiam à quibusdam *Periculum Morale*.

Periculum Materiale, quod dicitur etiam *Remotum*, est occasio illa, seù circumstantia extrinseca, quæ provocat, seù inclinat ad lapsum.

178. Rursùs, *Periculum Formale* aliud est *Extrinsecum*, idèst, ortum ex occasione extrinsecâ: aliud *Intrinsecum*, ortum ex pravâ conditione ipsius hominis.

179. *Periculum* quoque *Materiale* dividitur in *Voluntarium*, & *Non voluntarium*. Dicitur *Voluntarium* illud, quod constituitur in potestate hominis, qui potest, si vult, auferre, aut fugere hujusmodi periculum: nullâque verâ necessitate cogitur ad retinendum illud, vel manendum in eo. *Non Voluntarium* (quod alio nomine *Necessarium* vocatur, quamvìs absolutè non sit necessarium, nisi quoad circumstantiam externam, quam quis non potest auferre) est illud, quod non est in potestate hominis, qui aliquo modo necessitatur ad illud retinere, aut in eo manere.

180. Et hoc duplicitèr: vel ex *Necessitate Theologica*, idèst, ex præcepto obligante. V. g. Chirurgus, qui ex præcepto Charitatis, vel ex officio, & justitiâ tenetur mederi fœminæ verenda, quæ extremam patitur necessitatem curationis; nec alius est Chirurgus, qui mederi possit. Aut *Necessitate Physicâ*, vel *Morali*. Ut qui violentiâ satellitum inducitur in carcerem, ubi invenit periculum percutiendi inimicum in eodem carcere cõmorantem: iste talis *Necessitate Physicâ* conjicitur in periculum. Filia autèm familias, quæ manet in domo Matris, ubi iuvenis habitat sibi periculosus, est coactè manens *Necessitate Morali* in eo periculo. An autèm, quandò *Necessitas Theologica* obligat, dicatur homo subire periculum, non verò ei se exponere? Satìs, & subtilissimè, more suo, explicat Cardenas [ibi cap. 13.]

181. Adverto VII. Quod periculum peccandi est triplex: 1. *Intrinsecum*, quod nascitur ex propriâ fragilitate, aut ex peccandi consuetudine. Ità quilibet, qui non habet speciale Dei gratiam protectricem, habet ab intrinseco periculum labendi in peccatum. Inclinatio enim fomitis, & habitus vitiosi, cui dumtaxàt suffragantur auxilia communia, dant grave fun-

da-

Digitized by Google

damentum, ut prudens sibi persuadeat, talem hominem lapsurum.

2. *Extrinsecum*, & est ipsa occasio externa per se. Sic vehemens amici suasio ad peccandum, per se considerata, independentèr à magnâ, vel parvâ fragilitate alterius, potest esse argumentum, ut credas, illum esse peccaturum.

3. *Compositum* ex utrâque, estque ipsa occasio, & attentâ fragilitate hominis. Et hoc est, quòd communitèr dicitur *Periculum peccandi*.

182. Adverto VIII. Falsum aliquos supponere, quantitatem periculi labendi in peccatum oriri dumtaxàt ex propriâ experientiâ. Nam independentèr ab eâ, multa esse genera periculi certi, & proximi, indubium est; ut ad evidentiam probat laudatus Cardenas omninò videndus.

Ex hucusque adnotatis, descendimus ad quæsitum. Pro quo recolenda veniunt, quæ diximus de tentatione gravi, de istâ namque hìc scisciţamur. Et quia hujusmodi tentatio esse potest multiplex, in præsentiarum est sermo de solâ tentatione Carnis, tùm internâ, tùm externâ, nempè, orta ex motibus pravis effrænatæ concupiscentiæ, atque ab hominibus impellentibus ad turpia. Indè quærimus: An, qui non resistit positivè gravi tentationi Carnis, sed negativè, & permissivè se habet; censeatur consentire, & mortalitèr peccare?

183. Ille autèm dicitur resistere *positivè* tentationi internæ, qui saltèm mentem divertit ab obscænis repræsentatis Intellectui: resistit verò *positivè* tentationi externæ, qui non solùm corde, sed ore, & opere, omnique conatu extrinseco sibi possibili, resistit invadenti ad inhonesta. Ille autèm dicitur resistere *negativè*, seù *permissivè*, qui plenè advertens cogitationes illicitas, & sentiens in se motus turpes, eos non admittit, sed permittit: non amplectitur, sed non repellit: non consentit, sed neque dissentit. Sic etiàm dicitur resistere *negativè* tentationi externæ, qui ab alio impulsus ad venerea; quamvis mente, & interiùs odio habeat carnis illecebras, exteriùs tamèn non resistit cunctis viribus, quibus resistere posset impellenti ad nefanda, sed permittit.

In hac controversiâ perdifficili, ac delicatâ, Doctores pendent hìnc indè; sed omnes (uno, vel altero excepto) concludunt, in praxi nunquàm, vel rarò excusari à mortali, qui venereis delectationibus non resistit *positivè*: Imò Theologi, qui calamum acuerunt contrà deliramenta Michaelis Molinos, conantur ostendere, opinionem affirmantem sufficere in hisce tentationibus resistentiam negativam, incidere, vel saltèm coincidere in propositiones 17. & 37. inter damnatas ab Innoc. XI. Quarum prima fuit: *Tradito à Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est ampliùs habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ indulgentiâ: etsi natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.* Alia: *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima eliccre actus explicitos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore, & resignatione remanere.* Indè Matthæucci [Observat. doctrinal. adversùs Quietistas cap. 15. prop.

Digitized by Google

17. & 37.] Dominicus Ricci [Homo interior. part. 1. cap. 17. & 37.] Joſeph Lopez Ezquerra [Lucerna myſtica tract. 2. cap. 4. n. 38.] ajunt ore rotundo, in his duabus propoſitionibus Michaelis Molinos, jam manere damnatam opinionem eorum, qui in tentationibus fœdis meram obſiſtentiam negativam ſufficere docuerunt. Quid autèm nos ſentiamus, oſtendit

CONCLUSIO I.

184. SUfficientèr advertens in ſe cogitationes turpes, & pravos concupiſcentiæ motus, aut delectationem circà venerea, & illis non reſiſtit poſitivè, cenſetur conſentire, & peccat mortaliter. Non ſolùm quandò imminet periculum probabile conſenſus illius delectationis, ſed adhùc excluſo tali periculo. Niſi juſta cauſa excuſet.

Aſſertio eſt communiſſima apud Doctores. An verò opinio cõtraria ſit cenſurâ Theologicâ inurenda? judicent Doctiores; nos autèm impræſentiarum nullam de hac Notâ habere volumus poſitionem, nec oppoſitionem; ſed in volumine (Deo favente) edendo contrà omnes Molinoſias propoſitiones, noſtram aperiemus mentem.

ADSUNT SACRÆ SCRIPTURÆ.

PROVERB. 4. v. 23.

OMni cuſtodiâ ſerva cor tuum; quia ex ipſo vita procedit. Idcſt, exponit D. Dionyſius, *cum ſummâ, & jugi diligentiâ præſerva mentem tuam ab omni cogitatione immundâ.... Inviſibiles namque hoſtes ipſum cor, tamquàm prætioſum obſident caſtrum; idcircò intenſiſſima cuſtodia eſt neceſſaria homini evadere cupienti... Itàque (juxtà doctrinam Climaci) ponamus in januâ cordis portarium, & cuſtodem, ipſum Dei timorem: qui nihil illicitum* (N. B.) *permittat intrare, aut intùs manere, & ſit cor noſtrum ſemper in Domino. Nàm, quod amat, in eo ſe figere ſolet.*

Porrò ly *Cuſtodia*, metonymicè ſignificat ſtationem, & ſpeculam, è quâ vigiles, & excubitores ſolent ſpeculari, & luſtrare omnia circumcircà, nè quà hoſtis irrumpat. Sicut ergò Urbem non cuſtodirent Milites ii, qui ſinerent inimicum in eam introire, & forent ſupplicio digni: ità Chriſti Milites, qui negativè ſe habent ergà hoſtem domeſticum, nempè, Carnem, & permittunt manere in arce cordis, nec expellunt; rei ſunt culpæ gravis. Diligentiùs enim, ac fortiùs cuſtodiendum cor à pravis cogitationibus, quàm tuetur caſtrum, domus, agrum, theſaurum, uxor, &c. Undè Iſaias [cap. 21. v. 8.] ait: *Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans jugiter per diem: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.*

IBID.

Digitized by Google

IBID. Cap. 16. v. 30.

QUi attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua, perficit malum. Quid est *attonitis oculis* cogitare prava? nisi non consentiendo, nec dissentiendo, permittere in se motus turpes, eosque aspicere *oculis attonitis*, idèst, stupefactis, seù Voluntate suspensâ, & negativè se habente? Quid est, quod sic cogitans, *mordens labia sua perficit malum*? Quia deindè ore proprio, sed cruento fatebitur, quòd *perficit malum*, & *nefandum*, necessitate quadam morali: abstractus, & illectus à concupiscentiâ suâ; eò quia *attonitis oculis cogitavit prava*, quæ oculis terribilibus, minacibus, hostilibus configere debebat. Pulchrè D. August. [de honest. mulier. cap. 5.] *Qui libidinis malum in corde suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere à se, sine animæ plagâ non poterit.*

PSALM. 72. v. 21.

QUia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Ut jumentum factus sum.

Quasi dicat David: *Quia inflammatum est cor meum* ardore concupiscentiæ, *& renes mei commutati sunt* stimulis carnis: *& ego ad nihilum redactus sum*; quià, juxtà D. August. *Si paleam sequeris, palea efficieris. Et nescivi* excutere à me libidinis ignem, *combussit me in circuitu, & non cognovi: & succendit me, & non intellexi.* Isaiæ 42. v. 25. *Ut jumentum factus sum*, stolidus, & portans indifferentèr onera Carnis, & Diaboli, ut Dei. Ità ex Hugone Cardinali.

SAPIENTIÆ 1. v. 3.

PErversæ enim cogitationes separant à Deo.

Cornel. à Lapide hìc: *Cogitationes pravæ sunt quasi scintillæ, quæ nisi statìm extinguantur, cupiditatis ignem, & tandèm ingens incendium excitant.... Summè ergò invigilandum est cogitationibus, eæque, si pravæ deprehendantur, illicò ad petram legis Divinæ allidendæ, & elidendæ sunt; juxtà illud:*

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Quùm mala per longas invaluere moras.

Hinc S. Cyrill. [apud laudatum à Lapide in proverb. Salomonis cap. 22. v. 11. in fine] *Concupiscentia*, inquit, *suscitat omnes impuras cogitationes, & perturbationes (sicut ignis excitat fumum) ad ipsas invitans mentem: ac primò præstigiis illudens, postea vim adhibens, & concutiens. Siquidèm fumi more, vel etiàm sicut vapores quidam, insitarum voluptatum appetitus in nobis nascuntur: sed qui temperans est, & fortis (N. B.) motus increpat, nec longiùs progredi sinit, ac facilè infirmos adhuc perturbationis motus superat. Iners autem, & negligens voluptatum principia ad-*

mittit, quasi cogitationes nudas: quùm permiserit (N.B.) *in latitudinem progredi, difficillimum erit resistere; nàm qui antè captus est, & jam occupatus, il consiliorum suorum non Dominus est; imò magis victrici perturbationi, quasi barbarę alicui subjicitur.*

JEREMIÆ 4. v. 14.

Lava à malitiâ cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?

Hugo Card. in hunc locum. *Quasi dicat, prædixi vobis antè captivitatem; sed adhibeo remedium, quo illam potestis evadere, si vultis.* [Isa. 1. v. 16.] *Lavamini mundi estote.*] *Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? tamquàm mali hospites omnia furantes, & vastantes?* Isa. ibid. [*auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus.*]

Porrò cogitationes obscenæ, quià illecebrosæ sunt, facilè voluntatem alliciunt, & trahunt ad consensum; nec permitti possunt in monte quin eam contàminent; nam *qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ* [Eccl. 13. v. 1.] Undè D. August. [lib. de mendacio cap. 19.] docet: *Agendum quibus possumus viribus, & piâ supplicatione, ut cum violanda appetitur pudicitia corporis nostri, nec ipse animæ sensus externus, quì carne implicatus est, aliquâ delectatione tangatur.*

MATTH. 26. v. 14.

Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.

Duo nobis præcipit Divinus Magister, nè succumbamus tentationi: vigilare, scilicèt, & orare. Equidèm vigilia est maximè necessaria ad discutienda Carnis oblectamenta, & Diaboli fraudes: at Semi-dormiens, nempè, qui sentit titillationes impuras, & tacens omittit repellere, intrat jàm in tentationem, & præstat consensum interpretativum. Oratio quoquè est permaximè necessaria. *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* [Sap. 8. v. 21.] Audiamus expositionem Hug. Card. [*Vigilate, & orate*] *quasi dicat: fures insidiantur: sed vigilarum solicitudine, & orationis clamore in fugam vertuntur. Undè supra cap.* 24. *dicit:* [*Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur venturus esset, vigilaret utiquè, & non sineret perfodi domum suam.*] *Qui ergò in tentatione non clamat orando, se socium furis, & Domini proditorem demonstrat. Qui furem videt, Domino suo denunciat, ut custodiat domum suam.* [*Ut non intretis in tentationem*] *per consensum. In id enim intramus, in quod voluntariè consentimus. Foris ergò removendum est* (N.B.) *per dissensum, & orando. Undè* Exod. 17. *Moyses orando devicit Amalech. Et* Dan. 3. *Tres pueri liberati sunt per orationem.*

Undè D. Chrysost. [interpretando verba Apostoli ad Ephes. 6. *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela inimici extinguere,*] ritè infert: *Vult ergò Deus, omnes servos suos videntes esse jacula superstantia; qui enim non videt, quo-*

Digitized by Google

quomodò poteſt ea declinare? Qui ergò videt jacula, vigilans eſt contrà verſutias inimici, & de longè proſpicit jacula ejus, & cavet.

Et D. Hieronym. (in regul. Monach. cap. 3.) *Aſſueſcat animus ſolicitâ ſemper, pervigilique cuſtodiâ diſcernere cogitationes ſuas, & ad primum animi motum* (N.B.) *vel probare, vel reprobare, quod cogitat: ut, vel bonas cogitationes alat, vel ſtatim extinguat malas. Hinc namque eſt fons boni, & origo peccandi, omniſque ingentis delicti, in cogitatione principium eſt: quæ unumquodque opus, velut in quadam tabulâ cordis depingit, antequàm faciat. Nec enim expectandum eſt augmentum ejus rei, quæ timeri debet à parvo: & quæ tantò facilius vincitur, quantò ei citius repugnatur.*

ALIÆ SS. PATRUM SENTENTIÆ.

DIvus Gregor. [1. Moral. cap. 28. in Geneſ. 3.] in verba illa: *Ipſa conteret caput tuum*, ait: *Caput Serpentis obſervare, eſt initia ſuggeſtionis ejus aſpicere, & mox ſolicitæ conſiderationis à cordis aditu funditùs extirpare.*

Idem [4. Moral. cap. 22.] exponens verba Geneſ. 4. *Statim peccatum in foribus aderit*, inquit: *In foribus peccatum adeſt, quùm in cogitationibus pulſat: ejus appetitus ſubter eſt, eique homo dominatur, ſi cordis nequitiâ inſpectâ, citiùs prematur, & priuſquàm ad duritiam creſcat, reluctanti menti ſubigatur.*

Idem [8. Moral. cap. 18.] *Cuncta enim cogitatio cordis noſtri intenta eſt ad malum: & niſi hoc citiùs divinæ formidinis manus reprimat, omne conditæ naturæ bonum repentè culpa in profundum vorat.*

Idem [homil. 2. in Evangel.] *Libido eſt ignis, & turpes cogitationes paleæ: ſi in paleis ignis negligentèr extinguitur, ex parvâ ſcintillâ, quæ remanet, omnes paleæ accenduntur.*

Idem [in 1. Reg. lib. 6. cap. 2.] *Qui agere non poteſt, ut innoxia nunquàm cogitet, agat, quod poteſt, ut ſtatim cogitationem ejiciat, quæ negligentèr ad mentem intrat. Sic quaſi ignem maximum in carbones ſingulos, & velociter dividit, & celeriter extinguit, ſi omnes flammas cogitationum ſic ſeparat, ut conjungi in mente* (N.B.) *neque per negligentiam, neque per deſiderium ſinat.*

D. Auguſt. [lib. de ſalutaribus docum. cap. 34.] *Nè quæsò permittamus in nobis cogitationes pravas, nec tanquàm minima negligamus; quia, qui minima ſpernit, paulatim deſinit .... Abſcindamus virgulta ſpinarum de agro cordis noſtri, nè defigant in nobis altas radices. Cor noſtrum ager eſt Domini Jeſu Chriſti: excolamus eum cœleſtibus diſciplinis,* (N.B.) *& non ſinamus in agro tanti Imperatoris ſeminari zizania; ſed cunctis florum virtutibus decoremus; quia his delectatur.*

Idem [lib. 15. de Trinit. cap. ult.] *Multæ ſunt cogitationes meæ, tales, quales noſtri cogitationes hominum, quoniàm vanæ ſunt. Dona mihi eis non conſentire: etſi quandò me delectant, eas nihilominùs improbare* (audiant, & intelligant Adverſa-

verſarii) *nec in eis, veluti dormitando, immorari.*

D. Thom. [de Veritate quæſt. 15. de ratione ſuperiori, & inferiori, art. 4. ad 10.] *Antequàm ratio delectationem perpendat, vel nocumentum ipſius, non habet interpretativum conſenſum; ſed quandò jam perpendit ratio de delectatione inſurgente, & de nocumento conſequente: utpotè quùm percipit homo ſe totaliter per hujuſmodi delectationem in peccatum intlinari, & in præceps ruere* (N.B.) *niſi expreſsè reſiſtat, videtur conſentire. Et tunc peccatum ad rationem transfertur per actum ejus: quia agere, & non agere, quùm quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur; ſecundùm quod peccatum omiſſionis ad peccatum actus reducitur.* Nec fortiùs, nec clariùs loqui poterat Doctor Angelicus pro tuendâ noſtrâ Concluſione.

D. Hieronym. [homil. 4. ſuper Cant.] *Dum cogitatio mala in initiis eſt, & puſilla, capi debet, & abjici, nè ſi adulta fuerit, & inveterata, jam non poſsit expelli.*

Idem [l. 3. in Epiſt. ad Galat. c. 5.] *Scintilla res parva eſt, & penè dùm cernitur, non videtur: ſed ſi fomitem comprehenderit, & nutrimenta ſui, quamvis parvum iguem invenerit, mœnia, urbes, latiſsimos ſaltus, regioneſque conſumit.*

Idem [in regul. Monach. c. 3.] *Cùm apparuerit Scorpio, illicò conterendus eſt.*

S. Bernardus [lib. de Paſſione cap. 19.] *Quis enim cogitationes ſuas ità refrenare poteſt, ut non qualibet immunditiâ titilletur? ſed continuò talium cogitationum impulſus ſunt reprimendi; ut undè ſperabat ſe hoſtis vincere, per hoc victus diſcedat. Quod fit; quoties pravis, & immundis cogitationibus attracti, ſtatim ad ſignum Crucis, ad paſſionis Dominicæ recordationem confugimus.*

Idem [Meditat. cap. 9.] *Sicut Molendinum, ſi arena imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: ſic cor cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat, & fatigat.*

D. Iſidor. Hyſpanus (lib. 2. de ſum. bono cap. 25. ſent. 4.) *Sicut Vipera à filiis in utero poſitis lacerata perimitur: ità nos cogitationes noſtræ accidant, & concepto interiùs vipereo veneno conſummunt, animamque noſtram crudeli vulnere perimunt.*

Idem (ibid. lib. 3. cap. 5. ſententia 13.) *Diabolus ſerpens eſt lubricus: cujus, ſi capiti, ideſt, primæ ſuggeſtioni non reſiſtitur, totus interna cordis, dum non ſentitur, illabitur.*

D. Greg. Nyſſen. [in Exod. 12.] expendens illa verba: *Percuſſionem primogenitum in terrâ Ægypti*, ſubdit: *Hac figurâ docemur, quòd oporteat primas cogitationes, & prima peccandi initia, & vias primas radicitùs tollere; nam qui principia deſtruxit, totum nequaquàm admiſit.* (N.B.) *Non enim ingreſſum percuſſorem ejicere, ſed ne omninò ſubingrediatur lex jubet.*

S. Cyrill. [lib. 9. in Joann cap. 15.] *Etſi poteſtatis noſtræ non ſit, facere nè tales ſpiritus, ideſt cogitationes in mentem noſtram aſcendant; poſſumus tamen, quùm aſcenderint, ejicere: nec permittere ut magnas per negligentiam noſtram agant radices. Aliter ne dubitemus, quin pervicacia Diaboli paulliſpèr poſsit ſuperare.*

Caſ-

Digitized by Google

Cassian. [lib. 7. Collat. cap. 8.] *Sicutì est Diaboli instigationis copia; ità est in nobis respuendi virtus. Ergò manifestum est, hìnc unumquemque delinquere, quòd ingruentibus cogitationibus pravis, non confestìm repulsam contradictionis objiciat. Nam, resistite, inquit, ei, & fugiet à vobis.*

RATIONIBUS DEMONSTRATUR.

185. I. ILle mortalitèr peccat, qui voluntariè sentit delectationem veneream. At qui habet delectationem circà obscœna, eamque plenè advertit, nec tamen ei repugnat, ipsam voluntariè sentit. Ergò &c. Major est indubitata. Min. ostenditur. Ille voluntariè sentit (saltèm interpretativè) delectationem, qui eam sentit, quùm potest, & debet non sentire. Sed qui negativè se gerit ergà hujusmodi delectationem, eam sentit, quùm possit, & debeat non sentire. Hoc probo. Nulla, ut supponimus, est causa legitima, quæ obstat, quominùs resistere possit: debet autèm resistere: Nam delectatio objectivè turpis, ex se animum allicit, & solicitat: & consequentèr exponit periculo peccandi; Ergò ei resistere debuerat; juxtà effatum D. August. [lib. 12. de Trinit. cap. 12.] *Nec sanè, quùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidèm decernens esse facienda; tenens tamèn, & volens libentèr* (adverte quomodò id eveniat) *quæ statìm ut attigerunt animum, respui debuerunt; negandum est esse peccatum.*

Nequè dicas: Doctorem Augustissimum intelligere de peccato veniali. Nam ibidem subdit: *Hominem totum pro iis, nisi pœnitentiam egerit, damnatum iri.*

186. II. Delectatio venerea appetitus sensitivi est ex objecto, & intrinsecè mala. Atquì voluntas non reprimendo, nec acceptando, sed solùm permittendo, appetitum sensitivum in eâ delectatione persistere, in ipsam consentit interpretativè. Ergò peccat mortalitèr. Major est certa. Min. probatur. Voluntas, in casu, potest reprimere, aut saltèm conari ad reprimendam hujusmodi delectationem; supponitur enim plena advertentia rationis: ad id quoque tenetur. Hoc ostendo: Voluntas obligatione naturali tenetur regere potentias, quæ suo imperio subduntur: inter quas continetur appetitus sensitivus (sicuti quicumquè tenetur gubernare, & regere eos, quibus est superior): In casu nihil facit, sed merè negativè se habet. Ergò interpretativè consentit. Siquidèm ad consensum interpretativum, seù ad Voluntarium indirectè, sufficit, posse, & teneri facere aliquid, & non facere; ut omnes sensiunt Doctores; juxtà illud Jacobi [cap. 4. v. 17.] *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.*

Confirmatur 1. Si manus v. g. sine imperio rationis posset inchoare, aut continuare motum habentem malitiam objectivam mortalem, nempè, pollutionem: & Voluntas non reprimeret talem motum, proculdubiò gravitèr peccaret. Ergò & peccat non reprimendo motum ex se malum appetitus sensitivi. Ant. est inconcussum; quià Voluntas est potentiarum Regina.

Con-

Digitized by Google

Conſequentia patet; quià utrobique par eſt ratio, tùm ex parte objecti malitiæ gravis: tùm ex parte voluntatis, quæ poteſt, & debet reprimere.

Aſſignas diſparitatem. Motus externi plenè ſubduntur rationis, & voluntatis imperio; non ſic autèm motus interni, qui poſſunt & prævenire hujuſmodi imperium, ac etiàm ei non obedire, & reniti. Undè ad reprimendum illos, tenemur quidèm ſub mortali; iſtos verò ſub veniali. Ratio eſt, quià facilè eſt reprimere motus externos potentiarum externarum; ſed valdè difficilè reprimere motus appetitus ſenſitivi, & rebellis rationi.

187. Verùm, diſcrimen allatum eſt nullum. Porrò, aliud eſt reipſa comprimere motus appetitus ſenſitivi; & aliud conari ad ipſos comprimendos: ſatis erit adhibere diligentiam, quam poteſt, ut voluntas excuſetur à peccato. Hinc D. Auguſt. [lib. 10. Confeſs.] fatetur. *Tentationibus quotidiè conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam, & ad te refero æſtus meos.* Et infrà. *Conforta me, ut omnia poſſim. Ego in tentationibus poſitus, certo quotidiè adversùs concupiſcentiam. Sed & ego, Pater cœleſtis, magnifico nomen tuum, & interpellat te pro peccatis meis Unigenitus tuus, qui vincit ſæculum, numerans me inter infirma membra corporis ſui, de quibus ait: Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: omnes, videlicèt,* (N.B.) *qui in deſiderio, & conatu proficiendi inveniuntur.* Ad adhibendum autèm conatum, ſeù diligentiam, ut reprimantur motus, tùm externi, tùm interni, Voluntas eſt æquè expedita; nàm præſupponitur plena advertentia rationis, & conſequentèr plenum dominium voluntatis. Quarè diſcrimen intèr illos motus, eſt dumtaxàt conſtituendum quantùm ad realem ceſſationem; & conſiſtit in hoc: quòd manus v. g. ità plenè ſubjicitur voluntati, ut non poſſit ei reſiſtere; ideò perſeverantia ſui motus ſatis convincit conſenſum Advertentis. Appetitus verò ſenſitivus reſiſtere poteſt Voluntati; ideò ex perſeverantiâ ſui motus argui nequit conſenſus voluntatis, etiàm in plenè advertente. Reſiſtentia autèm, ſeù conatus ad reprimendum motus, tùm internos, tùm externos, eſt in plenâ poteſtate voluntatis; ideò hujus omiſſio imputatur in culpam.

188. Ad illud, quòd non tenemur ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, reprimere poſitivè motus venereos appetitus ſenſitivi: dicimus cum communi Theologorum, quòd præceptum non concupiſcendi, quo prohibentur non ſolùm deſideria, ſed & delectationes venereæ, & motus ipſi excitantes ad Venerem; obligat, quantùm eſt de ſe, & ex parte objecti, ſub mortali. Ergò voluntas excuſari nequit ab iſtâ obligatione gravi. Non enim excuſat parvitas materiæ; quià non datur in venereis: non defectus libertatis; quià ſupponitur advertentia perfecta rationis, cum quâ ſemper eſt conjuncta plena libertas voluntatis. Ergò nullo pacto voluntas excuſatur ab obligatione ſub mortali.

189. Quoàd difficultatem reprimendi motus appetitus ſenſitivi, illam experitur, qui non reſiſtit poſitivè; & eò magis qui principiis non obſtat. Profectò concupiſcentia non

Digitized by Google

non excussa statimàc oritur, sed permissa, plùs, & plùs evadit semper efferata; nam *Concupiscentia, quasi ignis, exardescit.* [Ecclesiastes 9. v. 9.] Cæterùm, *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram.* [Psalm. 136. v. 9.] idèst (exponunt SS. PP.) qui pravas, etsi parvulas, & vix ortas concupiscentias suas, *allidat ad patram*; nempè ad Christum: *Petra autem erat Christus* [1. Corinth. 10. v. 4.] Quænam, dic mihi, difficultas, si dùm urget voluptas carnis, mentem applices ad meditanda novissima? Id enim sufficit ad resistendum positivè, & consequentèr ad non peccandum: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* (Ecclesiastes 7. v. 40.) Quinam labor durus, si aggressus à cogitatione turpi, animum avertas ab eâ, & convertas ad grata, sed honesta?

Sed ad hùc datâ tali difficultate reprimendi motus sensuales; quid indè? *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* (Matth. 11. v. 12.) Tùm quiâ ex Divo Anselmo (cap. 6. Dialog. de Liber. arbitr.) *Hæc autèm difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci; impugnare namque potest voluntatem invitam, expugnare nequit invitam.*

Confirmatur 2. argumentum principale. Si quis dormiens, & sic involuntariè, applicaret manum ad actum ex se turpem: jam expergefactus à somno, & non cohibens manum ab eo opere inchoato, peccaret mortalitèr; in omnium sententiâ. Cur igitùr non peccabit etiàm mortalitèr, qui inadvertêtèr, ut supponimus, & præoccupatus ab æstu libidinoso, sentit delectationem veneream; hanc tamèn, postquàm advertit, non reprimit, non coercet, sed continuare sinit, & permittit?

190. Ratio à priori. Homo in his omnibus peccat, ad quæ suum imperium extendi potest, & debet: atquì ad cogitationes pravas, & ad concupiscentiæ motus extendi potest, & debet imperium rationis, & voluntatis. Ergò potest, & debet eas reprimere. Hinc D. Thom. (1. 2. q. 74. in corpore) docet: *Deficit autem ratio in directione passionum interiorum dupliciter: uno modo, quandò imperat illicitas passiones: alio modo, quandò non reprimit illicitum passionis motum.* Ità etiam decernit lex (cap. Si Rector, dist. 43.) *Error, cui non resistitur, approbatur.*

191. III. Achilles adversariorum est: Quia præceptum *Non concupisces*, est negativum; ideò non tenemur positivè resistere &c. Sed contrà: Omissio pura perfectè voluntaria dari nequit sinè actu positivo: idèst, sinè voluntate omittendi, vel alio actu, qui causa omissionis fore prævideatur (saltèm moraliter loquendo). Ità omnes Theologi, tùm Thomistæ, tùm Scotistæ (quidquid sit physicè, vel, ut mavis, logicè; utpotè quæstio in praxi jejuna). Ergò tempore gravis tentationis carnis, etsi contrà præceptum sit negativum; si voluntas non vult superari, non sufficit non agere, seù omnem actum suum suspendere, & negativè se habere; sed necesse est, ut aliquid agat: vel directè se opponendo tentationi per affectum contrarium: vel recurrendo toto corde ad Deum: vel divertendo mentem ad alia objecta &c.

Digitized by Google

192. Confirmatur. Præceptum negativum, quòd prohibet actum malum, non ſolùm vetat conſenſum in illum actum, ſed & voluntariam ejus permiſſionem. Porrò eodem præcepto, quo teneor non occidere proximum, teneor quoque ipſius mortem non permittere, ſi poſſim impedire. Sic mulier, cui vis infertur ad impudica, ſi non reſiſtit poſitivè, ſed tantùm permittit opprimi ab Aggreſſore, cenſetur conſentire; ut mòx dicemus. Ergò eodem modo, qui vim patitur à concupiſcentiâ, tenetur ei reſiſtere poſitivè.

193. Ratio à priori. Præceptum *Non concupiſces*, quamvis formaliter ſit negativum, quatenùs prohibet, nè conſentiamus concupiſcentiis; virtualitèr tamen eſt affirmativum, quatenùs præcipit, ut iis reſiſtamus. Tenemur itaque ad utrumque, ſed non eodem modo: nam, ad non conſentiendum, tenemur ex naturali præcepto negativo, quod obligat pro ſemper; quià nunquam conſentire licet in rem turpem, aut ſe exponere periculo probabili conſentiendi. Ad reſiſtendum verò tenemur ex præcepto affirmativo, quod non obligat pro ſemper, ſed ſolùm pro eo tempore, quo adeſt delectatio, ejuſque turpitudo cognoſcitur.

Dices: Sufficiet, ut Voluntas eliciat actum formalem diſplicentiæ, & odio habeat cogitationes, & motus turpes.

194. Fateor & ego, ſatis eſſe diſplicentiam. Sed non qualis qualis diſplicentia ſufficiet, niſi ſit efficax: nec erit efficax, ſi non erit effectrix. Profectò diſplicentia, quæ eſt diſſenſus inefficax voluntatis, non excludit conſenſum abſolutum interpretativum ipſius voluntatis: qui conſenſus interpretativus conſiſtit in hoc, quòd voluntas poſſit, & teneatur reprimere, ſeù teneatur conari ad reprimendam delectationem, & id non facit. Conſtat autèm, quòd hæc tria poſſunt eſſe ſimùl cum diſplicentiâ, ſeù diſſenſu inefficaci voluntatis: quod patet in puellâ vi oppreſſa, quæ, ut non conſentiat interpretativè ad ſtuprum, non ſat eſt, quòd retineat in voluntate diſplicentiam tanti mali, ſeù diſſenſum inefficacem; ſed ulteriùs requiritur, ut etiàm exteriùs reſiſtat quantùm poteſt, & debet.

195. Et nè dicatur, quòd principium peto, dùm do exemplum de puellâ violentèr oppreſſâ, ſit exemplum de projiciente merces in mare, dùm naufragium imminet. Sanè diſplicet, & quidèm permaximè, Mercatori projectio illa; ad hùc tamen voluntariè projicit, quia poſſet non projicere. Ratio à priori. Quæ ſunt ex metu gravi, ſunt mixta ex voluntario, itaùt ſimpliciter ſint voluntaria, & ſolùm ſecundùm quid involuntaria. Simplex ergò diſplicentia de cogitationibus, & motibus turpibus, non tollit voluntarium abſolutum; ideòque ipſa ſola non ſufficiet ad excuſandum à peccato. Hic optimè quadrat illa D. Auguſtini autèa ſententiâ (lib. 2. de ſerm. Domini cap. 14.) *Patietur enim durum, & peruitioſum Dominum, quiſquis ſeruit Mammonæ; ſuâ enim cupiditate implicatus, ſubditur Diabolo, & non eum diligit. Quis enim eſt, qui diligit Diabolum? ſed tamen patitur*:

196. Ratio à priori. Videtur omninò impoſſibile, quòd quis habeat diſplicentiam de cogitationibus, motibus pravis &c. & nullo

mod-

modo exerceat suam displicentiam, cohibendo, coercendo, reprimendo, quod sibi non placet, imò odio habet, & displicet; sed permittendo illud &c. quùm in suâ positum sit potestate, illud repellere. Adhùc Quietistæ dicunt, quòd sibi displicent graves carnis tentationes; docent tamèn cum eorum Magistro Molinos: *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum.* Estque propositio 37. inter proscriptas ab Innoc. XI. Audiamus D. Aug. (cap. 3. serm. 30. de Script. aliàs de verb. Apost. 12.) *Si Spiritus tuus à carne contrà concupiscente non dissentit, vide, nè fortè carni mens tota consentiat: vide, nè fortè ideò non sit bellum, quia pax perversa est. Fortè in totum carni consentis, & nulla rixa est.*

Instabis. Sat erit contemnere cogitationes inhonestas, & motus inordinatos, absquè eo quòd positivè resistamus eis. Quinimò id consulunt omnes Ascetæ; nam, qui hujusmodi tentationes superare nititur per actus contrarios, potiùs, & plùs fovet incentiva libidinis, quàm extinguit. Ratio est; quia magìs appetitum movet, excitat, & irritat. Undè D. Thom. (2. 2. q. 35. arr. 1. ad 4.) ait: *Impugnatio peccati, quandòque est vincenda fugiendo, quandòque resistendo: fugiendo quidèm, quandò continua cogitatio urget peccati incentivum; sicut est luxuria.* Patet exemplo illius, qui colluctatur cum sævissimâ belluâ; etenim, si eam per vim, aùt violentiam subjugare conaretur; quantumcunque illam humi jacentem teneret, magìs ferveſcentem redderet, & furiosam. Ità evenit in casu nostro, in quo, si per obsistentiam positivam compescere conamur appetitum sensitivum rebellem, & ferocem, potiùs inardescit, & dentes acuit.

197. Hoc argumentum, etsi specie tenùs egregium appareat, & excellens; reipsà tamèn est *veluti sepulchrum dealbatum, intùs plenum ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ* [Matth. 23. v. 27.] Scitissimè, ac sanctissimè docent Mystici cum Angelico Doctore, quòd meliori modo vincitur libido fugiendo, quàm resistendo. At in hac fugâ, non tàm indicatur fuga corporalis, quàm spiritualis per Intellectum, & Voluntatem; ut ritè advertit Joseph Lopez Ezquerra, [Lucerna Mystica tract. 2. cap. 4. n. 39.]: eò vel maximè, quia hæ potentiæ absque corporali assistentiâ, & cum fugâ materiali possint integrè peccatum consummare. Ex quo infertur, quòd melior modus resistendi tentationi, est, fugere, idèst, subtrahere intellectum, & voluntatem ab appetitu, & objecto peccaminoso: & mentem collocare in Deum, vel in aliud bonum, aut indifferens &c. Hæc autem resistentia est in toto rigore positiva; ut totiès replicavimus.

Exemplum verò allatum solùm probat, quòd sicuti bellua non vi, aut violentiâ vincitur, sed industriâ, & arte: hoc itidèm modo subjugatur appetitus sensitivus, nempè, debilitando, & extinguendo ejus flammas: quod fiet, removendo pabulum ignis, cogitationes turpes &c. & hic modus resistendi non est negativus, sed positivus. Nàm, qui convenientiora adhibet media ad superandam tentationem, proculdubiò resistit positivè: & quamvis in hac positivâ resistentiâ

Digitized by Google

videatur appetitum ſenſualem demorari; attamèn ſi voluntas perſeveret, ut debet, prædicto modo reſiſtendo, nullam permittit appetitus moram; dum ſtatim recurrit ad media, quæ putat ſibi convenientiora, & in eis perſeverat. Hoc pacto imaginatio prava brevitèr ſedabitur, & voluntas plenum acquiret appetitus dominium. Id docent Aſceta: quòd ſi Adverſarii ſecùs loquuntur: *Non eſt in ore eorum veritas: cor eorum vanum eſt. Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis dolosè agebant.* [Pſalm. 5. v. 11.]

198. IV. Tentatio Carnis gravis, & interna, eſt cogitatio practica de objecto venereo. Atqui tenemur reſiſtere, & quidèm poſitivè hujuſmodi tentationi. Ergò. Majorem ſupponimus tanquàm certam; loquimur enim de Tentatione, quæ gravitèr, & per ſe provocat ad nefanda: cujuſmodi non eſt cogitatio ſpeculativa objecti venerei. Min. oſtenditur. Cogitatio illa practica eſt cauſa per ſe commotionis ſpirituum carnalium, & delectationis externæ: idque ipsâ patet experientiâ, quâ videmus, ſtatimac cogitamus objectum venereum provocativum, ſubſilire ſpiritus carnales, & ſentiri delectationem externam.

199. Imò, cogitatio iſta non uteumque eſt cauſa per ſe determinans ad commotionem ſpirituum; ſed eſt cauſa per ſe deſtinata ab ipsâ naturâ ad promovendam generationem: & ſine quâ ipſa generatio non poſſet inchoari, & promoveri; ut benè advertit ſubtiliſſimus Cardenas (Criſ. Theolog. tract. 5. de Caſtit. diſp. 42. art. 3. n. 92. & ſeqq.) Siquidèm inſtrumenta generationis, quæ ſunt hi ſpiritus commoti, ceſſante cognitione, & appetitione objecti venerei, non haberent intra corpus humanum cauſam, quæ eos excitaret ad inchoandam, & promovendam generationem; niſi quando ſervet nimia abundantia ſpirituum genitalium: quod in multis rarum eſt. Sed tenemur reſiſtere poſitivè cauſis per ſe influentibus, & provocantibus ad Venerem, eaſque tollere debemus, niſi aliqua excuſet cauſa legitima. Ergò.

Major hujus argumenti à nemine negatur. Minor debet eſſe certa apud omnes. Nàm cauſæ per ſe influentes, & provocantes ad Venerem, inducunt periculum proximum labendi: Atqui vitare tenemur, removere, & expellere tale periculum; etiamſi credamus, nos non conſenſuros in delectationem illicitam, aut pollutionem. Ergò.

200. Confirmatur. 1. Certum eſt apud Doctores, etiam nobis contrarios, eum peccare mortalitèr, qui plenè advertit, aut advertere deberet, adeſſe periculum probabile conſenſus, aut pollutionis: & non vitat, cum poſſit, tale periculum: idque, etſi credat, ſe non conſenturum in delectationem, & pollutionem. Rationem aſſignat Vercellii [tract. 4. q. 17.] Quià eodem præcepto, quo quis tenetur pollutionem vitare, tenetur etiam auferre cauſas per ſe influentes ad illam. Atqui voluntas, ſi negativè ſe habet circà objectum turpe ei repræſentatum, exponit ſe periculo probabili conſenſus. Hoc probo. Objectum propoſitum eſt valdè afficiens, atque inclinans voluntatem ad conſenſum. Undè notant Sacri Expoſitores in verba illa Apoſtoli [ad Epheſ. 2. v. 3.] *Et nos aliquando*

dò

Digitized by Google

dò conversati sumus in desideriis carnis nostræ, faciantes voluntatem carnis, quòd concupiscentia voluptatis suis prestigiis sic mentem alicit, sic voluntatem flectit, & trahit, ut quod concupiscentia cupit, voluntas amare dicatur: & quasi ipsissima sit potentia, nomen, & officium. Ergò nisi voluntas positivè respuat &c. exponit se probabili periculo consensus.

201. Confirmatur. 2. Quamvis circà furtum, & similia, possit forsitan quis se habere negativè; id tamèn locum non habet in hac materiâ lubrica. Ratio est, quià voluntas jàm à peccato vulnerata fuit, debilis est, atque infirma, ac vehementissimè propendet in delectationem veneream. Ergò circà illecebras carnis sibi propositas non potest diù manere suspensa: & ità, si non statim eliciat actus contrarios, & positivè resistat, recurrendo ad Deum, mentem avertendo &c. est in periculo probabili consentiendi. Hinc de cogitationibus, ac motibus pravis permissis profertur adagium [cap. Etsi de Indiciis] *Illam retributionem impendunt, quam nus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu consuxerunt hospitibus exhibere.*

202. Si quis autèm audebit negare obligationem vitandi periculum probabile, satis egregiè, & evidentissimè impugnatur à Cardenas [Cris. Theol. part. 3. dissert. 40. art. 3. n. 39. & seqq.] Nam homo, non solùm tenetur gravitèr præcepto non peccandi, sivè non amittendi gratiam Dei; sed etiam securum se reddendi, quantùm moralitèr possit, à peccato lethali, & ab amissione gratiæ Dei. Sed reddere se securum consistit in eo, quòd vitet periculum, etiam probabile; non enim potest intelligi, quomodò habeat homo vitam securam, dum est in periculo probabili mortis. Ergò quilibet tenetur præcepto vitandi periculum, etiam probabile. Major hujus argumenti constat: Charitas enim erga seipsum obligat, ut quis reddat se securum, quantum possit, à summo malo, & ab amissione summi boni. Tùm quià, tenetur quilibet reddere se securum ab incursione gehennæ; sed peccatum lethale est majus malum, quàm incursio gehennæ. Ergò tenetur securum se reddere à peccato lethali. Idque eò magis in materiâ luxuriæ, quæ inter omnes passiones est vehementior; juxtà effatum D. Isid. [l. de Sum. Bono] *Magis per carnis luxuriam humanum genus subditur Diabolo, quàm per aliquod aliud quid, scilicèt, difficiliùs est vincere vehementiam hujusmodi passionis.* Permaximè autèm ubi interna suggestio, sivè tentatio est fortis. Videatur laudatus Cardenas.

Dices: Ad vitandum hujusmodi periculum, sufficiet fortitèr tenere voluntatem ad non consentiendum, & consequentèr ad non peccandum; docente D. August. (in exposit. Epist. ad Rom. cap. 6.) *In nostrâ consensione peccamus.* Indè inferunt Theologi, quòd peccatum non consistit in sensu, sed in consensu. Hoc pacto periculum illud evadit remotum: idèst, periculum consentiendi non erit proximum, dùm fortitèr teneo voluntatem, nè consentiat.

Verùm enimverò, quomodò fortitèr tenes voluntatem, si permittis eam inclinari, & trahi à voluptate? Audi D. August. (serm. 151. de verb. Apost. aliàs 45. de tem-

tempore: & ibi cap. 17.) *Quid dicam de immundis, qui nec pugnant? ſubjugati pertrahuntur*: Quomodò fortitèr tenes voluntatem ad non consentiendum, ſi delectationem ſentire ſinis, dùm potes, & debes non ſentire? *Delectat adulterium? contradicatur, reſiſtatur, repugnetur*. Iterùm te increpat S. Doctor (ſerm. 128. aliàs 43. de verbis Domini) Quomodò fortitèr tenes voluntatem, nè conſentiat, nè labatur, nè conſummetur ab igne concupiſcentiæ, dùm permittis ſuccendi à carne, & inſufflari à Diabolo? Dùm ſinis hoſtes tuos inſenſiſſimos intra domum animæ tuæ manere? Dùm non coërces, non expellis, non detrudis? *Quomodò vincis*, proſequitur Magnus Antiſtes (tract. 41. in Joann. num. 14.) *Quando contrà te inimicos nutris viribus tuis?* Et (lib. 2. contrà Manich. cap. 14.) *Quandò ratio refrænat, & compeſcit cupiditatem, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantâ luctatione coronamur*. Et (lib. de Perfect. Juſtitiæ, propè finem) *Propter eos motus, quibus ratio non conſentit* (N.B.) *ſed obſiſtit, nemo dicere debet: Dimitte nobis debita noſtra*.

Quomodò, quæsò, fortitèr tenes voluntatem? nonnè viribus proprijs? aut confiſus in animi tui conſtantiâ? Si ità ſentis, deliras. *Non in fortitudine ſuâ roborabitur vir* (1. Reg. 2. v. 9.): *Qui confidit in corde ſuo ſtultus eſt*. (Prov. 28. v. 26.) Nonnè ſanctior es Davide, de quo Deus ait: (Act. 13. v. 22.) *Inveni David filium Jeſſe virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas?* Verumtamèn tantus Heros, quià confiſus in virtute ſuâ gloriabatur: *Ego autèm dixi in abundantiâ meâ: Non movebor in æternum*. (Pſalm. 29. v. 7.) Statim fuit confuſus, & confeſſus eſt: [ibid. v. 8.] *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus*. Indè Apoſtolus [2. Corinth. 1. v. 9. & 10.] monet: *Non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem ſperamus, quoniam & adhùc eripiet*. Et Eccli. [cap. 32. v. 28.] *Qui confidit in illo non minorabitur*. [ibid. 33. v. 1.] *Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis*.

203. Ad illud, quod ſubdis, nempè, quòd tenendo fortitèr voluntatem nè conſentiat, periculum illud non erit proximum, ſed remotum: Verùm dicis, ſi benè dicis; dices autèm benè, ſi fortitèr tenebis voluntatem, exercendo actus virtutis oppoſitæ tentationi: eliciendo propoſitum intenſiſſimum non labendi: recurrendo magnâ cum fiduciâ ad Deum: & ità mentem alienando ab objecto pravo repræſentato &c. Hoc enim modo vitatur periculum proximum, idèſt, per media ipſi homini intrinſeca, nimirum, per actus proprios ipſius hominis; ut omnes docent Theologi. Sed hoc pacto tenendo fortitèr voluntatem, jam poſitivè reſiſtis, & non negativè.

Urgebis. Experientiâ didici, me nunquàm conſenſiſſe in delectationem veneream; quamvis eam permiſiſſem, & merè negativè me habuiſſem. At, ſecundùm vulgatum Philoſophorum axioma: *Relinquere ſenſum, & quærere rationem, eſt infirmitas intellectus*. Quidquid ergò alii alitèr ſentiant, ipſi videant; ſat erit mihi propria experientia.

204.

Digitized by Google

204. Hæc instantia est nimis præsumptuosa; ac proindè, qui sic loquitur, certus sit de lapsu, quem permittet Deus in pœnam superbiæ; ut ritè advertit Sporer [Theol. Moral. tom. 1. cap. 4. sect. 2. n. 14.] Nam ex D. Jacobo [cap. 4. v. 6.] *Deus superbis resistit, humilibus autèm dat gratiam. Subditi ergò estote Deo: resistite autem Diabolo, & fugiet à vobis.* Undè Caramuel, qui ità loquutus fuit [in Theol. fundam. editionis Francofurt. n. 301.] hoc assertum posteà modificavit [num. 538.] & docuit, eum, qui caret propriâ experientiâ, alienâ duci debere: & dat exemplum [„ Retineo in portu navim meam, non „ quod sim naufragium expertus, „ sed quod alienis fio jacturis cautus, & vidi submergi cæteras, quæ „ præcesserunt. Ergò eodem modo, qui caret experientiâ propriâ, debet alienâ duci, & regi; „ nam si cæteri fugiunt talem occasionem, & se impares resistentiæ fatentur, tu homo similis illis, temerè victoriam tibi pollicereris, ubi ferè omnes victi „ sunt.]

205. Periculum igitùr proximum non debet metiri à propriâ experientiâ, quæ inducere nequit securitatem; quùm sit fallax, & maximè in materiâ luxuriæ. Quot enim legimus fortissimos Christi Athletas, qui per annos plurimos nunquam lapsi fuere in carnis illecebras, indè tamèn in momento temporis turpitèr ceciderunt? *Voluntas enim hominis est ambulatoria, & de ambulatoria usque ad mortem.* [L. Cum hic status, ff. de Donat. intèr Virũ, & Uxorem l. 4. ff. de adim. legat.] Itaque periculum proximum non oritur ex propriâ experientiâ, sed ex objecto ex se provocativo, & determinante ad venerea. Hinc Suarez [tom. 4. in 3. part. disput. 32. sect. 2. n. 4.] congruentèr docet: „ (Solum est attendendum, ad judicandum, quòd aliqua sit moralis occasio proxima, necessarium esse, ut ex suo genere talis „ sit: quæ frequentèr inducat homines similis conditionis ad tale „ peccatum. Vel certè ut experimento constet, in homine habere talem effectum.) Ubi vides disjunctivum argumentum ad colligendum proximum periculum. Ubi enim deficit experientia propria, recurrendum erit ad argumentum desumptum ex eo, quod frequentèr inducat homines similis conditionis. Moralia namque moraliter discurrenda erunt, nempè juxtà æstimationem Prudentum, non autèm secundùm præsumptionem Temerariorum.

206. Exindè omnes Theologi asserunt cum D. Thom. [1. 2. q. 74. art. 8.] omnem delectationem veneream esse moraliter malam, non tantùm eam, quæ fit in corpore cum commotione spirituum genitalium, & vocatur *Carnalis*, sed etiam, quæ est in solâ voluntate circa objectum turpe, absque motu in corpore, & dicitur *Spiritualis*. Rationem assignant: Quia in delectatione turpi merè spirituali, etsi non oriatur commotio spirituum inservientium generationi, id per accidens se habet; ponitur autèm id, quod est causativum talis motus. Quod sufficit ad mortale. Audiamus D. Cyrill. Hierosolym. (Catechism. 2.) *Si negligèr susceperis concupiscentiæ incitationem, radicem in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foveam malorum.*

Sed

Sed fortè dices (N. B.) *fortis ſum; non me apprehendet concupiſcentia, etiamſi aliquid concupiero obſcurius. An ignoras, quod etiam in petra radix agitur, & ſæpè manet?* & Apoſtol. loquens juſtis ait: [1. Corinth. 10. v. 12.] *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat.*

207. V. Unuſquiſque tenetur orare, & recurrere ad Deum, vel ad puriſſimam ejus Genitricem, aut ad Sanctos alios, dùm urget tentatio gravis; magis autèm in tentatione graviori; & maximè in vehementi, ac præſertim in gravi tentatione Carnis; utpotè periculoſior cæteris tentationibus. Ergò in his tentationibus Carnis, de quibus fit quæſtio, unuſquiſque tenetur reſiſtere poſitivè, nec ſufficiet merè negativè ſe habere. Antecedens à nemine negatur (exceptis Moliniſtis) Quamvis enim præceptum orandi ſit affirmativum, & ſic obligans pro quibuſdam determinatis temporibus, ſed non ad ſemper, ſeù pro quovis temporis momento; veruntamèn tempore gravis neceſſitatis, & præcipuè ſpiritualis (ut eſſet in caſu) ſi non obligat per ſe, ſaltèm obligat per accidens; ut omnes fatentur. Undè D. Auguſt. [de Civit. lib. 10. cap. 22.] ait: *Veræ pietatis homines Dei æream poteſtatem inimicam .... anneſque tentationes adverſitatis ejus vincunt, orando ſuum Deum adversùm ipſum.* Et [lib. de Perfect. Juſtit. cap. 21.] inquit: *Quiſquis negat nos orare debere, nè intremus in tentationem* (*negat autèm hoc, qui contendit ad non petendum gratiæ Dei adjutorium non eſſe neceſſarium, ſed ſolâ lege acceptâ, humanam ſufficere voluntatem*) *ab auribus omnium removendum, & ore omnium anathematizandum eſſe, non dubito.*

208. Conſequentia argumenti principalis oſtenditur. *Oratio eſt mentis alienatio à terrenis, & elevatio in Deum.* Sic eam definiunt SS. Patres; undè non orat, qui mentem non avertit ab illicitis, & convertit ad Deum; ut liquidò patet. Atquì id importat reſiſtere poſitivè; ut ſæpiùs diximus. Qui enim ſincerè, & toto corde recurrit ad Deum, ut extinguatur tentatio, interìm non præbet ei pabulum, non nutrit cogitationibus, non manet otioſus, non ſe gerit veluti truncus; ſed meliori modò poſitivè reſiſtit, idèſt, divertendo mentem ab illecebris, & jactando cogitatum ſuum in Domino, à quo expectat auxilium; ſecundùm promiſſionem Divinam per os David [Pſalm. 90. v. 14. & 15.] *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

Confirmatur. Homo, etiam juſtificatus, non poteſt (moralitèr loquendo) diù, & virilitèr reſiſtere tentationibus gravibus, & præſertìm venereis, communi tantùm auxilio ſuffultus: ſed indiget ſpeciali Dei adjutorio, nè ſuccumbat; ut ſupra oſtendimus, & omnes fatentur Catholici. Ergò quilibet, etiàm juſtificatus, tenetur recurrere ad Deum in gravibus tentationibus Carnis, & ipſum orare, ut preſtò ſit in auxilium, nè ſuccumbat. Quod eſt reſiſtere poſitivè.

209. Hìc autèm advertendum, quòd cum dicimus, orationem cadere ſub præcepto, non intelligi-

mus

Digitized by Google

mus de oratione mentali, scimus enim à Sancta Sede proscriptam fuisse sub anno 1656. eam propositionem : *Oratio mentalis est ità cuilibet homini necessaria ad salutem, ut sine eâ nemo salvari possit.* Loquimur ergò de Oratione vocali, quæ certocertiùs cadit sub præcepto Divino: quod efficacitèr probat Eminentissimus Lauræa [de Orat. Opusc. 1. cap. 2.]. Et quòd fideles teneantur Orationem Dominicam recitare, docuit D. Aug. [lib. 2. de Serm. Domin. in monte cap. 4.] *Per omnes Sanctas Scripturas variè, latèque diffusas poterit quisque considerare, quùm legit; nusquàm tamèn invenitur præceptum populo Israel, ut diceret: Pater noster &c. aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tamquàm servientibus. Ergò Fidelibus præceptum est, quùm Christus dixit: Cùm oratis, dicite: Pater noster &c.*

210. Benè verùm est, quòd Oratio vocalis comitem habere debet mentalem, ut sit fructuosa; nàm si cor non orat, in vanum lingua laborat.

211. Tandèm, ut ritè intelligantur hactenùs dicta, & nè oriantur scrupuli, addo 1. Si quis ad excutiendam delectationem veneream, resistit sanè positivè; sed non tàm intensè, nec cum tantâ diligentiâ, quantâ posset: peccat quidèm, sed venialitèr. Ratio est, quia consensus esset imperfectus, non autèm plenus. Quanta verò, & qualis esse debeat diligentia in resistendo positivè tentationibus Carnis, vix assignari potest; pendet enim à variis circumstantiis, tùm tentationis, tùm ipsius tentati. Hoc certum est, quòd tãto majori studio resistere debemus concupiscentiæ, quò hęc est vehemẽtior, & majus erit periculũ labendi: Et quò quis se agnoscit proniorem ad cadendum, eò fortiùs se tenere debet, nè cadat.

212. Addo 2. Ad resistendum tentationibus Carnis, plerumquè non est obligatio recurrendi ad remedia extraordinaria, putà ad disciplinas, cilicia, jejunia &c. Quià ordinariè vinci possunt per alia media, nempè, ut sæpiùs dicebamus, avertendo animum, recurrendo ad Deum &c. Dixi, *plerumquè*; quia si periculum consensus formalis alitèr tolli non posset, quævis media, etiam durissima, forent adhibenda. Sic docet Apostolus [ad Hebræos 12. v. 1. & seqq.] *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Aspicientes in Auctorem Fidei, & Consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ ..... nè fatigemini, animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.* Ità sentiunt omnes Doctores. Hisque mediis extraordinariis, ac rigidis Sancti Hieronymus, Franciscus, Benedictus, (ut alios reticeam) vicerunt Carnis tentationes: primus quidèm saxo indesinentèr tundendo pectus: & relati Patriarchæ nudos se volutando inter vepres & spinas.

213. Addo 3. Quod multotiès replicavimus: Si adest justa, & rationabilis causa non amovendi causam, ex quâ oritur delectatio venerea, nullum erit peccatum, si ea non tollatur. Ratio est, quià præceptum affirmativum non obligat cum magno discrimine, sed modo morali,

& humano; undè non tenemur omittere aliquam actionem honeſtam: ut ſtudium, confeſſionem &c. ex quâ inſurgit concupiſcentia carnis; niſi adſit periculum conſenſus formalis; nàm, ſtante iſto periculo, nè pereat anima, pereant omnia. Quanta verò, & qualis eſſe debeat utilitas actionis, quæ excuſet, non poteſt certa regula præſcribi. Solummodò erit conſiderandum: an actio, ſeù opus ſit ex naturâ ſuâ aptè natum ad excitandam delectationem veneream? Tùnc enim ſemper vitandum eſt; niſi neceſſitas urgeat, aut ingens utilitas; prout ſupra exemplum dedimus de Chirurgo. Si verò opus id non habet ex naturâ ſuâ, ſed tantùm per accidens; rarò tenemur illud relinquere ob concupiſcentiam ſuboriturani; etenim, *quæ ſunt per accidens, propriè non cadunt ſub legē*.

214. Addo 4. Non rectè judicant ii, qui putant, geſtu, & exteriori corporis motu reſiſti debere Carnis tentationi internæ; ſatis enim erit tentationi internæ obſiſtere internè, mentem aliò divertendo, &c. Reſiſtentia namque violenta, & externa potiùs auget, quàm minuit tentationem internam; ſicuti diſcebamus de eo, qui certat cum bellua. Quinimò, nec diſputare debemus cum concupiſcentiâ efferâni; ſed arte, & induſtriâ vincenda erit; modo ſupra explicato. Multotiès enim ex tali, aut ſimili conatu imprudenti, tentatio exardeſcit, & fit vehementior; ut advertunt Theologi, & ipſâ docet experientia.

215. Addo 5. Si cogitatio practica eſt levitèr provocatoria ad Venerem, utpotè tepidâ, & parùm advertente, non eſt culpa lethalis ei non reſiſtere poſitivè; etenim hucuſque dicta, intelligenda ſunt de cogitatione venereâ, quæ ex modo cogitandi eſt gravitèr provocatoria. Ratio eſt; quià ſicùt non omnis aſpectus objecti venerei damnatur de culpâ gravi, ſed ſolùm ille, qui eſt gravitèr provocatorius: ità paritèr diſcurrendum de cogitatione practicâ objecti venerei. Nec indè ſequitur, quòd in re venereâ detur parvitas materiæ; nam eſſe delectationem, & eſſe cauſam delectationis multùm diſtant: item, aliud eſt, quòd detur parvitas in delectatione quæſitâ, vel acceptatâ: & aliud eſt, quòd detur parvitas in causâ delectationis non quæſitæ, neque acceptatæ. Dicimus itaque, quòd datur parvitas in causâ levitèr influente in delectationem veneream; ſed non indè infertur, quòd detur parvitas in delectatione quæſitâ, vel acceptatâ. Ità, ſi quis aſpiceret coitus brutorum, quin velit delectationem veneream, venialitèr peccaret; non quià interveniat delectatio parva deliberatè quæſita; hæc enim eſſet culpa lethalis; ſed quià veniale eſt ſine causâ ponere cauſam levitèr influentem in delectationem veneream. Non ſic de aſpiciente concubitum licitum, aut illicitum hominum; quià in iſto caſu poneret cauſam gravitèr provocatoriam ad luxuriam.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

216. IN gravi tentatione Carnis extrinsecâ, sivè ab homine, tenemur sub mortali resistere positivè: nedùm corde, sed ore quoque, & opere, ac omni conatu; etiamsì firmitèr credamus Voluntate non consensuros, & immineat vel mortis periculum.

Assertio sequitur ex antecedente Sectione. Limitatur ad tentationem causatam ab homine, quià de tentatione Diabolicâ peculiarem instituemus Sectionem. Plures habet partes, & quoàd primam, nempè, de resistentiâ ex corde, usqueadeò disputavimus: quoàd alias partes, opere prætium erit aliqua præcognoscere, ut assertio rectè intelligatur: & signantèr ea, quæ attinent ad coactionem, à quâ dependet veritas nostræ positionis. Hinc

217. Statuo duplex *Coactionis* genus: Alia namque est *Coactio absoluta*, seù, ut ajunt, *Simplicitèr*, vel, ut mavis, *Præcisa*. Alia est *Conditionalis*, seù, *secundùm quid*. Coactio *absoluta* est *ab extrinseco majoris rei impetu, qui repelli non potest*: & fit manuum attractione, ligaturâ, detentione &c. Coactio verò *Conditionalis* est, *instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio*: fitque metum incutiendo, mortis supplicio, bonorum jacturâ &c.

Do exempla *Coactionis absolutæ*: Joannes contradicens, & repugnans, ac prorsùs invitus, & ligatus trahitur ad audiendam Missam Excommunicati, nec exire permittitur. Gentiles cogunt Catholicum thurificare Idolo, aperiendo illi manum, thus imponendo, & demùm ipsius manum resolvendo super ignem ante Idolum præparatum.

Exemplum *Coactionis secundùm quid*. Petrus timens mortem, aut membrorum abscissionem, vel bonorum jacturam, adorat imaginem Lutheri, Idolo sacrificat &c.

218. Ut quis dicatur coactus absolutè, & simplicitèr involuntarius aliquid agere, necesse est, ut positivè resistat, nedum interiùs, sed etiam exteriùs, quantùm potest, & debet. Indè, si quis nolens v. g. recipere baptismum; sed suppliciis, aut minis inducitur ad eum recipiendum, & de facto recipit: jam dicitur baptismum recipere voluntariè simplicitèr; ideòque cogendus ad fidem servandam [cap. de judiciis dist. 45.]. Ratio est, quià voluntas istius, quamvis ab initio reniteretur, terroribus tamèn est inducta ad consensiendum. Si verò quis coactus ad baptismum suscipiendum, animo virilitèr repugnet: talis susceptio erit prorsùs violenta, & involuntaria simplicitèr: nec tenebitur fidem servare. Ratio est, quià passus est contrà suam voluntatem.

219. Requiritur utique resistentia externa ad Violentiam absolutam, seù, præcisè talem. Undè, qui vi compellitur thurificare Idolo, si tantùm interiùs, & solâ mente repugnet, nec renitatur exteriùs, quantùm potest, non dicitur pati Violentiam simplicitèr, nec simplicitèr Involuntarius. Quâvis enim principium thurificationis sit extrinsecum, repelli tamèn debuit, non solùm corde, sed & opere: ideòque thurificatio diceretur voluntaria, & imputaretur ad cul-

Digitized by Google

pam lethalem.

Hac præmiſsâ doctrinâ, communitèr recepta, & applicata ad carnis tentationem extrinſecam ab homine; quærimus: An Fœmina (idem rimamur de Viro) vi oppreſſa ab homine, corde, & animo repugnat facinori; viribus tamèn corporalibus non reſiſtit quantùm poſſet, neque clamat: firmitèr credens ſe voluntate non conſenſuram ſceleri, cenſeatur conſenſiſſe, & gravitèr peccare?

220. Caſus eſt rariſſimus; non quià rariſſima ſint ſtupra; ſed quià difficillimè credendum erit evenire abſque aliquo patientis conſenſu. Undè de Lugo [diſp. 10. ſect. 10. n. 199.] ait: *In praxi difficultèr credendum eſſe violentam oppreſſionem eſſe abſque omni culpâ ex parte fœminæ. Rariſsimum enim eſt, quòd ſi velit, non poſsit aliquo modo reſiſtere, ut violentiam impediat; ſed ob metum, ob animi imbecillitatem, & aliquandò etiam ob latentem laſciviæ affectum, quem manifeſtare erubeſcunt, conſentiunt fœminæ, ſaltèm invitè: qui tamen conſenſus, licèt ex parte involuntarius ſit, ſufficit ad peccatum grave: quem conſenſum, ſicut & congreſſum ipſum debuiſſet virili fortitudine impedire. Et rariſsimè contingit, virum delectationem turpem ab invitâ omninò, & reluctante, capere velle.*

Hoc idem adnotat Ludovicus Siniſtari de Ameno [de delictis, & pœnis tit. 4. §. 5. verb. *Stuprum*, n. 9.] *Profectò vix credi poteſt*, inquit, *quòd adhibitâ vi, & violentiâ præciſâ, puella, maximè pubertatem egreſſa, poſsit à viro cognoſci, ipsâ reluctante pro viribus; niſi aliqualis ipſius conſenſus accedat, ſaltèm extortus blanditiis, mixtis cum aliquali vi.... Et à nonnullis viris, qui viribus pollebant, audivi, ſe fuiſſe ſpe fruſtratos, dum omni violentiâ, niſuque adhibitis tentarunt puellas vitiare auro, & precibus ineſpugnabiles: dicebant proindè impoſsibile eſſe, non tantùm virginem, ſed mulierem etiam verè conſtantem, vi præciſâ, completè cognoſcere. Et hoc verum eſſe, perſuaſum habeo ex hiſtoriâ Ezellini, qui, quùm eſſet philocaptus uxoris cujuſdam medici, quæ honeſtiſsima erat, nec oblatâ pecuniâ, nec precibus, nec cæde viri, per Sicarios Tyranni patrata flecti potuiſſet. Ad ejus cubiculum rapta, per vim nudata, cubans in eodem lecto cum Ezellino, quamvis vi ipſius adhibitâ, vinci non potuit. Undè Tyrannus actus in rabiem, crucem parare fecit ad formam illius, quâ pingitur crucifixus S. Andreas, mulieremque brachiis, cruribuſque deductis, ſuper eam ligare fortitèr fecit. Sicque ferinâ rabie expletâ, ità alligatam ſatellitibus ſuis, illudendam tradidit, & poſtremò jugulare fecit.*

Hæc non abs re præmiſimus, multùm namque præſtant ad co[illegible] probandam noſtram aſſertionem, & ad impugnanda Pſeudo-Myſticorum deliramenta, quoad tentationes, quas vocant Irreſiſtibiles. His itaque prænotatis, poſitio oſtēditur.

EX

Digitized by Google

EX SACRA PAGINA.

DEUTERON. 22. v. 23. & seqq.

SI Virginem puellam desponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum eâ: educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit.... Sin autèm in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum eâ, ipse moriatur solus: puella nihil patiatur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contrà fratrem suum, & occidit animam ejus: ità & puella perpessa est: sola erat in agro, clamavit, & nullus adfuit, qui liberaret eam.

Locus iste, utpotè luce meridianâ clarior, expositione non indiget; lubet tamen subdere rationem hìc allatam à doctissimo Seraphino Capponi à Porrecta [in Deuteron. cap. 22. citat.] „ Mulier „ in Civitate potuit clamare, ita- „ ut audiretur; in agro autem mi- „ nimè. Si igitur in Civitate ita „ ut præfertur, non clamavit; tam- „ quàm non vi absolutâ judicatur „ esse coacta: si autèm in agro cla- „ mavit, tamquàm vi absolutâ san- „ citur esse violata. In agro præ- „ supponitur clamasse, alioquin „ non sic sanciretur in virginis fa- „ vorem: & clamasse, itaut posset „ (quantum ex se fuit) audiri. To- „ tus autèm defectus ex parte alio- „ rum ibi non repertorum, atquè „ ideò eam liberare impotentium, „ collocatur; ut littera docet: qui „ sanè defectus in Civitate non est „ ordinariè dabilis; atquè ideò „ Virgini imputaretur peccatum. „ Hæc sunt illa, secundùm quæ ju- „ dicium tale in textu datur de „ Virgine, ac propterea in Civita- „ te violata moritur cum stupratore, in agro autèm non. Quòd si „ in agro videns se posse audiri, „ non clamasset: aut saltèm (N.B.) „ tamquàm quod in se est faciens, „ non clamasset; jam tunc culpæ „ rea judicanda foret. Si verò è „ contrà in Civitate clamasset, ita- „ ut juxtà clamoris considerationem posset audiri; jam, etiàm „ quòd audita non fuisset, inculpabilis reverà judicaretur. Ut igitur universalitèr loquamur, ideò „ in Civitate culpabilis habetur, „ quià vis absoluta ibi non suppo- „ nitur, sed conditionatâ tantùm; „ in agro autèm idcircò contraria „ de Virgine corruptâ datur sen- „ tentia, quià vim interveniisse „ supponitur absolutam. Item ad- „ verte ex dictis: Quid sit vis absoluta, & quid conditionata. „ Absoluta vis quid? Quando pa- „ tiens facit, quod in se est, ut non „ patiatur; sed tamèn ideò pati- „ tur, quia defectus auxilii est aliundè. Vis conditionata quid? Quando patiens ideò patitur, quia non „ facit, quod in se est ad evaden- „ dum; & consequentèr, quando „ defectus auxilii ex culpâ depen- „ det patientis. Hactenùs, & quidèm egregiè, more suo, nunquam satìs laudatus Porrecta.

Hìnc D. Ambrosiùs ad Virginem conquerentem dé stupro vim ei illato, respondit: *Quis tuas voces audivit?* Supponit ergò S. Doctor illam debuisse clamare.

EC-

Digitized by Google

ECCLESIASTICI 4. v. 33.

PRO *justitiâ agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem certa pro justitiâ, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

Hæc Siracidis verba non percurrenda, sed libranda erunt. Porrò ly *Agonizare* (expendit hìc Cornel. à Lapide) *emphasim habet, quasi dicat: Pro animâ tuâ, ut scilicèt, salves animam tuam, omnes vires excre, totoque conatu certa pro justitiâ, scilicèt eâ contentione, & agone, quâ moribundi in agoniâ cum morte luctantur. In his enim natura, ut se suamque vitam tueatur, omne suum robur expromit, & extremum potentiæ suæ exerit: undè multi è mortis periculo eluctantur, & vitæ restituuntur. Aut* [*Agonizare*] *ideſt, acerrimè certa pro justitiâ, æquè ac olim pugiles, & Olympionicæ in agone pro coronâ certabant usque ad mortem... Fidelis quilibet in tentatione positus, quasi miles Christi, pro Deo, & justitiâ confligat cum Dæmone, Mundo, & concupiscentiâ usque ad mortem; cogitans rem agi de animâ suâ, ejusque salute æternâ.*

Palacius sic explicat: *Quasi dicat: Si silentium tuum in justitiæ periculum, aut damnum cedit, tunc pro eâ in agoniam mortis te conjice.*

Hugo à S. Charo exponit: *Pro animâ tuâ salvandâ pugnabis. Nàm, qui justitiam defendit, salutem animæ suæ acquirit, licèt corporalitèr occidatur. Sed multi sunt, qui benè incipiunt, sed in ipso agone deficiunt; ideò subjungit* [*& usque ad mortem certa*] *sicut servus Dei.*

221. Nè autèm Fœmella se excuset à resistentiâ externâ: eo quia suæ castitatis aggressor prævalidus est, & fortis; ipsa verò imbellis, ac mollis; ac proindè frustranea foret ejusdem resistentia, nec ex istâ remediũ sperat affuturum; subdit Ecclesiasticus: *Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Pergit laudatus Hugo: *Et quiâ posset aliquis dicere: Non possum per me justitiam defendere, subdit:* [*Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos*] *visibiles, & invisibiles; qui non humanâ virtute, sed Divinâ ope superantur. Undè Dominus dixit Discipulis suis, quandò mittebat eos: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. Luc. 21. v. 15.* Profectò puella non sola pugnabit contrà præpotentem viribus, & compellentem ad turpia; sed Deus expugnabit pro eâ. Certum est, quòd fœmella nequit viribus propriis resistere viro robusto irruenti contrà ejus pudicitiam; ideoquè hujusmodi prævalidum non tenetur superare; nemo enim tenetur ad impossibile; potest tamèn, & debet certare, resistendo omni modo, & conatu, quo potest, tùm intrinseco, tùm extrinseco, etiamsi subsit mortis periculum; undè textus ait: *Certa usque ad mortem*; non autèm dixit: *Expugna.* Verùm enimverò, si puella fragilis, & debilis facit, quod in se est, ad evadendum, Dei erit dare ei vires ad virilitèr pugnandum; proùt promisit ipse Deus. [Isaiæ 41. v. 12.] *Peribunt illi, qui contradicunt tibi: quæres eos, & non invenies viros rebelles tuos. Ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Nè timeas, ego adjuvi te.* Cæterum, ipsemet Omnipotens ad nihilum rediget inimicos

ca-

Digitized by Google

Castitatis; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos; prout innumera extant exempla de Sanctis Virginibus. Nec cuiquam dubitare licet, an Deus præstò erit facienti, quod in se est, & ipsum invocanti in ruinâ tam proximâ animæ suæ; nàm promisit Deus, quòd *Expugnabit* hostes tàm infensissimos; ergò infallibiliter expugnabit; juxtà illud [Proverb. 12. v. 19.] *Labium veritatis firmum erit in perpetuum.*

AD HEBRÆOS 12. v. 3. & 4.

REcogitate enim eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem: ut nè fatigemini, animis vestris deficientes. Nondùm enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.

Cornel. à Lapide hìc: *Idest, ne fatigatione victi cedatis, & in medio cursu desistatis, [& fatigatis animis vestris desistentes] idest, dissoluti, uti, scilicèt, solvatur vigor, & fortitudo animorum vestrorum, fiatisque languidi, enervi, pusillanimes, itaùt cedatis Judæis, & ad Judaismum redeatis [nondùm enim usque ad sanguinè restitistis, adversùs peccatum repugnantes] Quasi dicat: Recogitate Christi crucem, & mortem: ità fiet, ut usque ad crucem, & mortem Judæis, & peccato apostasiæ, ad quod ipsi vos sollicitant, resistatis. Licèt enim restiteritis usque ad amissionem bonorum, sanguinem, vitamque profundere cupiatis, dicatisque cum Herminie: (malo mori, quàm inquinari peccato). Nota: pro [Repugnantes] græcè est, decertantes instàr Athletæ, qui cum suo Antagonistâ in agone omnibus nervis, & viribus concertat, ut eum superet, & supplantet.*

Non minùs appositè Velazquez (in Epist. ad Philip. cap. 2. v. 13. Adnot. 11. n. 6.) *Non quemcumque pugnandi modum, sed eum signatissimè designat, quem acerbissimis hostibus in cruentâ palestrâ fatali quodam æstu efferveſcentibus, is, qui ab altero fuit appetitus, totus in eum nervis propugnat, atque contendit: & anhelo interiectus corpore novam robur, & vires adversùs pugnaces hostis conatus indesinenter explicat.*

EX SS. PATRIBUS.

222. DIvus Augustt. (lib. confess. cap. 6.) narrat de Alipio, quòd tantam is habuerit à frequentandis theatris repugnantiam, ut ea *averſaretur, & detestaretur*, nè in aliquam incideret turpitudinem. At ab amicis enixè rogatus, & invitus eò perductus, sanctis propositis se communivit, & animo sic firmo, ac constanti interfuit, ut nullum ex spectaculis timeret castitatis periculum, dicens cum Seneca (Epist. 41.) *Adero itaque absens* (idèst oculis clausis) *& sic & vos, & illa superabo.* At non mominerat illius dicti Sapientis (Prov. 28. v. 26.) *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Indè accidit, quod de eo prosequitur S. Doctor. *Cum clamor ingens totius populi eum vehementer pulsasset, curiositate victus, & quasi paratus,*

ratus, quidquid illud eſſet, etiàm viſum contemnere, & vincere, aperuit oculos; & percuſſus eſt graviore vulnere in animâ, quàm ille in corpore, quem cernere concupivit: ſpectavit, exarſit, abſtulit indè ſecum inſaniam, quâ ſtimulabatur redire, non tantùm cum illis, á quibus priùs abſtractus eſt, ſed etiam præ illis, & álios trahens.

S. Leo Magnus (ſerm. 9. de Paſs.) aſſignans cauſam, cur Deus permiſerit, ut turpitèr laberetur Petrus Chriſti Vicarius, & ſuæ Eccleſiæ columna, qui proteſtatus fuerat: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo?* (Matth. 26. v. 35.) ait: *Ex infirmitate periculum negationis incurrit ex hoc, ſicut apparet, hæſitare permiſſus: ut in Eccleſiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de ſuâ virtute confidere, quandò mutabilitatis periculum, nec B. Petrus potuiſſet evadere.*

D. Hieronym. (lib. 1. contrà Jovin.) ponderans verba Apoſtoli: (1. Corinth. 7. v. 1.) *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, inquit: *Non dixit: Bonum eſt homini uxorem non habere: ſed, bonum eſt mulierem non tangere: quaſi & in tactu periculum ſit: quaſi, qui illam tetigerit, non evadat; quæ virorum pretioſas animas rapit, quæ facit adoleſcentium evolare corda. Alligabit quis in ſinu ignem, & non comburetur? An ambulabit ſuper carbones ignis, & non ardebit? Quomodò igitur, qui ignem tetigerit, ſtatim aduritur; ità viri tactus, & fœminæ ſentit naturam ſuam, & diverſitatem ſexus intelligis. Undè & noſter Joſeph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus, & quaſi ad morſum rabidi ſitimi canis, nè paulùm virus ſerperet, malum, quod tetigerat, abjecit.*

D. Chryſoſt. (ſerm. Contrà Concubinarios) ſuper illa verba Job (31. v. 1.) *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidèm de Virgine*, ſic diſcurrit: *Quamvis nè Job quidèm ille beatus auſus fuerit, tantam ſapientiam, & virtutem ſibi adſcribere, & de ſe ità teſtari, qui omnem tranſcenderet virtutem, & omnibus Diaboli retibus extractus, & primus, & ſolus, tantam fortitudinem demonſtravit, & omne ferrum, & adamantem ſuâ continentiâ prætergreſſus, ſubnervavit Diaboli poteſtatem, ſic veritus erat talem pugnam, ut putarit impoſſibile eſſe, cohabitare virgini ſinè damno, & eſſe purum.*

Idem [homil. 1. in Pſalm. 50.] *Nunquid tu ſaxum es? num ferrum? Homo es, communi naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem cernis, nec ureris? An iſtud rationi conſentaneum eſt? Lucernam in fœnum pone, ac tùm aude negare, quod fœnum exuratur. Quod porrò fœnum eſt, hoc etiam natura noſtra eſt.*

S. Cyprian. [de ſing. Cler.] *Lubrica eſt illa ſpes, quæ inter fomenta peccati ſalvari ſe ſperat.*

D. Bernard. [ſerm. 58. De modo benè vivendi.] Virgini cuidam, puram ſe conſervare volenti, hanc tradidit inſtructionem: *Te circá ſerpentem compoſita, certè non eris longo tempore ſecura. Circà ignem ſedens, etſi ferrea ſis, aliquandò diſſolveris. Circà periculum conſtituta, non eris diù illæſa.*

Gualfridus ſuper illa verba Eccleſiaſtici [21. v. 2.] *Quaſi á facie Colubri fuge peccata: etſi acceſſeris ad illa, ſuſcipient te*: ſubdit: *Ac ſi dicat: Non ſis contentus non incur-*

incurrere morsum, fuge etiam tactum: imò etiam non sufficiat tactum evadere, sed etiam accessum. Parum est serpentis non sentire contagium, periculosum est vel habere vicinum. Noli sustinere donec mordearis: mox ut videris, fuge, fuge á facie ejus, nec expectaveris morsum ejus. Non dicas: quid mihi nocet? si proximus est Coluber tantùm, & me non mordeat, non occidet. Imò verò, quod de colubro non diceres, non dixeris de peccato, nec accedentis lenocinia feras; sed ut fugeres á facie colubri, etiam longiùs positi, sic multò magis á peccatis: & faceres hoc, si tibi charior foret animæ vita, quàm corporis.

SS. Patribus licitum nobis sit addere Senecam, qui (in proverb. 8.) ait: *Citiùs invenitur periculum quàm contemnitur*; & rursùs: [Epist. 117.] *Quantùm possumus, nos á lubrico recedamus: in sicco quoque parum fortiter stamus.*

Sententiæ allatæ, si appendantur in statera veritatis, sunt magni ponderis, & gravitèr urgent, ad vincendas graves Carnis tentationes esse necessariam resistentiam positivam, nedùm internam, sed & externam, & quidèm omnimodam: nullo obstante metu gravissimo, etiam mortis corporalis; nè incurratur periculum mortis spiritualis, & sic pereat anima. Sed gradum faciamus ad rationes.

ASSIGNANTUR RATIONES.

I. EMinentissimus de Lugo [de Just. & Jure disp. 10. sect. 10. n. 197.] sic arguit: Quando puella vi oppressa non consentit stupro, & vir per violentiam copulam inchoavit; ipsa nedùm potest, sed & tenetur non recipere viri semen. Ità Doctores omnes. Ergò vi oppressa, tenetur motu corporis, manibus, pedibusque, aliove modo, quo potest, impedire congressum turpe. Consequentia sequitur; quià si tenetur semen viri non recipere, (saltèm in casu, quo priùs non consenserat stupro) sequitur indè, quòd non potest quietè consistere, & merè passivè se habere. Siquidèm clarum est, quòd sine positivâ corporis subtractione, aut aliquâ resistentiâ positivâ externâ, impedire nequit seminis receptionem. Ergò tenetur se movere, agitare, resistere &c. eo modo, quo potest, ut impediat congressum turpem.

Confirmatur ab eodem. Dùm puella vi aggreditur ad copulam, & non resistit positivè, & exteriùs; illa quies, & non resistentia est ipsissima cooperatio, qualis esse potest ex parte fœminæ ad congressum turpem. Nulla enim alia cooperatio requiritur ex parte fœminæ ad ejusmodi actum, nisi quòd immota maneat, & non resistat positivè viro. Atquì tenetur potiùs pati mortem, quàm cooperari turpitudini; quia cooperatio est intrinsecè mala. Ergò ne cooperetur, tenetur positivè resistere Corporis motu, agitatione, & cæteris modis, quibus potest, congressum, & copulam impedire: nullo obstante, etiàm mortis metu. Siquidèm, metus quantumvis gravis, amissionis bonorum, infamiæ, mortis &c. non excusat à culpâ in iis, quæ sunt intrinsecè mala. [cap. Ità nè 32. q. 5.

Digitized by Google

& cap. ſacris de his, quæ vi.]

Undè aperta videtur implicantia, quòd puella dicatur non conſentiens ſuæ violationi, ſi ex parte ſuâ tantummodò non ſe accommodat ſceleri; ut vult Sotus [lib. 5. de Juſtit. q. 1. art. 5. §. *Quod ſi obiter*] Si enim ad violationem impediendam non agat, & reſiſtat poſitivè clamoribus, corporis motibus, aliiſque modis ſe non juvat, quantum poteſt; jam ſtuprum in ipſam refertur, in quantum non eſt agens, quùm agere poſſit; ideoquè ea violentia non foret abſoluta, & præciſa, ſed tantùm ſecundùm quid: & ſic ſtuprum eſſet indirectè volitum, & puella invita conſentiret: qui conſenſus, eſtò aliquâ ex parte ſit involuntarius, ſufficit tamèn ad peccatum mortale; ut potè in re intrinſecè mala. Et ità puella omninò erit culpabilis, non ſolùm in foro externo (quod Sotus concedit) ſed etiàm in foro conſcientiæ: quod ille negat, ſed debet fateri.

Dices. Argumentum concludit, quando mulier credit ſuam reſiſtentiam profuturam, clamoribus, corporis motibus, &c. ſe poſſe impedire congreſſum turpem. At ſi nulla ſit ſpes evadendi è manibus viri prævalidi, ad quid reſiſtentia externa? inutilis foret, & vana: ſufficiet ergò, ſaltèm in iſto caſu, reſiſtentia interna, quâ virili fortitudine teneat voluntatem, nè conſentiat in delectationem orituram ex ſtupro vi allato.

223. Sed contrà 1. Mulier nequit eſſe certa, quòd ſua reſiſtentia poſitiva externa non ſit profutura ad impediendam vim, & violentiam illam; imò firmitèr credere debet, unicum, & efficaciſſimum remedium evadendi, fore omnimodam, poſitivam, & externam reſiſtentiam; prout paſsìm experitur in tot puellis violentèr aggreſſis. Rariſſimè namquè continget, virum delectationem turpem capere velle ab omninò invitâ, & modis omnibus reluctante; ut benè advertit laudatus Lugo, & ipſa docet experientia.

224. 2. Dato adhùc caſu, quòd vir philocaptus non cederet reſiſtentiæ mulieris, nec ceſſaret à violentiâ, ſed magìs, ac magis vim inferret: etiàm in iſto caſu, mulier nec cedere deberet aggreſſori, nec ceſſare à clamoribus, motibus corporis &c. ſed vim vi repellere deberet, quantum eſſet, & poſſet in ſe. Quià nunquàm mulier poteſt eſſe certa, quòd vir ille ſemper perſeveraturus ſit in libidinis furore; quò enim magìs mulier reſiſtit, eò tepidior evadit viri amor inhoneſtus: & quò diutiùs mulier perſeverat in reſiſtendo, eò citiùs Stupratoris extinguitur concupiſcentia carnalis.

225. 3. Dato etiàm caſu, quòd puellæ nec minima eluceret ſpes impediendi congreſſum turpem: vel quià ipſa imbellis eſt, & Aggreſſor viribus pollens: vel quià invaderetur in agro, in quo ejus clamor à nemine poſſet audiri: vel ità fortitèr ligata, ut nec moveri poſſit: ejuſque os ſic à Stupratore intercluſum ut clamare non poſſet; adhùc in iſto caſu rariſſimo, puella foret culpabilis, ſi non conaretur ad reſiſtendum eo modo, quo poteſt, & non niteretur movere corpus, nec illam faceret vim, quam poſſet ad impediendam copulam. Ratio eſt, quià aliàs non faceret quantum in ſe eſt; & conſequentèr violentia non poſſet dici abſoluta, & præciſa. Tum

quià

Digitized by Google

quià in casu, puella esset in periculo proximo labendi consentiendo: & quamvis periculum esset involuntarium, esset tamèn proximum: ideòque ut fieret remotum, deberet puella propriis actibus, nedùm internis, sed etiam externis, quantum posset, resistere; hoc enim modo periculum proximum, necessarium, & formale evadit remotum.

226. Tùm quià, facienti, quod in se est, Deus non denegat auxilium in tempore opportuno; ut omnes ore pleno clamant Theologi. Zelator namquè castitatis, Deus, præstò erit ad adjuvandam puellam, omninò, & viribus omnibus, tùm internis, tùm externis, repugnantem tanto scelerì: idque vel reddendo impotentem illum, qui erat prævalidus: vel mittendo illùc homines, qui eam liberarent ab Oppressore: vel aliis modis infinitis, quibus potest Omnipotens auxilium ferre puellæ prorsùs resistenti. Sic legimus de innumeris Virginibus vim patientibus à nefariis, & pro suis viribus iis perditis hominibus resistentibus. De S. Lucia, quam Paschasius Præfectus ad lupanar trahi jussit, ubi ejus virginitas violaretur; sed divinitùs factum est, ut firma virgo ità consisteret, ut nullâ vi de loco dimoveri possit. De S. Agnete, quæ violentèr ingressa turpitudinis locum, Angelum Domini præparatum invenit ad propugnandam ejus pudicitiam. De Theophilâ vi introducta in prostibulum, quæ à pluribus vicissìm expetita, & œstro libidinoso aggressa, fuit ab omnibus divinitùs liberata; proùt refert Baronius [anno 301. n. 33. & seqq.] Ac de aliis Virginibus, de quibus S. Ignatius Apostolorum Discipulus meminit, & loquens ad Tyrannum, ait: [ad Philip. epist. 8.] *In eo quod cogitaras, frustratus es, ò inimice omnium: & per quæ sperasti tyrannidem exercere, per ipsa fracta fuit tibi tyrannis. Non enim neglexit Deus, qui natus est ex Virgine, ipsas Virgines vel in medio lictorum conservare: & quomodo fidem, ità & continentiam ipsas perdere non permittere.* Et D. Basilius (in Commentario de verâ Virginitate) *Quùm ferveret*, inquit, *persecutionis immanitas, electæ Virgines propter Sponsi fidem ad illudendum impiis hominibus traditæ, corporibus inviolatæ perdurarunt: co scilicèt, cujus gratia id perferebant, impiorum conatus ab earum carne irritos arguente, & integra earum corpora, non sinè prodigio, & virtute custodiente.*

227. Tùm deniquè, quia in isto casu Violentiæ, & necessitatis physicæ, conatus puellæ ad resistendum non esset inutilis, & omninò frustraneus; quamvis enim non juvaret ad impediendum congressum turpem, eò quià puella imbellis est, ligata &c. multùm tamèn confert, nè puella consentiat; nam conatus ad resistendum, est signum manifestum dissensus voluntatis, hancque corroborat, ut perseveret in dissensu.

Itaquè in omni casu, debet mulier obsistere positivè, & exteriùs, quantùm scit, & valet Aggressori suæ pudicitiæ. Pugnet constantèr, firmitèr credendo, Deum præstò fore in ejus adjutorium, juxtà infallibilem promissionem ab Omnipotente factam. [2. Paralip. 20. v. 17.] *Non eritis vos, qui dimicabitis; sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, o Juda, & Jerusa-*

Digitized by Google

ruſalem: nolite timere, nec pavcatis. Contendat ſtrenuè, & ſperet in Altiſſimo, eique dicat cum Regio Propheta [Pſalm. 17. v. 30. & ſeqq.] *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Deus meus impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector eſt omnium ſperantium in ſe. Quoniam quis Deus præter Dominum: aut quis Deus præter Deum noſtrum. Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquàm cervorum, & ſuper excelſa ſtatuens me. Qui docet manus meas ad prælium: & poſuiſti, ut arcum æreum, brachia mea. Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ: & dextera tua ſuſcepit me ... Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar, donèc deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtus pedes meos. Et præcinxiſti me virtute ad bellum: & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti &c.* Non cedat invaſori, vel mortis periculo; ſed præ amore Caſtitatis, & ſui Sponſi Cœleſtis, ardenrèr repetat cum Apoſtolo [ad Rom. 8. v. 38.] *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei.* Et ſic fidendo, ſperando, & amando, ſecura erit, impavida, & imperterrita, quòd Dominus Aggreſſorem debellabit; proùt certò certiùs ipſemet pollicetur. [Eccleſiaſtici 4. v. 33.] *Pro juſtitiâ agonizare pro animâ tuâ, & uſque ad mortem certa pro juſtitiâ: & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

228. II. Maritus, non ſolùm tenetur (ut caput Mulieris) eas actiones Uxoris impedire, in quibus verè, & formalitèr hæc peccaret; ſed illas quoquè actiones, quæ ex ſe turpes ſunt, & innaturales. Hìnc ſi Uxor incidiſſet in amentiam, & in eâ exiſtens carnalitèr commiſceretur cum alio Viro; ſivè iſte amens etiam ſit, vel non; quamvìs Uxor nihìl peccaret, debet tamèn Maritus, quantum poſſet hujuſmodi copulam impedire; eò quià turpis eſt, & contraria juri naturæ. Ità communitèr ſentiunt Doctores, quos refert, & ſequitur Sylvius [reſolut. ver. Opuſc. 6. verb. Matrimonium XII. Concluſ. 3.] Ergò & Voluntas, veluti Domina, & Regina potentiarum, ac virium corporis, impedire debet congreſſum ex ſe turpem: imperando potentiis, etiam externis, ut modis omnibus reſiſtant Aggreſſori; quamvìs ex violentiâ illatâ nullum incurreret peccatum formale, nec periculum eſſet conſenſus. Ratio à priori. Quia non ſolùm tenemur conari ad reprimendam delectationem proptèr periculum conſenſus formalitèr; ſed etiam quia ipſa delectatio ſecundùm ſe, & objectivè eſt mala. Ergò nulla certitudo non conſentiendi ſufficit ad excuſandum ab illâ obligatione.

Hoc argumentum optimè probat, nos teneri reſiſtere poſitivè, tùm interiùs, tùm exteriùs, gravibus Carnis tentationibus; etſi firmitèr credamus, voluntate non conſenſuros; ſed ab adverſariis retorqueri poſſet contrà ultimam partem aſſertionis, in quâ diximus, nec excuſari ab omnimodâ illâ reſiſtentiâ,

Digitized by Google

tiâ, quamvis imminеat etiam mortis periculum. Sic enim possent arguere. Sicùt Maritus non tenetur cum notabili suo detrimento impedire Uxoris congressum cum alio viro &c. ità & nos non tenemur positivè resistere exteriùs invasori Castitatis, à quo timemus vel honoris, vel bonorum, vel vitæ jacturam. Et quemadmodùm resistentia interna, seù displicentia voluntatis, quâ Maritus odio habet turpes Uxoris actiones, quas commodè impedire non potest, satis excusat ipsum à resistentiâ externâ: hoc paritèr modo quis excusabitur, si non resistet exteriùs Aggressori pudicitiæ, dùm ab eo rationabilitèr timet grave periculum mortis &c. Et multò magis excusabitur, si resistentia externa non erit profutura, sed inutilis foret, ac frustranea. Ideò aliâ ratione probatur ultima pars conclusionis.

229. III. Puella vi oppressa à viro, & ab eo violentèr cognita, si non resistit positivè exteriùs, & quantum potest, redditur impotens (moralitèr) ad resistendum interiùs virilitèr, & constantèr: seù, est in necessitate morali ad consentiendum delectationi venereæ. Ergò tenetur positivè exteriùs resistere, nullo obstante vel mortis periculo. Consequentia est apud omnes indubia. Ant. ostenditur. Puella jàm constituta in situ, & statu tàm nefando, necessitaretur, necessitate physica, ad sentiendam delectationem illam carnalem, quæ naturalitèr, & necessariò insurgeret ex ipsius conjunctione cum viro; etenim ex tangibili, & tangente resultat inimpedibilitèr sensatio: & talis sensatio voluptatis, in casu proposito, quâ major sentiri nequit. Item ignis concupiscentiæ, seù appetitus sensualis, sic accenderetur, ut extingui nequiret solâ resistentiâ internâ, sed crescеret usque ad delectationem turpem, quam patiens, adhuc nolens, perciperet. Indè pars inferior, seù appetitus sensualis, debilitaret partem superiorem, seù mentem: ità ut Intellectus non satis applicaretur, ut attenderet, & consideraret quantum esset necessarium ad resistendum. His omnibus simùl concurrentibus, oritur in Voluntate quædam impotentia moralis ad diù resistendum, seù, necessitas moralis ad consentiendum.

230. Confirmatur. 1. Estò voluntas sit libera; multùm tamèn pendet in usu libertatis à consideratione, & attentione intellectus, ac ex affectione appetitus inferioris: quæ affectio multùm movet, & post se trahit voluntatem.

231. Confirmatur 2. In casu, bonum delectabile esset præsens, & indeclinabile: bonum verò rationis esset futurum. Atqui objectum præsens magis movere solet, quàm futurum. Item, objectum sensus esset vicinum, imò & conjunctum; objectum verò Intellectus foret longè remotum, abditum, & nisi tenuitèr penetraretur. In hoc igitur præruptо libidinis Vesuvio puella jam constituta sentiet nè invita delectationem carnalem, & in ipsam non consentiet? Potest quidèm (physicè loquendo) non consentire; sed moralitèr est impotens ad non consentiendum, & necessariò, necessitate quadam morali, consentiet. Quod sufficit, ut teneatur subire malum quodcumque temporale, bonorum, famæ, vitæ amissionem, ad vitandum malum culpæ, & æternum.

232.

Digitized by Google

232. Id totum ulteriùs confirmant SS. PP. jam relati, quibus (aliis omiſſis) addo Eminentiſſimum Hugonem, qui in verba David [Pſal. 77. v. 21.] *Ignis accenſus eſt in Jacob, quià non crediderunt Deo*: Subdit: *Ignis peccati, ſcilicèt, luxuriæ: de quo Job* [31. v. 12.] *Ignis eſt, uſque ad conſumptionem devorans, & omnia eradicans; quid, ut dixit S. Gregorius: Quùm luxuria ſemèl mentem invaſerit, nullum bonum cogitare permittit.* Et Sapiens [Proverb. 6. v. 26. & ſeqq.] ait: *Mulier autèm viri pretioſam animam rapit. Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? Aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui non erit mundus, quùm tetigerit eam.* Verùm enimverò, *ſi mulier viri pretioſam animam rapit &c.* multò fortiùs vir mulieris pretioſam animam rapit; teſtante eodem [Eccleſiaſtes 7. v. 29.] *Virum de mille unum reperi: mulierem ex omnibus non inveni*, idèſt, exponit hìc Hugo laudatus. *Inter omnes homines paucos bonos inveni; ità quòd in mille vix unum virum; idèſt, virilem hominem inveni. Mulierem verò omninò non inveni bonam; imò omnes Salomon invenit malas, quæ turpitèr ſeduxerunt eum.* Undè Peripatheticorum eſt tritum axioma: *Sicut materia prima appetit formam, ità & mulier appetit virum.*

IMPROBANTUR ADVERSARIORUM ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM.

I. NEmo mortalitèr peccat, niſi aliquod tranſgrediatur præceptum obligans ad mortale. Sed nullum adest præceptum reſiſtendi poſitivè cogitationibus, & motibus turpibus. Ergò. Min. prob. Si aliqua eſſet hujuſmodi obligatio, oriretur ex præcepto negativo *Non concupiſces*; at hoc præceptum non obligat ad depellendam concupiſcentiam, ſed ſolùm ad non conſentiendum. Ergò ſufficit non conſentire, & ſolùm negativè ſe habere.

Confirmatur. Voluntas eſt obligata ſub mortali regere appetitum, nè ità cum ratione pugnet, ut ex ejus pugnâ ipſa conſentiat; non tenetur tamèn, ſaltèm ſub mortali, impedire quamlibet pugnam.

233. Rſp. 1. Argumentum nimis probat. Nam ſi ly *Non concupiſces*, ſumatur grammaticalitèr, importat dumtaxàt præceptum non deſiderandi, & facit ſenſum: *Non per-optabis.* Indè ſequeretur, quòd cogitatio turpis, quæ ſiſteret in ſolâ delectatione objecti venerei, & non ultrà progrederetur ad cupiendum illud: nedùm poſſet permitti ſinè peccato gravi, ſed etiàm admitti. Siquidèm ille, qui hoc fræno admitteret delectationem illam, *Non concupiſceret*, ſed tantummodò *Complaceret*. Hoc autèm nemo audet aſſerere, nec ipſemet Caſtropalaus, cujus eſt argumentum. Igitùr præceptum *Non concupiſces*, prohibet omnes Concupiſcentiæ actus, qui ſunt: Deſiderium, Voluptas, Amor, Spes, Gaudium &c. prout omnes ſuſtinent Catholici: inter quos Caſtropalaus inferiorem non habet locum.

Rſp. 2.

Digitized by Google

℟. 2. Nego min. Ad probationem, nego iterùm minorem. Quià præceptum *Non concupiſces*, etiam obligat ad non voluntariè permittendum concupiſcentiam; at, ex ſuperiùs probatis, voluntariè permittimus, ſi poſitivè ei non reſiſtimus.

℟. 3. Tenemur nedùm ad non conſentiendum, ſed etiam ad non voluntariè ſentiendum delectationem carnalem. Idque eſt inconcuſſum apud Doctores omnes: & nos ſupra oſtendimus. Voluntariè autèm ſentimus delectationem illam, dum poſſumus, & debemus illam non ſentire; ſed tamèn negligimus, & ideò ſentimus.

℟. 4. Præceptum *Non concupiſces*, ſolùm obligat ad non conſentiendum; diſtinguo: ad non conſentiendum, nec directè, nec indirectè: nec formaliter, nec interpretativè: concedo: Directè, & formaliter tantùm, nego. At, qui non reſiſtit poſitivè, & merè negativè ſe habet, ſaltèm interpretativè conſentit cogitationibus turpibus; ex hactenùs probatis. Addo ex Verricelli [tract. 4. q. 17. n. 16.] Quòd non reſiſtens poſitivè pravis motibus, & delectationibus, frequentèr verè, & formaliter, nedùm interpretativè conſentit; non cognoſcit autèm ſe conſenſiſſe, quià actu reflexo non advertit conſenſum.

Id expreſsè docuit D. Thom. [1. 2. q. 71. art. 5. ad 2.] ubi ait: *Aliquod dicitur Voluntarium, non ſolùm quià cadit ſuper ipſum actum voluntatis; ſed quià in poteſtate noſtrâ eſt, ut fiat, vel non fiat; ut dicitur in 3. Eth. Undè etiàm ipſum non velle, poteſt dici Voluntarium: in quantum in poteſtate hominis eſt, Velle, & Non Velle.*

Ad Confirmationem patet reſponſio ex dictis: Præterea, abſolutè loquendo, falſum eſt, quòd Voluntas non teneatur impedire quamlibet pugnam appetitus cum ratione, ſed ſolùm quando ex pugnâ ipſa voluntas conſentiat. Porrò, ſi Caſtropalaus, cujus eſt etiam confirmatio [part. 1. tract. 2. diſp. 2. punct. 9. §. 5.] ſentit, quòd Voluntas non tenetur, ſaltèm ſub mortali, impedire quamlibet pugnam appetitus cum ratione, ſed tantùm pugnam illam, quæ acris eſt, ſeù gravis tentatio: verum dicit, in ſenſu à nobis ſupra explicato. Si autèm intelligit, quòd Voluntas non tenetur ſub mortali, impedire quamlibet pugnam appetitus cum ratione, ſed tantùm pugnam illam, ex quâ ipſa voluntas conſentit in concupiſcentiam directè, & formaliter: non ſatis benè loquitur. Deniquè, ſi intelligit, quòd Voluntas non tenetur ſub mortali regere appetitum in omnibus ſuis actibus inordinatis, ſed tantùm in iis, qui gravitèr pugnant cum ratione, & valdè trahunt ad cõſenſum (ut intelligere debet): explicare nequit, quo pacto voluntas regere poſſit appetitum, quin eum poſitivè reprimat. Nam ſi appetitum effrænem non coercet: ſi permittit ruere in præceps: ſi cum ratione ſinit acritèr pugnare; quomodò regit? *Regere* eſt poſitivè agere, habenas moderari, fræna tenere, cohibere, reprimere.

234. Ratio à priori. Voluntas tenetur regere, non ſolùm ſuos actus, ſed & aliarum potentiarum, quibus præeſt. Et quidèm longè arctiori obligatione, quâ Magiſtratus tenetur comprimere tumultus populi ſeditioſi, debet voluntas cohibere motus pravos inſurgentes contrà rationem. Sicuti ergò Magiſtratus

Digitized by Google

tus gravitèr peccaret, si potès compescere plebis discordias, eas permittit, & negativè se habet: pari, imò & majori ratione, gravitèr peccabit Voluntas, si potest reprimere appetitus rebelliones contrà rationem, & sinit extolli, ac merè negativè se habet.

Audiamus D. Thom. [1. 2. q. 74. art. 5.] *Habet autèm ratio duplicem actum. Unum quidèm secundùm se in comparatione ad proprium objectum, quod est cognoscere aliquod verum. Alius autèm actus rationis est, in quantum est directiva aliarum virium. Utroque igitùr modo contingit esse peccatum in ratione. Et primò quidèm in quantum errat in cognitione veri: quod quidèm tunc imputatur ei ad peccatum, quandò habet ignorantiam, vel errorem circà id, quod potest, & debet scire. Secundò, quandò inordinatos actus inferiorum virium, vel imperat, vel etiàm post deliberationem non coercet.* Quod repetit [ibid. art. 6.] *Dicendum, quòd, sicut jam dictum est, Peccatum contingit esse in ratione, quandoque quidèm in quantum est directiva humanorum actuum. Manifestum est autèm, quòd ratio non solùm est directiva exteriorum actuum, sed etiàm interiorum passionum. Et ideò quandò deficit ratio in directione interiorum passionum, dicitur esse peccatum in ratione: sicut etiàm quando deficit in directione exteriorum actuum. Deficit autem in directione passionum interiorum dupliciter Uno modo, quando imperat illicitas passiones; sicut quandò homo ex deliberatione provocat sibi motum iræ, vel concupiscentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum.* Videatur Angelicus Doctor [ibid. art. 7. ad 2.] Et [De Veritate q. 15. de ratione superiori, & inferiori art. 4. ad 10.] & alibi.

II. Hujusmodi motus pravi proveniunt à naturâ: itaùt omnes coërcere sit impossibile, aliquos difficillimum. Non est igitur credendum de Divinâ Bonitate, salutem æternam hominum his periculis exposuisse. Esset enìm salus hominis non levi periculo exposita, si quùm à naturâ sit in malum proclivis, arctatus sit, non solùm hos motus non admittere, sed etiàm illos reprimere, & coërcere.

Hæc instantia, si non interpretetur in sensu catholico, est ipsissima propositio Michaelis Molinos, intèr proscriptas ab Innoc. XI. n. 17. Vel, ut minimùm, ei proxima; estque sequens: *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relictâ curâ, & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ: etsi natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.* At quià Castropalaus, cujus est argumentum, est Doctor piissimus, ideò benignè est interpretandus. Hac adhibitâ cautelâ.

235. R. Verum esse, motus pravos provenire à naturâ; undè Apostolus ait, [ad Roman. 7. v. 22. 23.] *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in legem peccati.* Nec inficior, esse moralitèr impossibile omnes coërcere motus pravos; sed certo certiùs possumus reprimere singulos; juxtà doctrinam D. Thom. [1. 2. q. 74. art. 3. ad 2.] ubi ait: *Ad secundum dicendum, quod perpetua corruptio sensualitatis est intelligenda quantum ad fomi-*

Digitized by Google

fomitem, qui nunquam tollitur totaliter in hac vitâ. Transit enim peccatum originale reatu, & manet actu: sed talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si præsentiat: putá, divertendo cogitationem ad alia. Sed dùm homo cogitationem ad alia divertit, potest etiam circà illud aliquis inordinatus motus insurgere: sicùt quùm aliquis transfert cogitationem suam á delectationibus carnis, volens concupiscentiæ motus vitare ad speculationem scientiæ, insurgit quandoquè aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideò non potest homo vitare omnes hujusmodi motus, propter corruptionem prædictam; sed hoc solùm sufficit ad rationem peccati voluntarii, quòd possit vitare singulos. Quid clariùs, aut efficaciùs?

236. Nec est difficillimum, ut supponit, aliquos coercere; imò facillimum. Profectò ad coercendos motus pravos, non tenemur (ordinariè loquendo) adhibere remedia dura, & nimis rigida, nempè, jejunia, cilicia, corporis flagella &c. sed sufficit animum, ac phantasiam divertere ab illis, & applicare ad alia, v.g. ad preces, ad studia, ad historias, &c. vel se applicando cuidam lusui honesto, labori manuali &c. Dixi: *Ordinariè loquendo*; quià si adest periculum consensus, tenetur homo remedia adhibere extraordinaria, & quantumvis difficillima; ut ipsemet fatetur Castropalaus. Tota igitùr difficultas in coercendo motus pravos, se tenet ex parte Voluntatis: videtur nobis difficillimum cohibere, quià cohibere nolumus; ut suprà arguebamus.

Quòd si intelligit, esse *difficillimum aliquos coercere*, idèst illos motus, qui valdè urgent, suntque vehementissimi; verum dicit, si intelligit, quòd hujusmodi motus multotiès magnâ cum difficultate compesci possunt, cum effectu, quin iterùm, atquè iterùm insurgant rebelles. At resistentia positiva ad illos cohibendos, & conatus ad reprimendum, sufficit ad non peccandum; licèt de facto sempèr urgeant motus illi pravi. Siquidèm non tenemur, nisi ad id, quod possumus: idque nos dicimus, & totiès replicavimus cum D. Augustino, qui dicebat [lib. 10. Confes.] *Tentationibus quotidiè conor resistere &c.*

Denique, si intelligit, quòd est *difficillimum aliquos coercere*, quatenùs aliqui motus sensuales præ cæteris sunt molestiores, importuniores, graviores &c. Iterùm verum dicit; sed indè non sequitur, quòd non tenemur positivè eis resistere; imò sequitur, quòd, quò molestiores sunt, & graviores, eò fortiùs illos reprimere debemus. Nam, quò major est tentatio, eò majus est labendi periculum. Quis autèm negabit, quòd ubi majus est periculum, ibi cautiùs agendum est? Vide Vela [Dissertat. 36. n. 55.] Castejon [verb. Periculum] Sabell. [in summ. §. Periculum n. 16.] Passerin. [de occidente uno pro alio. disp. 2. cap. 5. n. 49.] Et quæ dicebamus suprà cum communi Doctorum.

III. Si homo esset obligatus hos motus reprimere, quùm possit, obligaretur sanè apponere media, saltèm non difficilia, ad reprimendum. Ergò si videat hos motus consurgere, eò quòd in lecto tali, vel tali modo decumbit, tenebitur à tali cubitu abstinere, imò surge-

Digitized by Google

re, & ſe aliqualitèr verberare. Quod certè eſt duriſſimum, & pauci admittunt.

Confirmatur. Si homo tenetur ſub mortali reprimere motus pravos, multò magis vitare debet cauſas, ex quibus agnoſcit hujuſmodi motus inſurgere. Nam, ſi poſtquàm excitati ſint, illos reprimere tenetur, à fortiori tenebitur reprimere, nè excitentur. Tenebitur ergò ſub mortali fœminam non alloqui, nec videre: non equitare, non ſtudere, non audire confeſſiones, aliaque ſimilia omittere. Quæ, in omnium ſententiâ, vel bona ſunt, vel ſolùm venialia.

237. ℟. Hæc, & ſimilia argumenta non urgent. Jam diximus, quòd cauſa legitima non reprimendi motus turpes, excuſat. At diſtinguere debemus cauſas influentes ad veneream: aliæ quidem influunt per ſe: aliæ verò per accidens. Hac admitta diſtinctione, non eſt qui dubitet, nos vitare debere cauſas per ſe influentes, & provocantes ad turpia; unde ipſemet Caſtropalaus [ibi n. 4. ad 4.] ſubdit: *Addo, ſi prævideatur futura pollutio, etiamſi non prævideatur illius conſenſus; communiter DD. fatentur, teneri tunc voluntatem reſiſtere, nec poſſe ſolùm negativè ſe habere; quia tenetur cauſas notabiliter ad pollutionem influentes avertere &c.*

238. Ut autem ſciamus, quænam ſint cauſæ per ſe influentes ad Venerem, advertere debemus, an cauſæ influentes ſint intrà, vel extrà genus luxuriæ. Si enim quis exereet actionem ex naturâ ſuâ turpem, & moraliter culpabilem in genere luxuriæ, in eâque prævidet vel pollutionem, vel motum laſcivum, peccat mortaliter peccato mollitiei. Si autem motus obſcœnus, aut pollutio ſequatur præter intentionem, aut prævideatur ex cauſâ ſolùm remotâ, & quæ eſt extrà genus luxuriæ, v. g. ex liberiori potu: motus ille non eſt grave peccatum; quamvis illa actio, ex quâ ſequitur, nempè inebriatio voluntaria, aliundè ſit mortalis. Ratio eſt, quia hujuſmodi cauſæ de ſe non ordinantur ad pollutionem, ſuntque extrà genus luxuriæ; ideòque de ſe non gravitèr, ſed levitèr ad illam concurrunt.

239. Præterea advertere debemus, quòd hìc loquimur de cauſalitate morali. Quando igitur in æſtimatione prudentum ab aliquo antecedente infertur neceſſariò conſequens; tunc illud antecedens dicitur cauſa per ſe. Ità, qui ſegeti applicat ignem, licèt non ſit cauſa phyſica ignis de novo accenſi in materiâ ſegetis; tamèn in genere moris eſt cauſa per ſe ignis accenſi; & cui attribuitur effectus in æſtimatione prudentum: idque ob connexionem, quam habet applicatio hominis cum actione ignis.

240. Rursùs. Quamvis in genere cauſæ phyſicæ cauſa mediata non ſit cauſa per ſe; non ſic in genere moris, ſeù in æſtimatione prudentum, juxtà quam cauſa etiàm mediata eſt cauſa per ſe, cui verè attribuitur effectus. Suaſi v. g. Petro, ut efficacitèr ſuadeat Paulo furtum: & Petrus meâ ſuaſione obſtrictus ſuaſit efficacitèr Paulo furtum. Utiquè mihi attribuitur illud furtum, & tenetur reſtituere; ſaltèm ſi eorum neuter ſatisfecit. Hinc Suaſor meditus eſt cauſa moralis per ſe furti, eique furtum attribuitur. Ratio eſt, quia quùm illud genus

Digitized by Google

causalitatis sit per modum illationis fundatæ in physicâ connexione, quæ convenit rei connexæ ratione suæ entitatis, & illatio sit legitima: quamvis antecedens sit mediatum, sit, quòd antecedens istud, cui competit connexio ratione suæ propriæ entitatis, & non accidentis, censeatur tàm causa per se effectus, quàm est ratione sui illativum consequentis.

241. Ex his clarè patet, quòd allegata in objectione, ac in ejus confirmatione, de decubito sic, vel sic: de equitatione, studio, allocutione mulieris, auditione confessionis &c. non sunt causæ per se provocantes ad Venerem. Verùm cogitatio practica objecti venerei est causa per se commotionis spirituum carnalium, & delectationis venereæ; ut ostendimus suprà: non quidèm in genere causæ efficientis, sed solùm in genere determinantis: sicut etiàm erit actus appetitus corporei terminatus ad objectum venereum. Determinant verò ad commotionem spirituum per connexionem, &, ut ajunt; sympathiam, quam habent ex prædictâ commotione. Hoc autèm sufficit, quòd ea cogitatio practica, & appetitus objecti venerei sint causæ per se commotionis spirituum, saltèm in æstimatione prudentum. Hæc enim causalitas, ut adnotavimus, est per modum accidentis, inferentis necessariò consequens.

IV. Qui est causa causæ per se, est etiam causa causati. Sed v.g. potio vini est causa motus turpis, qui per se causat libidinem. Ergò esset causa libidinis, & consequentèr deberemus abstinere ab eâ potione.

Insuper. Ad voluntarium interpretativum in causâ, sufficit, quòd effectus prævideatur in causâ, quam homo potest, & tenetur vitare. Atqui homo tenetur, & potest ebrietatem vitare. Ergò motus venereus in eâ prævisus sit interpretativè voluntarius. Hæc sequerentur absurda ex nostrâ assertione; quæ nemini placent.

R. Si argumentum concluderet in sensu adversariorum, deberemus de hoc Mundo exire; ut ait Apostolus [1. ad Corinth. 5. v. 10.] Porrò si teneremur vitare causas remotas, & per accidens motus turpis, abiremus in infinitum.

242. Ad confirmat. distinguo maj. prævideatur in causâ, quam vitare tenetur, debito proveniente ex præcepto, quo talis effectus prohibetur, conc. aliundè nego maj. Sed homo tenetur vitare ebrietatem ex distincto præcepto, nempè, Sobrietatis, conc. ex præcepto Castitatis, nego min. & conf. Itaque ebrietas vitanda est ex præcepto Temperantiæ; præceptum verò Castitatis non prohibet causas remotas, & per accidens commotionis venereæ; quapropter illa non fit voluntaria interpretativè. Rationem pluriès assignavimus, nempè quià effectus, qui per accidens, & præter intentionem sequitur, non imputatur ei, qui prosequitur jus suum. Quandò igitur homo exercet actiones, quibus prosequitur jus suum, & effectus sequitur præter intentionem, nec actio illa est causa notabilitèr, & per se influens; tunc non dicitur causa causati. Semper tamen intelligimus, secluso periculo proximo consensus.

Digitized by Google

CONTRA CONCLUSIONEM II.

1. POteſt quis ex causâ urgentiſſimâ permittere ea, ex quibus neceſſariò oritur delectatio venerea, ac etiàm pollutio: & ſatis erit reſiſtentia interna, abſque eo, quòd amoveantur occaſiones externæ, ex quibus naſcuntur motus turpes, delectationes libidinoſæ, atque pollutiones. Ergò & puella poterit ſinè culpâ permittere violentiam ſibi illatam à viro, ob evidens periculum ingentis infamiæ, ſi clamaret: vel mortis, ſi depelleret Stupratorem: & ſufficiet ad evitandum peccatum ſola reſiſtentia interna.

Ante reſponſionem advertere debemus Propoſitionem inter damnatas ab Innoc. XI. 62. tenoris ſequentis: *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quandò aliqua cauſa utilis, aut honeſte non fugiendi, occurrit*. Et omninò videnda, quæ docent Doctores in confutatione hujus propoſitionis.

243. Ad argumentum R. dato antecedente in ſenſu Theologorum, qui ſcripſerunt poſt damnationem propoſitionis præfatæ, nego conſequentiam. Diſparitas eſt duplex. 1. Quia in primo caſu, homo non cooperaretur, ut ſupponimus, occaſionibus externis, ſed eas ſimplicitèr pateretur invitus: at, dùm puella vim patitur ab Aggreſſore, & non reſiſtit exteriùs, cooperatur facinori; hæc enim eſt cooperatio fœminæ ad coitum, quieto, & immoto corpore expectare &c. ideòque eſſet quidèm invita, ſed conſentiens: qui conſenſus, eſtò ſit ex parte involuntarius, ſufficit tamèn ad peccatum grave: quem conſenſum, ſicut & ipſum congreſſum debuiſſet impedire, nullo obſtante detrimento, etiàm graviſſimo, vel morte jàmjàm imminente. Ratio eſt, quià hujuſmodi quies, quæ in hominum, etiàm prudentum, æſtimatione eſt vera, & propria mulieris cooperatio ad copulam, eſt intrinſecè mala; ideòque nullâ ratione coboneſtari poteſt. 2. Quia in primo caſu periculum conſentiendi non eſt proximum: Etſi erit proximum, fieri poteſt remotum per actus proprios, & internos hominis. At in caſu ſtupri, violentèr etiam illati, adeſt ſemper periculum proximum conſenſus, & (moralitèr loquendo) fieri nequit remotum; ut dicebamus ſuprà. Indè oritur gravis obligatio reſiſtendi Aggreſſori, nedùm corde, ſed ore, & opere: manibus, pedibuſque, & corporis motibus, aliove modo, quo poteſt, nullo habito reſpectu ad graviſſimum detrimentum bonorum, famæ, & mortis.

Nec prætermittam doctrinam perilluſtris Doctoris Ludovici Lopez, qui [in Inſtructorio Conſcientiæ part. 1. cap. 22. §. *Tertium notabile*] ſic ſcitiſſimè loquitur contrà eas fœminas, quæ ſe excuſant non clamaſſe, dùm fuerunt aggreſſæ ab Invaſore pudicitiæ, ſub prætextu infamiæ orituræ à vociferatione: *Iniqua eſt excuſatio illarum mulierum, quæ quòm ſolæ inventæ ſint domi, & impetitæ à viris petulantibus ſubitò introeuntibus, quòm ſe defendere non potuiſſe allegent, non clamaſſe ad vicinos, qui ſtatìm venientes prohiberent auſum nefarium: ajunt, ea ratione, nè diffamarentur, aut ſcandalum oriretur; idcircò, tandèm in coitum nefarium conſenſiſſe. Hoc ajunt nolentes intel-*

telligere, ut benè agerent, sibi qualem gloriam æternam peperissent, si velutì altera Susanna, etiàm apprehensæ non consensissent, sed clamassent. Tantùm abest, ut ipsa fœmina scandalum generaret ex clamore, & resistentiâ, ut potiùs omnes posteà, tàm laudabilis repulsæ conscios, egregio exemplo ædificarent: sicùt totam Ecclesiam Dei suo clamore, & resistentiâ ædificat nunc Susanna Sancta.

II. Si Mulier (aut puer) teneretur, adhùc cum mortis suæ periculo, resistere positivè, & exteriùs, omnique conatu Invasori pudicitiæ; ergò si non valet illam effugere invasionem, nisi occidendo Invasorem, debet hunc occidere, si potest. Hæc sequela patet: Nàm si puella (aut puer) ad evitandum periculum consensus in impudicitiam, tenetur potiùs mortem subire: potiori jure tenebitur occidere hujusmodi Invasorem, ut sic reddatur secura de propriâ vitâ spirituali. At hæc obligatio est nimìs horrida.

244. R. Concedo sequelam. Sanè Doctores omnes uno se subscribunt calamo illi sententiæ, quæ docet, mulierem posse, imò & debere, occidere Invasorem pudicitiæ, quandò est periculum consensus, nec alia restat via evidendi à tali periculo. An autèm semper, in casu isto, sit periculum consensus? pauci quærunt. Undè pro talis intelligentiâ casus, & ut ritè percipiantur Doctores, qui de eo scribunt

245. Notandum, quòd Pudicitia importat duo: integritatem, scilicèt, corporis: & virtutem pudicitiæ, quæ sistit in mente. Potest puella sui corporis integritatem amittere, etiàm naturali morbo, & adhùc retinere mentis integritatem: sicutì potest sui corporis integritatem retinere, & adhùc amittere mentis integritatem. Idque certum est apud omnes.

Hìnc Doctores, qui disputant de tuendâ pudicitiâ, sed non distinguunt, & loquuntur præcisè, dicunt, puellam pro suâ tuendâ pudicitiâ, posse, sed non debere occidere Invasorem. Rationem reddunt, quià cuique licet vim vi repellere in re magni momenti. Ergò multò magìs nè amittat pudicitiam, quæ pluris æstimanda, quàm divitiæ multæ; undè, ut patet, loquuntur de Pudicitiâ, proùt importat honorem, & corporis integritatem. At Doctores, qui altiùs effodiunt, affirmant, puellam, nedùm posse, sed debere, si potest, occidere Invasorem pudicitiæ, si alia non restat via ad evadendum. Nimìs autèm onerosum mihi foret, ac Lectori omnes referre hujus sententiæ Auctores; sat erunt sequentes.

Toletus [Instruct. Sacerdot. lib. 5. cap. 6. n. 30.] „ Posset enim „ fœmina, aùt juvenis, ob servandam castitatem occidere Invasorem, quùm alitèr se defendere „ non potest. Notandum tamèn, „ quòd quamvìs ab alio superetur, „ si non consentiat interiùs in actu „ turpi, non peccat, nec virginitatem amittit, si Virgo erat. Undè „ Silv. verbo Homicidium §. 8. dicit, quòd potest non occidere, „ quamvìs possit; sed pati se corrumpi, dùm consensum cohibeat „ in delectatione. Tamen (N. B.) „ quià periculosum est hoc, securiùs esset occidere, si possit; illudque remedium sumendum „ est, quùm aliud non occurrit.

Thomas Tamburinus [Decalog. lib. 6. cap. 1. §. 3.] „ Addit „ Bo-

Digitized by Google

„ Bonacina t. 2. d. 2. de reſtit. in „ part. q. ult. ſect. 1. p. 10. n. 12. „ poſſe invaſum condonare vitam „ Invaſori, patiendo violentiam „ ſui, quandò non eſt periculum „ conſenſus; nàm, teſte S. Lucia, „ non coinquinatur corpus, niſi „ de conſenſu mentis. Hæc ille, ſed „ quià difficile eſt non adeſſe in „ tantâ occaſione periculum con- „ ſenſus, nemini ego ejuſmodi „ condonationem indulgerem.

Sporer. [Decalog. tract. 5. cap. 2. ſect. 3. §. 7. n. 166.] poſtquàm retulit eadem verba Bonac. ſubdit: „ Sìc ille, & verè, ſi intelligatur „ de condonatione negativâ, ſeu „ non occiſione præcisè: periculo- „ sè verò, ſi intelligatur de con- „ donatione poſitivâ; quùm diffi- „ cile ſit in tantâ occaſione non „ adeſſe periculum conſenſus in „ opus turpe.

Inſtabis. D. Aug. [lib. 1. de lib. arbitr. cap. 5. ſeù n. 12.] ait: *De pudicitiâ verò quis dubitaverit, quin ea ſit in ipſo animo conſtitutâ, quandoquidèm virtus eſt? Undè à violente Stupratore eripi nec ipſa poteſt. Quidquid igitur erupturus erat ille, qui occidit, id totum in poteſtate noſtrâ non eſt: quare quemadmodùm noſtrum appellandum ſit, non intelligo. Quapropter legem quidèm non reprehendo, quæ tales permittit interfici: ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Ergò ex D. Auguſt. Mulier non ſolùm non tenetur occidere Invaſorem pudicitiæ, imò nec licitè poteſt.

Sporer [ubi ſupra ſect. 3. num. 133.] reſpondet: „ Aut opinio- „ nem D. Auguſtini conſilium tan- „ tum continere, non præceptum: „ aut rationi naturali, majorique „ auctoritate poſtponendam eſſe.

Lugo [De Juſt. & Jur. diſp. 10. ſect. 6. n. 140.] videtur adhærere expoſitioni Molinæ [tom. 4. de Juſt. & Jure diſp. 13. n. 2.] ubi ait: „ Pro- „ babile eſt, quòd Auguſtinus lo- „ quatur de invaſo, qui malo ani- „ mo vindictæ Aggreſſorem occi- „ dit (prout frequentèr fit). Quem „ ſenſum videtur indicare Augu- „ ſtinus Epiſt. 154. quæ eſt ad Pu- „ blicolam, in quâ ſcribit in fine: „ *Nè reſiſtamus malo, nè nos vin- „ dicta delectet, quæ alieno malo „ animum paſcit.*

246. Reſpondeo & ego (tamquàm minus ſapiens) Sanctum Præceptorem loqui de Pudicitiâ corporali, pro quâ vitandâ non licet occidere Invaſorem, nec ſe defendere cum directâ intentione occidendi; undè Magnus Antiſtes ſtatim ſubdit (ibidem) *Quomodò enim ſunt iſti à peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti ſunt?* Verùm ſi corporis integritatem *contemni oportet*, mentis integriratem *contemni nequit*; imò & defendere ipſam debemus omni viâ, quâ poſſumus. Hinc Wigandt (Tribun. Confeſs. tract. 9. exam. 2. n. 29.) volens probare, licitum eſſe privatâ auctoritate occidere Invaſorem &c. poſt ſecundam rationem, addit: „ Ex quo „ patet intelligentia verborum „ S. Auguſt. lib. 1. de Liber. arbitr. „ cap. 5. dicentis: *Quomodò apud „ Divinam Providentiâ liberi ſunt „ à peccato, qui pro his rebus, quas „ contemni oportet, humanâ cæde* „ (loquitur de eâ directè intentâ) „ *polluti ſunt?*

247. Benè verum eſt, quòd D. Auguſtinus, in loco citato, loquitur etiam de Pudicitiâ mentali,

len-

Digitized by Google

& ut virtus est: & ut talis, *à violente Stupratore eripi nec ipsa potest; cum sit in ipso animo constituta*. Undè [Epist. 228. n. 10.] ait: *Violentiâ non violatur pudicitia, si mente servetur*. Et [serm. 228. aliàs 180. n. 7.] *Violentiâ non violatur pudicitia, si mente servetur: quoniam nec in carne violatur, quandò voluntas patientis suâ turpitèr carne non utitur, sed sinè consensione tolerat, quod alius operatur*. Indè infert S. Doctor, non licere Invasorem castitatis occidere (supplo directâ intentione occidēdi) quùm virtus castitatis *sit in ipso animo constituta*; ideòque, ad tantæ virtutis conservationem, satìs erit constans dissensus voluntatis. Ex quo clarè patet, quòd D. Augustinus putat, pudicitiam mentalem servari posse, absque eo, quòd occidatur Aggressor pudicitiæ corporalis: quod ultrò & nos fatemur. An verò, in isto casu, possibilitas conservandi pudicitiam mentalem, sit possibilitas physica, quæ sit conjuncta cum impossibilitate morali; id nos contendimus, & de quo S. Præceptor nullam in hoc loco movet quæstionem.

Urgebis. D. Thomas [in 4. dist. 49. q. 5. art. 3. ad 4.] docet: *Si aliqua per violentiam oppressa fuerit, non amittit propter hoc aureolam; dummodò propositum perpetuò Virginitatem servandi inviolabilitèr servet, si illi actui nullo modo est consentiens; non tamèn per hoc Virginitatem perdit. Sed si hoc pro fide sustineat, hoc erit meritorium, & ad gradus martyrii pertinebit: Undè Lucia dixit: Si me invitum violari feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam: non quòd habeat duas Virginitatis Aureolas, sed quid duplex præmium reportabit: unum pro Virginitate custoditâ, aliud pro injuriâ, quam passa est*. Ergò Angelicus Doctor censet, esse possibile, servari mentis pudicitiam dùm amittitur corporis integritas.

Rt. Distinguo consequens. Censet esse possibile, physicè loquendo, concedo, nec ego negavi unquàm: Esse possibile, moraliter, nego, sicùt & negavit Sanctus Doctor [in 4. dist. 33. q. 3. art. 1. ad 7.] & [ibid. dist. 38. q. 1. art. 5. ad 4.] *Illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, si nullo modo consentiant* (en hypothesis physicè possibilis) *Virginitatis gloriam quoad Deum non perdunt. Sed quia valdè difficile est*, (en impossibilitas moralis) *quòd in tali delectatione aliquis placentiæ motus non insurgat; ideò Ecclesia, quæ de interioribus judicare non potest; quùm exteriùs corrupta sit, eam inter Virgines non velat. Undè Leo Papa dicit: Illæ famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbaricâ perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, & verecundiâ, si se incontaminatis non audeant copulare Virginibus*. Hoc idem docuerat [dist. 3. q. 3. art. 1. ad 7.] ubi loquens de violentèr oppressâ, concludit his apertissimis verbis: *Difficillimum est tali delectationi dissentire in statu illo; & ideò præsumptio videtur esse quòd consenserit*.

248. Verùm enimverò, si Sancta Mater Ecclesia privat velo Virginitatis suas filias violentèr, & barbaricè oppressas: Ergò certò judicat ipsas consensisse in stuprum vi illatum; nàm pro delicto incerto nequit justè imponere pœnam certam, & talem pœnam, quâ major Virginibus non potest dari; ut omnes

nes clamant Leges. At quâ certitudine Eccleſia id judicat? Non quidèm certitudine phyſicâ; hæc enim ſoli patienti, & Deo eſt nota, *qui ſcrutatur renes, & corda* [Pſalm. 7. v. 11.] Ergò ſolâ certitudine morali, quæ conſiſtit in æſtimatione Prudentum, quorum magiſtra eſt Sancta Mater Eccleſia. Igitùr ſi Sancta Mater Eccleſia prudentèr judicat, Virginem violentèr oppreſſam conſenſiſſe ſtupro, & damnat ad tantam, & talem pœnam: ipſa utiquè Virgo prudentèr judicabit, ſe conſenſuram violento Aggreſſori; ideòque tenetur eum occidere, ſi nequit alio modo evadere.

Inſurges moleſtior. Si puella (aut maſculus) violentèr aggreſſa ab Invaſore pudicitiæ, tenetur illum occidere, proptèr periculum certum moralitèr conſentiendi in delectationem, quam in actu ſtupri, adhùc nolens, ſentiet: Ergò etiàm, ob eamdem rationem tenebitur interimere ſeipſam, quandò non poteſt occidere nefarium illum: Atquì nefas eſt hoc: Ergò & illud. Sequela antecedentis currit pari paſſu, Min. ſubſumpta conſtat [Cap. *Placuit* 23. quæſt. 5.] & ex Concil. Bracarenſi [1. cap. 34.] & luculentiſſimè probat D. Auguſt. [de Civit. Dei cap. 17. & 20. & alibi] cum quo pugnant Doctores omnes.

249. R. Cum communi, nego ſequelam. 1. *Quià non ſunt facienda mala, ut veniant bona*. [ad Roman. 3. v. 8.] Svicidium autèm eſt ex ſe malum, contrà jus Divinum naturale. 2. Quià non licet committere malum certum, & præſens, ad vitandum malum incertum, & futurum. Et moltò minùs licebit eligere malum certum phyſicè, ad reprobandum malum certum tantummodò moralitèr. An autèm puella (aut maſculus) conſenſura ſit in ſtuprum vi illatum, eſt certum dumtaxàt moralitèr; Svicidium verò eſt malum phyſicè certum. Alias quoque rationes cumulant Theologi, quibus grandem aſſignant diſparitatem, intèr occiſionem ſui ipſius, & alterius, ob caſtitatem ſervandam; quas omnes referre tœdio afficeremur. Quandò igitùr puella non poteſt occidere Invaſorem ſuæ pudicitiæ, reſiſtat quantum ſcit virilitèr, ac ſtrenuè, tùm interiùs, tùm exteriùs: & deindè, nè malum committat, occidendo ſeipſam, recurrat ad Deum, qui potens eſt eam eripere, tùm de manibus illius impii, tùm à periculo conſentiendi; proùt confirmant exẽpla de Virginibus ſuprà relata.

250. Dixi, *cum communi*, quià D. Hieronymus, Ambroſius, Euſebius, quos ſequuntur Palladius, Sotus, & alii, apud Leſſium [de Juſt. & Jure l. 2. c. 9 dub. 6. n. 23.] laudant mulieres illas interficientes ſe ipſas, nè violarentur à Tyrannis. Nequè id tribuunt Divinæ inſpirationi (ut communitèr Doctores tribuunt) ſed laudant factum. Videatur Leſſius præcitatus.

Argumentum iſtud principale adverſariorum, & repetitas retuli inſtantias; ut magìs, ac magis ex ſolutione tòt objectorum eluceſceret veritas noſtræ aſſertionis. Cæterùm, adhùc data opinione, quòd violentèr aggreſſa, ſeù aggreſſus, nec tenetur, nec poteſt occidere Aggreſſorem ſuæ pudicitiæ, & conſequentèr multò minùs ſeipſam; non indè ſequitur, quòd non teneatur aliis modis internis, & externis reſiſtere poſitivè, virilitèr, ac ſtrenuè hujuſmodi Invaſori; pro-

Digitized by Google

ut deduco ex Eminentiſſimo Lugo [de Juſt. & Jure diſp. 10. ſect. 10. n. 198. in fine]. Itàque non inutilitèr has contrarias addidimus rationes; multùm enìm ſolutiones earum deſervient ad roborandam noſtram concluſionem: & ut cum veritate canere poſſimus cum Davide (Pſalm. 62. v. 12.) *Et obſtructum eſt os loquentium iniqua.*

REFLEXIO.

PPoſteaquàm Jeſus Chriſtus Dominus, & Magiſter noſter Virginitatem ſummis extulit laudibus, eamque fore poſſibilem rationibus oſtendit Divinis: ac demùm refellit adverſariorum objecta: inſtitutam clauſit orationem his verbis [Matth. 19. v. 12.] *Non omnes capiunt verbum iſtud.... Qui poteſt capere capiat.* Ego verò non præſumo iiſdem Æternæ Sapientiæ verbis meæ Sectioni finem imponere. Si qui ergò Sacræ Scripturæ Oracula, Patrum Teſtimonia, & rationum monumenta fusè relata, non capiunt: Vel, *quià videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.* (Matth. 13. v. 13.) Vel, quià conſcii de tenuitate mei ingenii, ac de innumerabilibus, quibus ſcateo imperfectionibus moralibus, dicent mihi [Joann. 9. v. 34.] *In peccatis natus es totus: & tu doces nos?* Quicumque ſint illi, qui nolunt me audire, conſulant doctiores. Omnes tamèn reſpectivè, obſecro, tùm eos, qui conſilium petent ab aliis Theologis: tùm ipſos Theologos, qui ſententiam ferent, ut præ oculis habeant monita ſequentia.

MONITUM I.

EX LIBRO EXODI 23. v. 2.

NOn *ſequèris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies;*

MONITUM II.

251. EX D. Laurentio Juſtiniano. De Caſto Connubio cap. 1. „ Miles omnis Chriſti ſibi diſſueſcat credere, propriumque judicium dubiè tenens, „ judicio ſe totalitèr committat „ alieno; non autèm cuiquam ſe „ ſubdat, ſed illi tantùm, cui conſulendi divinitùs conceſſum eſt „ donum. Talis verò eſſe debet, „ qui alteri conſilium tribuet, ut „ ſeipſum formam aliis præbeat ad „ exemplum bonorum operum, in „ doctrinâ, in integritate, in gravitate, ut ſit ſermo ejus ſalubris, „ atque irreprehenſibilis, conſilium „ utile, vita honeſta, & ſententia „ decora. Nàm, qui ſibi ipſi conſulere ignorat, quomodò alteri „ utilis erit? Quis enìm prudentem „ eum cauſæ alienæ judicabit, „ quem inutilem cernit vitæ ſuæ? „ Quis autèm in cœno fontem requiret? Quis de turbidâ aquâ potum

Digitized by Google

„ tum petet? Itaque ubi intempe-
„ rantia, ubi dominandi libido, ubi
„ motum inordinatio, ubi confuſio
„ vitiorum; quis ſibi indè aliquid
„ ſalubre hauriendum exiſtimabit?
„ Nàm, qui ſibi nequam eſt, cui bo-
„ nus erit? Suprà nos itàque eſſe
„ debet, cujus nos conſilio com-
„ mittere debemus. An verò ido-
„ neum putabimus vacare nobis,
„ qui non vacat ſibi, cujus animum
„ voluptas occupat, libido devin-
„ cit, cupiditas perturbat, deva-
„ ſtat ira, & negligentiæ torpor he-
„ betat? Impudica quidèm vita fa-
„ mam commaculat, & vitiorum
„ deformitas conſulentis auctori-
„ tatem interimit. Advertamus
„ igitùr, quòd in acquirendo con-
„ ſilii dono, plurimùm adjuvet vi-
„ tæ probitas, virtutum præroga-
„ tiva, benevolentiæ uſus, & ſa-
„ pientiæ gratia. Hæc Sanctus Pro-
topatriarcha Venetus.

MONITUM III.

EX SIERI DE SACR. POENITENTIÆ.

252. „ MOneo Confeſſarios,
„ ut omninò curent,
„ quòd illi, quorum conſcientias
„ dirigunt, vivant cautè in uſu opi-
„ nionum etiàm probabiliorum;
„ poteſt enim accidere caſus, quòd
„ aliqua opinio conſiderata præci-
„ ſa à circumſtantiis, appareat tu-
„ ta; & tamèn hic, & nùnc non ſit
„ tuta in praxi: vel ex eo, quòd in
„ praxi ſit tractiva alicujus incon-
„ venientis; adeòque illa eadem
„ virtus, quæ prohibet illud incon-
„ veniens, prohibet etiàm hìc, & ac
„ nùnc uſum illius opinionis. Vel
„ poteſt accidere, quòd uſus ali-
„ cujus opinionis in praxi impediat
„ aliquod medium unicum ad ob-
„ ſervantiam alicujus virtutis, ad
„ quam tenemur ex præcepto: illa
„ quidèm virtus obligat, ne dedu-
„ catur in praxim illa ſententia.
„ Vel poteſt accidere caſus, quòd
„ uſus alicujus opinionis ſit cum pe-
„ riculo ruinæ animæ. Hujuſmodi
„ ſententiarum uſum, & reverentia
„ erga Deum, & amor propriæ
„ ſalutis æternæ impediunt. V. G.
„ Qui probabiliter credit, ſe com-
„ miſſurum peccatum, ſi tali, vel
„ tali occaſioni ſe exponat: nequit
„ ſe illi occaſioni committere; li-
„ cèt etiàm probabiliter judicet,
„ nullum patraturum peccatum;
„ nàm hoc ſecundum judicium po-
„ teſt eſſe fallax; ac propterea, qui
„ eo duceretur, traheretur ad pe-
„ riculum ruinæ; ut meritò, ac re-
„ ctè diſcurrunt communiter Scho-
„ laſtici contrà paucos. Ità ille, apud Felic. Poteſt. [Exam. Confeſſ. part. 4. de Poenit. cap. 5. n. 3659.]

Qui facit hæc, non movebitur in æternum. Pſalm. 14. v. 5.

SE-

Digitized by Google

SECTIO III.

An Tentatio Carnis gravissima, & vehementissima, possit vim inferre Voluntati, & ipsam violenter trahere ad consensum.

253. HÆc semper fuit Hæresis clàm, serpentis tessera perfectissima, tàm illotis manibus, tamque impurato calamo Divinas tabulas, ac Sacrosancta temerare Chirographa; ut modò in suam effrænatissimam pertrahunt sententiam Canonicarum Scripturarum locas nunc verba ipsis clanculum detrahunt: nunc ex destinato addunt: interdùm literam sequuntur, ubi litera occidit: interdùm fugiunt, ubi eam sequi debemus. Semper tamen non alio Duce, ac Doctore, quàm proprio judicio suggerente, in Sacram Paginam, sub germanæ, quam jactabundi pollicentur, expositionis specie, grassantur. Verùm, quod est gladius ad vaginam, granum ad aristam, unio ad conchilyum, Anima ad Corpus: hoc est sensus genuinus ad ipsa verba Sacræ Scripturæ. Si hunc sensum tollis, & alienum substituis, jàm exanimas ipsam Scripturam; imò pro animâ propriâ, quam ei avellis, spuriam ipsi substituis. Undè D. Hieronym. [in cap. 1. Epist. ad Galat.] præmonuit: *Tunc Scriptura utilis est audientibus, quùm absquè Christo non dicitur, absquè Patre non profertur, & sinè spiritu non eam insinuat ille, qui prædicat. Alioquì & Diabolus, qui loquitur de Scripturis, & omnes hæreses, secundùm Ezechielem, indè sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis.*

Quùm igitùr Apostolus dixerit [ad Roman. 7. vi. 17. & seqq.] *Non enim, quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autèm quod nolo illud facio, jàm ego non operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim, quià non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum. ... Invenio igitùr legem, volenti mihi facere bonum, quoniàm mihi malum adjacet. Video autèm aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis &c.* His, inquam, verbis Pauli Hæretici abutentes, fœditates suas defendere conantur.

254. Hinc Manichæi docuerunt, in homine duas esse Animas: bonam unam, à quâ Virtutes: alteram malam, à quâ Vitia emanant. Sic in uno, eodemque homine sunt quasi duo homines: interiorem unum, alium exteriorem.

255. Illiricus rigidissimus Lutheranus ait: Interior homo est Anima, & Spiritus Dei: Exterior homo est peccatum originale, quod, quasi forma substantialis, afficit Animam. Putat namque iste delirans, peccatum non esse accidens; sed formam, & quamdam substantiam tetram, & horridam, ac talem, qualem vulgò depingitur Diabolus.

256. Calvinus putavit: Interior homo est superior pars Animæ, sivè mens consentiens legi Dei: Exterior est eadem mens, quatenùs concupiscit mala. Existimat enim,

quòd in eâdem omninò Animæ portione, & facultate est hæc pugna; ideòque homo etiam justus, simpliciter loquendo, tàm est peccator, quàm justus. Hæc doctrina sequitur ex altero ejusdem Calvini principio, quo reipsâ verè, & propriè homini adimit partem superiorem, nempè Rationem, & liberum arbitrium. Tunc enim necessariò sequitur, quòd in parte inferiori tàm dominetur concupiscentia, quàm virtus: & quòd hæc pars inferior, non reipsâ, sed nominè tenùs, dividatur in superiorem, & inferiorem.

257. Tandèm Pseudo-Mystici nostri ævi, qui gloriantur de nomine Christi, sed non vivunt in Christo: qui ostentant se Zelatores Fidei, & Perfectionis Catholicæ; reverà tamèn sunt inimici Crucis Christi, & ii, quos prædixit Apostolus Petrus [2. Epist. cap. 3. v. 3.] *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxtà proprias concupiscentias ambulantes*. Novatores hi docent, non quidèm palàm, sed occultè: in Confessionario, & non omnes, sed aliquos suos filios, ac filias spirituales: in conferentiis secretis, non autèm ex suggesto: oretenùs, & non scripto; Nàm [Joan. 3. v. 20.] *Omnis, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus*. Docent, inquam, concupiscentiam vehementissimam violenter trahere Voluntatem ad consensum: in quo nullum est peccatum, quià Voluntas est invita, & Tentatio Irresistibilis. At quàm callidè, ac temerè loquantur cum ipsis hostibus Religionis Orthodoxæ, mox patebit.

258. Verùm enimverò pro rectâ intelligentiâ textus allati, advertò ex Cornelio à Lapide [in hunc locum]. Quòd in homine una tantummodò est Anima, quæ simùl Rationalis est, & Sensitiva: quæ, post privationem justitiæ originalis, una pugnat contrà aliam, idèst, ipsa Anima una secum pugnat contrariis appetitibus, etiàm in homine justificato; adeòut ex operationibus ejus duplex in homine videatur esse Anima, & duplex homo. Hujus rei causa est, eminentia Animæ Rationalis, quæ virtute suâ continet animam Sensitivam, & Vegetativam: & facit in homine unicam Animam, quòd in tribus, plantâ, equo, homine faciunt tres Animæ, idèst, Vegetativa, Sensitiva, & Rationalis.

Indè unus, idemque est homo; sed ratione diversarum affectionum, & operationum, dicitur *Exterior*, vel *Interior*. Apostolus vocat hominem *Interiorem*, nunc *Novum*: nunc *Renovatum* à Christo: nunc *Spiritualem*: nunc *Mentem*. *Exteriorem* hominem appellat *Animalem*: Veterem, quem scilicèt traximus à veteri Adamo: *Carnem*, vel, *Membra*, synecdochicè, & metonymicè; quià, nimirùm, maximè vim suam ostendit in carne, membris, & appetitu sensitivo. Hæc enim corruptio derivata ex carnali Proto-Parente, maximè se pandit, & exerit in carne, ac desideriis carnalibus: imò per ea sollicitat, & commovet animam; quamvis propriè resideat in Animâ.

259. Itàque *homo Interior* est mens: vel apriùs, ipse homo imbutus, & vivens Gratiâ, Charitate, & Spiritu Dei: cujus Anima, est Gratia, & Charitas: cujus Lex, est Lex Divina, ejusque dictamen. V.G. *Esto castus, sobrius, humilis,*

obe-

Digitized by Google

obediens, Deum time, & ama. Cujus operatio vitalis est, *Deum amare, colere, obedire &c.*

260. *Exterior*, sivè Vetus homo, est Concupiscentia, seù Vitiositas insidens omnibus Animæ potentiis, ipsique etiam menti, & voluntati; Vel, est mens, seù potiùs, ipse homo omnibus suis potentiis vitiatus, & corruptus. Hujus Anima, est Concupiscentia: hujus Lex, est vitiosa inclinatio; vel, aliquod dictamen concupiscibile contrarium Legi Dei. V. G. *Fornicare, superbire &c.* Hujus operatio vitalis, est *concupiscere delitias, honores &c.* Homo igitùr Exterior, & Concupiscentia est in Animâ, Voluntate, & Mente; sed quâ parte naturalitèr agunt, & in objecta sua feruntur motu naturali. Virtus verò, & homo Interior, est in Animâ, Voluntate, & Mente; sed quâ parte utitur ratione, & libertate, atque dominatur suis actibus, ipsique Concupiscentiæ; maximè quùm Gratiâ Dei pollet.

His prænotatis ex sanâ Theologiâ, haùd erit incongruum, etiàm præmittere explanationem præallati textus Apostoli: & nè nimis prolixa evadat Sectio, contenti erimus de solâ expositione Reverendissimi Patris D. Augustini Calmet, qui, intèr Sacros Interpretes, nemini fuit secundus, signantèr quoad sensum literalem.

261. *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. „ Si „ concupiscentiæ me in malum „ pertrahenti resisto, non amplius „ hæc mala desideria foveo, quæ in „ interiori cordis mei parte insurgunt, & quæ in malum propellunt, versus quod studio quodam propriâ sed ea fovet, *quod habitat in me peccatum*: hoc est, „ Concupiscentia, quæ in me omnia mala parit, quæ abominor, „ quæ ægerrimè patior. Ideòque „ Deus illa mihi imputare minimè „ potest, quià accidunt prætèr „ voluntatem. Sed quemadmodùm „ mors adstat in limine consensus: „ nequè domestico huic inimico „ resistere possum, citrà supernaturale subsidium; teneor in jugi „ prælio versari, in terrore, vigilantiâ, ac perenni oratione. Domesticum hoc prælium, atque interiora certamina, nobis bellè „ exhibentur in vitâ omnium Sanctorum, qui, tùm antè, tùm post „ Jesum Christum vixere; omnes enìm salutem suam cum timore, „ & tremore operati sunt.

Scio enìm, quià non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. „ Quùm Paulus ait, se carnalem „ esse: se venundatum sub peccato „ in malum: se malum facere, quod „ odit; de seipso loquitur, quatenùs in peccato conceptus, natus „ filius iræ, concupiscentiæ traditus fuit. Hoc tamèn minimè officit, quominùs, favente Deo, „ virtutem exercere possit: & Sanctus Spiritus valeat illius mentem illustrare, ut bonum cognoscat, atque in voluntatem illius „ victricem ergà virtutem propensionem immittere. Homo justificatus, licèt coràm Deo purus, „ & innocens sit, debet semper fateri, ex semet nihil habere, nisi „ peccatum, & concupiscentiam, „ quæ in ipsomet radicem posuit, „ atque ipsum jugitèr in malum „ propellit: itaùt, si Dei auxilium „ desisteret, cupiditatis suæ conatus superare minimè posset. Verùm, nequè hæc concupiscentia,

„ ne-

„ nequè hæc incomposita desideria
„ evertunt libertatem, aut pote-
„ statem bonum operandi, quùm
„ Cœlestis adsit Gratia. Quantum-
„ vis per originale peccatum cor-
„ ruptus sit: & licèt liberum arbi-
„ trium sit infirmatum; Concupi-
„ scentia tamèn illud non necessa-
„ riò in peccatum trahit, statimac
„ deficit Gratia. Homini semper
„ integrum est, & Concupiscentiæ
„ & Gratiæ reluctari; (N.B.) quan-
„ tumvis vehemens sit utriusque
„ Vis, ut illum in bonum, vel in
„ malum impellant.

Invenio igitur legem. „ Lex
„ hæc est concupiscentia intra nos-
„ metipsos decertans, atque bono,
„ quod efficere vellemus, sese op-
„ ponens. Ità quùm bonum effice-
„ re studeo, experior hanc pugnam,
„ quæ in meipso cietur: & intelli-
„ go, *quoniam mihi malum adjacet:*
„ In carne meâ residet concupi-
„ scentia, & ex meipso nihil boni
„ conari possum, nisi supernaturale
„ Dei auxilium adfuerit. Non quòd
„ necessitas inevitabilis (N.B.) ma-
„ li efficiendi me urgeat; hæc enim
„ mihi minimè impendet, ac sem-
„ per, Deo favente, pravæ concu-
„ piscentiæ resistere possum: &
„ nunquàm ab illâ me trahi patior,
„ nisi volens; sed propriis viribus
„ nunquàm efficacitèr bonum am-
„ plecterer, atque in statu infir-
„ mitatis, & corruptionis, in quo
„ versor, nonnisi inutiles, inanes-
„ que conatus exercerem.

Captivantem me in lege peccati. „ Lex peccati S. Joannis Chry-
„ sostomi sententiâ, imperium est,
„ atquè violentia peccati. Verùm
„ nè credas, (N.B.) hanc peccati
„ legem, sub quâ tamquàm in
„ quamdam captivitatis speciem
„ redacti sumus, talem esse, ut ne-
„ cessariò, atquè ità, ut id evitare
„ minimè possimus, in malum tra-
„ hamur, & sinè electione, ûnè li-
„ bertate peccemus. Hæ senten-
„ tiæ S. Paulo adversantur, & dam-
„ nantur ab Ecclesiâ.

„ Captivitas, de quâ hic agi-
„ tur, designat dumtaxàt eam ne-
„ cessitatem, quâ tenemur jugitèr
„ experiendæ vis hujus concupi-
„ scentiæ nos sollicitantis, sed non
„ cogentis: (N. B.) impellentis,
„ sed necessitatem minimè impo-
„ nentis: quærentis nos in capti-
„ vitatem asserere, sed nonnisi ubi
„ velimus id evincentis. *Magnæ*
„ *ex parte id patiebar invitus, quod*
„ *faciebam volens*; ait S. August.
„ [Confess. lib. 8. cap. 5.] Lex pec-
„ cati, ex ejusdem sententiâ, est vis
„ habitus, quo anima victa, & ca-
„ ptiva tenetur. *Ex perversâ vo-*
„ *luntate facta est libido, & dum*
„ *servitur libidini, facta est consue-*
„ *tudo, & dùm consuetudini non*
„ *resistitur, facta est necessitas.* Et
„ mox. *Lex peccati est violentia*
„ *consuetudinis, quâ trahitur, &*
„ *tenetur etiàm invitus animus, eo*
„ *merito, quo in eam volens dila-*
„ *bitur.* Hæc celeberrimus Calmet.

Doctrina ista est ipsissima, quam omnes tradunt Catholici, & sufficit ad exprobrandam Hæreticorum, & Pseudo-Mysticorum impudentiam: & quâ eorum unicuique objicere possimus cum Regio Prophæta [Psalm. 49. v. 19.] *Os tuum abundabit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos.*

Nihilominùs, ut graviori suffundantur pudore, & radicitùs evellamus ipsorum zizania, præmitto ex D. Thom. [1. part. q. 81. art. 2.] *Quòd, quùm verum sit, appetitum bo-*

Digitized by Google

hominis muneri ob imaginativâ, vel cogitativâ, quæ dicitur ratio particularis: & hæc dirigatur, & gubernetur per imperium universalis rationis, sivè Intellectus; manifestum est, quòd appetitus sensitivus hominis subjici debet Intellectui, quasi rationi universali.

262. Hujusmodi autèm subjectio est duplex: una *Dispotica, & Servilis*: alia *Politica, & Civilis*. Subjectio *Dispotica, & Servilis* contingit, quando ille, qui subjicitur, non est liber ad se non subjiciendum, sed omninò obedit coactus. Ità Servus Domino. Subjectio *Politica, & Civilis* evenit, quando is, qui subjicitur, quamvis adsit ratio se subjiciendi, liber tamèn est, & non coactus ad obediendum, & si velit, potest resistere præcepto. Ità Civis Regi; Filius Parenti.

263. Verùm, Appetitus sensitivus subjicitur Rationi subjectione Politicâ, & Civili; non autèm Dispoticâ, & Servili; siquidèm, ante lapsum primi parentis, Subditus erat obediens; sed posteà, excusso servitutis jugo, rebellis versus est contrà Rationem; ideòque arte, & industriâ venit subjiciendus.

264. Quomodò verò id fieri valeat, reminisci debemus eorum, quæ de Sensu communi docent Animastici: nempè, quòd Appetitus sensitivus, quùm sit cœcus, illuminatur, & ducitur per Phantasiam: sicùt Appetitus Rationalis per Intellectum. Quapropter, dùm Intellectus intendit subjugare Appetitum Sensitivum circà illa objecta, in quibus malè, & deordinatè versatur, recurrere oportet ad Sensum Communem, seù Imaginativam: ibique repræsentare rationes majoris boni &c. quibus convictâ Imaginativa suadere possit Appetitui Sensitivo, ut amplectatur intentum rationis, seù Intellectus. Quæ quidèm omnia agere potest Intellectus, tùm ob suam nobilitatem: tùm quià est directivus aliarum potentiarum.

265. Eodemque modo potest Voluntas subjugare Appetitũ Sensitivum, idest, medio Intellectu, cui, velutì Domina, & Regina, potest imperare; estò Appetitus Sensitivus interdùm persistat rebellis, & contumax. Iste namque Appetitus, quùm sit brutalis, nec quærat in objecto bonitatem intrinsecam, & formalem; sed extrinsecam, & materialem delectationem, frequentèr non acquiescit rationibus Intellectus, & Phantasiæ; sed, ad instar Equi effrænis, præceps impingit in carnalitatis scopulum. Hinc in vehementibus concupiscẽtiæ passionibus, interdùm recurrere oportet ad alia media, ut compescantur.

266. Principale autèm, & facilius est; ut Appetitus Sensitivus desistat ab opere, & delectatione illicita: si dùm Intellectus per nullas potioris boni rationes potest illum sedare, sese conferat, majori intensione, quâ potest, in aliud diversum objectum v. g. in Deum, in Gehennam, in studium &c. Nàm quùm vires Animæ sint valdè limitatæ, & opus potentiarum superiorum sit intensius, & efficacius ad sibi assumendas omnes Animæ vires; indè ad se ità trahet, quòd ferè nullæ remaneant in Appetitu Sensitivo: & sic iste manebit, saltèm remissus & debilis, vel omninò extinctus. Id patet exemplo illius, qui diebus jejunii sic est tentatus ad frangendum jejunium, quòd nullâ obli-

Digitized by Google

obligatione, vel ratione poſſit vincere paſſionem: at ſi tunc in ſtudio, vel alio opere intensè occupatur, brevi tempore jejunii obliviſcitur, & prandii: nec ullam conſervat illius paſſionis memoriam. Et hic eſt potior modus, ut ſæpiùs diximus, ſubjugandi Appetitum Senſitivum, maximè in tentationibus impuris.

Pulſante igitùr vehementi Carnis Tentatione, debet Anima in Deo, aut in alio objecto bono, ſeù indifferenti, quantò intenſiùs valeat, occupari. Hoc modo ardor concupiſcentiæ, ad inſtar lucernæ, quæ oleo deficiente langueſcit, & tandèm extinguitur; ità deficiente concurſu Intellectus, & Voluntatis, tepeſcit, frigeſcit, evaneſcit: tantòque ejus vires deſunt, quantò Anima in alio objecto intenſiùs defigitur.

267. Ex his infertur. 1. juxtà ſententiam D. Thom. [1. 2. q. 17. art. 7.] quæ eſt etiam doctrina Fidei, quòd motus Appetitus Senſitivi, partìm ſubjacent imperio rationis, & voluntatis: partìm non ſubjacent. Sanè ſubjacent ex eâ parte, quâ ſenſus, & imaginatio ſubjacent imperio Voluntatis; nam Appetitus Senſitivus non movetur, niſi per imaginationem, & potentias ſenſitivas; indè, quùm imaginatio, & cogitatio aliquo modo ſubſint imperio Voluntatis, conſequentèr Appetitus ſenſitivus etiam ſubditur Voluntati. At quia interdùm non poteſt Voluntas ſuo imperio tollere apprehenſionem imaginationis, tũc nec poteſt impedire motum Appetitus Senſitivi. Quòd patet in his actibus, qui omninò prævenium uſum rationis, & advertentiam: ac etiam in illis, quæ inſurgunt ex reali præſentiâ objecti, vel alteratione aliquâ naturali ipſius corporis. Siquidèm eâ actione durante, non poteſt homo per imperium impedire œſtrum Phantaſiæ; hæc enim potentia neceſſariò agit, quandò à ſuo objecto actu movetur. Et hæc eſt ratio, per quam dolor Appetitus Senſitivi non pendet à Voluntate, quandò actu ineſt cauſa doloris: Simile eſt de Voluptate.

268. Prætereà, etiam quandò actus Phantaſiæ non procedit ex motione objecti exterioris, contingere poteſt, ut Voluntas non poſſit illum amovere. Nàm ipſa motio interior imaginationis, quæ ſæpè fit per alterationem naturalem humorum, & ſpirituum vitalium: vel per operationem alicujus extrinſeci agentis v. g. Angeli, aut Dæmonis; poteſt eſſe tàm vehemens, & importuna, ut Voluntas non poſſit, quantum vellet, & ſuo arbitrio illam depellere. Ratio eſt, quia etiam tunc dependet ex actuali motione objecti, quamvis interiùs facta: quam motionem nequit Voluntas pro arbitrio impedire.

269. Sciendum tamèn eſt, & valdè notandum, quod ratio, & voluntas, quamvis imperando cohibere nequeant hos motus; poſſunt tamèn illos moderari, ſi rebus aliis attendant; prout ſæpè advertimus cum communi Doctorum. Quinimmò tanta eſſe poteſt attentio Intellectus circa aliam rem, ut omninò impediret apprehenſionem imaginationis, ac etiam actualem dolorem, & voluptatem. Eſto id non fieret vi imperii, ſed proptèr ſeparationem virtutis. Undè dicitur de Abulenſe, quòd aliquamdiu noctis tempore ità profundè literarum ſtudio incubuit, ut nec ſentiiſſet ardorem candelæ accenſæ, quæ ſu-

Digitized by Google

super ejusdem maxillam casu decidit, hancque combussit: quâ de causâ sortitus est cognomen *Tostatus*, hyspanicè *Tostado*, quòd latinè dicitur *Exustus*.

270. Infertur 2. Quandò apprehensio imaginationis, & motio appetitus, non procedit ex actuali motione objecti, potest Voluntas & revocare imaginationem ad aliud objectum, & impedire motum appetitus; ut patet experientiâ. Ratio est, quià Voluntas est generale principium actuum humanorum, & ipsius est perspicere universalem finem hominis, & quidquid est illi conveniens, & præcipere Intellectui, ut etiàm id magìs ostendat.

271. Sed advertere oportet, quòd efficacia hujus imperii solùm ex necessitate habet vim, quamdiù ipsa Voluntas actu movet, & Intellectus advertit; quià statìmac Voluntas cessat, Phantasia, & Appetitus reverti possunt ad suos actus.

272. Infertur 3. Quandocumque Voluntas efficacitèr imperat Appetitui Sensitivo, ut appetat appetitione absolutâ, vel fugiat aliquod objectum, Appetitus sempèr, & necessariò obedit. Siquidèm isto modo nos movemus nosmetipsos, & aggredimur res, etiàm repugnantes ipsi Appetitui: quæ tamèn motio proximè fit per Phantasiam, & Appetitum. Ratio est: quùm isti Appetitus sint in eâdem Animâ, oportuit naturâ suâ esse subordinatos modo jam dicto; nàm multitudo sinè ordine parit confusionem; & propterea appetitus inferior habet naturalem propensionem ad obediendum superiori: etiàm contrà propriam, & peculiarem inclinationem. Sicutì levia, & gravia moventur ad replendum vacuum extrà sua loca naturalia.

273. Nec id contradicit iis, quæ paulò antè dicebamus, quòd scilicèt, sæpè volumus non concupiscere, & non possumus. Porrò ista motio quando fit, non erit sinè judicio phantasiæ; hæc enim, etiàm tunc necessitatur ad judicandum, id esse conveniens homini, adhùc secundùm corpus. Si tamèn objectum doloris, aut voluptatis sit præsens, nequit Voluntas imperare, ut non sequatur dolor, aùt voluptas; potest tamèn imperare Appetitui, actu absoluto, ut non repugnet illi dolori, aut voluptati, sed in eo persistat. Verum quoquè est, sæpè Voluntatem non posse omnem tollere repugnantiam Appetitus; quià sæpè manet in eo actus quidam quasi naturalis, qui est imperfectus, & explicatur hâc voce, *Nollem*; & cum hac repugnantiâ stat, actu absoluto appetere. Et quantùm ad istum actum dicimus necessariò obedire: cujus signum est, quòd sempèr ex illo actu sequitur in homine motus juxtà imperium Voluntatis.

274. Ex dictis intelligitur id, quòd Aristoteles [1. Polit. cap. 3.] ait: *Appetitum obedire voluntati principatu politico*. Idèst, quià Appetitus Sensitivus sempèr potest resistere, & repugnare; non quià existente voluntate absolutâ, non sit necessarium appetitum obedire: sed quià, non obstante voluntate, potest appetitus per modum naturæ, per actum quidèm inefficacem inclinari in objectum contrarium. Ex quâ repugnantiâ paulatìm fit, & non rarò, ut appetitus inferior alliciat appetitum superiorem,

Digitized by Google

rem, eumque trahat, ut secum consentiat: eo modo, quo Subditus potest interdùm trahere Dominum in sui sententiam, ut notat D. Thom. [q. 3. de malo art. 9. ad 14. & 1. & 2. q. 9. art. 2. ad 3.] Verùntamèn si Voluntas perseverare vult, semper vincet. Imò ex consuetudine fieri potest, ut pars inferior minùs resistat. Ratio est, quia dùm ipsæ actiones usu fiunt jucundiores, ipsa utique imaginatio apprehendit objecta à ratione proposita, ut facilia, & sibi etiam convenientia.

275. Indè Medina [in 1. 2. q. 17. art. 7.] concludit: „ Demùm dico, quòd ablatis impedimentis corporis, in potestate nostrâ, & arbitrio est positum, excludere imaginationes turpes, & sumere alias meliores, propter imperium perfectum rationis, & voluntatis. Contingit tamèn interdùm in hominibus negligentibus (N.B.) quòd persistant istæ imaginationes importunæ, & dicant, se illas pati, & mentiuntur; nam hoc accidit ex negligentiâ, & socordiâ, & ex imperio imperfecto, & minimè serio. Cui adhæret Gregor. Martinon. [in 1. 2. q. 17. art. 7. dub. 1. pag. *mihi* 834.] ubi sic congruenter loquitur: „Si imperium sit perfectum, & perseverans, potest „ removere passionem, & actum „ appetitus, licèt immediatum effectum talis qualitatis impedire „ non possit. Verum est, hoc esse „ difficile; nihilominùs per perseverantiam hoc potest facere; imò „ & qualitatem ipsam destruere, „ per causalitatem contrariæ qualitatis. Undè cautè procedant „ Confessores (N. B.) non de facili admittentes passiones venereas, vel distillationes, cum excusatione, quòd hæc sit infirmitas, & naturalis complexio, & „ quòd non sit in suâ potestate.

276. Deniquè advertendum, *Voluntarium* dividi in *Elicitum*, *Imperatum*, & *Imputatum*. *Voluntarium Elicitum*, seù actus voluntatis elicitus, est omnis actus voluntatis, ex prævià cognitione, & ab ipsâ voluntate immediatè productus, in eâque, velùt in subjecto manens. Ut: *velle*, *nolle*, *amare*, *odisse*, *consentire*, *dissentire*, *imperare*, *revocare* &c. *Voluntarium Imperatum*, sivè actus voluntatis imperatus, est omnis actus non immediatè productus à voluntate, sed benè ad ejus imperium, ordinationem, consensum &c. factus ab aliis potentiis, putà ab Intellectu, à Phantasiâ, ab Appetitu Sensitivo, à Sensibus externis, à Potentiâ locomotivâ. Ut: voluntate imperante aliquid *cogitare*, *credere*, *ambulare*, *bibere* &c. *Voluntarium Imputatum*, quod vocant *Interpretativum*, dicitur omne id, quod nec immediatè fit à Voluntate, neque ab eâ positivè, directè, vel expressè imperatur, aut est volitum; sed ob aliquam rationem, nimirùm, vel, quià homo ad id voluntariè causam dedit, ut fieret: Vel, quùm potuisset, & debuisset impedire nè fieret, non impedivit; ideò imputatur Voluntati, & interpretatur voluntarium: & dicitur *Voluntarium Interpretativum*, *Indirectum*, & *Tacitum*.

His solidissimis jactis fundamentis insurgit.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

277. COncupiscentia, quantumvis vehemens, seù gravissima Carnis tentatio, nequit vim inferre Voluntati, & hanc violentèr trahere ad consensum. Est de fide contrà Calvinum, Lutherum, & Pseudo-Mysticos hujus ævi.

REFRAGANTUR SACRÆ PAGINÆ.

GEnes. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus ejus: & tu dominaberis illius*. Calvinus, nè cogatur ex hoc loco admittere, liberum arbitrium dominans peccato, & concupiscentiæ; censet, pronomen *ejus* referre Abelem, non autem peccatum; itaùt sensus sit: Nè, o Cain, invidias Abel fratri tuo juniori; nàm ipse in tuâ potestate permanebit, & tu dominaberis, tamquàm primogenitus.

Ast, quis nescit, nullam de hoc loco de Abele factam esse mentionem? ac proindè ly *ejus* nequit referre Abelem. Hinc Arabicus clarè legit: *In electione tuâ appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Electio autèm est actus proprius liberi arbitrii, per quem dominatur suis actionibus. Targ. Hierosolymitan. sic vertit: *In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominaberis ei, sivè ad bonum, sivè ad malum*.

Cornel. à Lapide. *Et tu dominaberis illius*. „ Tu (illius Concupiscentiæ) dominari potes, ideò„ que debes: si enìm non posses, „ nec deberes; Deus enìm non„ præcipit impossibilia. Nota hìc, „ quantùm sit dominium Voluntatis, non tantùm in motus, & actiones externas, sed etiàm in appetitus, & passiones internas. Sortitus licèt æstus Choleræ, aut libidinis maximos, voluntate tuâ „ forti, & constanti iis renitere„ dicitoque: Nolo iis consentire: „ ii mihi displicent: eos detestor: „ & dominaberis Choleræ, ac Libidini: erisque coràm Deo, & hominibus non cholericus, sed „ mansuetus choleræ domitor: non „ incastus, sed castus libidinis victor. Tanta est vis, & imperium „ Voluntatis.

Tyrinus. „ Facilè evaseris omnem pœnam, si ut liberi es arbitrii, volueris concupiscentiæ, & „ appetitui tuo, tamquam mancipio rebelli, dominari, & resistere; nàm, invitare te possunt passiones, & appetitus tui ad culpam, sed cogere non possunt.

Calmet. Plerique PP. Aug. lib. 15. de Civit. cap. 7. Ambros. de Cain. lib. 2. cap. 6. 7. Bernard. serm. 5. de Quadrag. Hieronym. quæst. Hebr. & alii passìm. Syriac. Arab. Targ. Hierosolym. alii Interpretes plerique omnes ità intelligunt: Peccatum ad te convertetur: præstò erit semper, ut te aggrediatur; sed si volueris, obsistere poteris. Vel: Ipsum tibi se offeret: ad invitum te accedet: funestos concupiscentiæ motus experieris. Tuum erit, vel admittere, vel rejicere: tibi erit integrum sequi, vel adversari propensionis tuæ motibus, qui te in crimen alliciunt.

Eccl. 5. v. 2. *Ne sequeris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui*.

Digitized by Google

Idem 18. v. 30. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & á voluntate tuâ avertere.*

Idem ibid. v. 31. *Si præſtas animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*

Prov. 36. v. 22. *Cor pravum dabit triſtitiam, & homo peritus reſiſtet illi.*

Ad Titum 2. v. 12. *Abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.*

1. Petri 2. v. 11. *Chariſſimi, obſecro vos, abſtinere vos á carnalibus deſideriis, quæ militant adverſùs animam.*

INCULCANT SS. PATRES.

DIvus Auguſt. [in Epiſt. ad Galat. 5. n. 46.] *In hâc vitâ, etiamſi exiſtant deſideria carnis de mortalitate corporis; tamèn mentem ad conſenſionem peccati non ſubjugant.*

Idem [lib. 2. contrà Julian.] *Jám nè diſcernis, jàm nè perſpicis, jám nè reſpicis & in baptiſmate fieri omnium remiſſionem peccatorum, & cum baptizatis quaſi civile bellum interiorum remanere vitiorum? Non enìm talia ſunt vitia, quæ jàm peccata dicenda ſint, ſi ad illicita opera ſpiritum concupiſcentia non trahat, & concipiat, pariatque peccatum: paſſiones ſunt, vitia ſunt, frænanda, cohibenda, ſananda ſunt; ſed dum curantur infeſta ſunt.*

Idem [in verba Geneſ. 4. v. 7. *Sub te erit appetitus tuus.*] *Mens, ubi fixa eſt iſta ſententia, nullas perturbationes, etiamſi accidant in inferioribus animi partibus, in ſe contrà rationem prævalere permittit; quinimò ipſa dominatur, ciſque non conſentiendo, ſed potiùs reſiſtendo, regnum virtutis exercet.*

Idem [de Civit. lib. 15. cap. 7.] *Quùm commota fuerit pars iſta carnalis, quam peccatum appellat Apoſtolus ad Rom. 7. ubi dicit: Non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum: quam partem animi, etiam Philoſophi dicunt eſſe vitioſam; non quæ mentem debeat trahere, ſed cui mens debeat imperare, eamque ab illicitis operibus ratione cohibere.*

D. Gregor. [lib. 4. moral. cap. 22.] *In foribus quippè peccatum adeſt, quùm in cogitationibus pulſat. Cujus appetitus ſubter eſt, eique homo dominatur, ſi cordis nequitiâ inſpectâ, citiùs præmatur, & priuſquàm ad duritiem creſcat, relaxanti menti ſubjugatur.*

D. Thom. [1. 2. q. 10. art. 3. ad 1.] *Etſi voluntas non poſſit facere, quìn motus concupiſcentiæ inſurgat, de quo Apoſtolus dicit: Rom. 7. Quod odi malum, illud facio, ideſt concupiſco; tamèn poteſt voluntas non velle concupiſcere, aut concupiſcentiæ non conſentire. Et ſic non ex neceſſitate ſequitur concupiſcentiæ motum.*

Idem [quæſt. 22. de Verit. art. 9. ad 2.] *Ex ipſo corpore aliquo modo voluntas inclinatur, licèt non neceſſariò; quiâ reſiſtere poteſt.* [Et ad 3.] *Incontinens non dicitur vinci à paſſionibus, quaſi ipſæ paſſiones cogant, vel immutent neceſſariò voluntatem; alioquìn incontinens non eſſet puniendus; quiá pœna non debetur involuntario.... Sed dicitur in-*

Digitized by Google

incontinens vinci à passionibus, tr… quantum earum impulsui voluntariè cedit. [Et ad 6.] *Passiones voluntatem inclinant, non tamèn de necessitate immutant; quiá in potestate voluntatis est, hujusmodi comprimere, ut usus rationis non impediatur secundùm illud Genes. 4. Subter te erit appetitus illius, scilicet, peccati.*

Idem [quæst. 24. de Verit. art. 12. ad 12.] *Cupiditas non potest intelligi esse cogens absolutè liberum arbitrium; quiá semper est liberum à coactione; sed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis: cui tamèn potest resisti, licèt cum difficultate.*

Idem [ad Annibaldum 2. dist. 36. q. unica art. 3. ad 2.] *Motus concupiscentiæ non est peccatum, ut est passio, sed prout est in potestate voluntatis existens, quæ potest eum… prohibere, vel non prohibere.*

D. Ambrosius [de Cain] *Non habes in quo necessitatem magìs, quàm mentem tuam argues.... Tu ergò princeps operis tui, tu dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit; sed voluntarius reus judicio, non lapsu feciſti dolum, quo te Divinæ injuriæ reum ipse convincis.*

D. Anselmus [cap. 6. Dialog. de liber. arbitr.] *Quomodò tentatio cogit voluntatem velle?* Discipulus: *Quamvis me fateri oporteat, nos aliquandò sic premi tentationibus, ut sinè difficultate non valeamus nolle, quod suggerunt; non tamèn possum… dicere, quòd nos sic unquam opprimant, ut quod movent, nullatenùs nolle possimus.* Magister Sanctus. *Nescio quomodò possit dici: Tentationibus consentimus, non ex impossibilitate, sed ex difficultate: Frequenti namque usu didicimus, nos non posse aliquid; non quia nobis est impossibile, sed quiá sinè difficultate non possumus. Hæc autèm difficultas non permittit libertatem voluntatis vinci; impugnare namque potest voluntatem invitam, expugnare nequit invitam. Hoc itàque modo puto, te posse videre, quomodò conveniant potentia voluntatis, quam ratio veritatis asserit: & impotentia, quam humanitas nostra sentit. Sicut enìm difficultas nequaquàm voluntatis interimit libertatem; ità illa impotentia (quam non ob aliud in voluntate dicimus esse, nisi quiá non potest tenere suam rectitudinem sinè difficultate) non aufert eidem voluntati perseverandi in rectitudine potestatem.*

S. Bernard. [serm. 1. Quadrag.] *Grande periculum est, & gravis luctа adversùs domesticum… hostem, maximè quùm nos advenæ simus, & ille civis: ille suam inhabitet regionem, nos exules simus, & peregrini. Magnum quoque discrimen adversùs Diabolicæ fraudis astutias, tàm crebros, imò continuos habere conflictus: quem nec videre quidèm possumus, & quem nimìs astutum fecerit tàm natura subtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamèn in nobis est, si vinci nolumus, & nemo nostrum in hoc certamine dejicitur invitus. Sub te est, o homo, appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Potest inimicus tuus excitare tentationis motum; sed in te est, si volueris dare…, vel negare consensum. In tuá facultate est, si volueris inimicum tuum facere servum tuum; at omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enìm inflammat inimicus desiderium cibi, vanitatis, aùt impatientiæ cogitatio-*

tiones ingerit, aùt excitat libidinis motum: tu ſolummodò nè conſenſeris; & quotiès reſtiteris, totiès coronaberis. Verumtamèn, negare non paſſumus, moleſta ſunt hæc, & periculoſa; ſed in ipſo certamine, ſi viriliter reſiſtimus, quædam pia tranquillitas de bonâ conſcientiâ naſcitur. Credo etiàm, ſi cogitationes illas, quam citò in nobis advertimus, non patimur remorari, ſed in ſpiritu vehementi animus adversùs illas excitatur; quòd inimicus confuſus abſcedet à nobis, nec tamèn libenter illicò revertetur. Sed qui ſumus nos, aut quæ fortitudo noſtra, ut tàm multis tentationibus reſiſtere valeamus? Hoc erat certè, quod quærebat Deus: hoc erat, ad quod nos perducere ſatagebat: ut videntes defectum noſtrum, & quòd non eſt nobis auxilium aliud, ad ejus miſericordiam totâ humilitate curramus.

D. Gregor. Nyſſen. [Orat. 1. de Homil. procreationis] *Impera beſtiis, quæ ſunt in te. Quid inquies? Ergò nè in meipſo beſtias habeo? Tu verè beſtias habes, & eas quidèm innumerabiles: plurima in te eſt beſtiarum multitudo. At nè me contumelioſum exiſtimes, dic, amabò: parva nè beſtia eſt Iracundia, quando latrat in corde tuo? Nonnè ea eſt quovis Cane crudelior? Quid in callido animo tuo dolus latitans? nonnè quovis Urſo ſevior eſt? Quid nè fera eſt Hypocriſis vel immaniſsima? Qui autèm impetu rapitur, nonnè Scorpius eſt? Qui præceps ad vindictam, ultionemque fertur, nonnè eſt Vipera graviſsima? Quid Avarus ipſe? nonnè Lupus eſt rapaciſsimus? Nulla in nobis fera non invenitur. Qui fœminarum amoribus inſaniunt, nonnè furioſi ſunt Equi? Equi amatores, inquit, & emiſſarii facti ſunt, unuſquiſque ad uxorem proximi ſui inniebat. Sic in alicujus feræ naturam quiſque convertitur, ut aliquâdò animi vitio, perturbationeque vincitur. Ex quo fit, ut innumerabiles in nobis ſint feræ. Credis igitùr, te ferarum eſſe Dominum, ac Principem, ſi illis, quæ foris ſunt, imperas, eos autèm, quæ intùs verſantur, non domes, ac regas? Quorſum tibi ratio, quid Leones vincis, eorumque fremitum non reformidas, quùm ipſe dentibus fremas, ut Leo, & præ iracundiâ, vocem confuſam, & perturbatum clamorem emittas? Quid enim graviùs, & acerbiùs eſt, quàm quùm iracundiæ fulor totus erumpere nititur, nec intùs ullo modo contineri poteſt? Quùm ab aliquâ perturbatione victus eſt homo, non tàm ipſe imperat, ſed in ejus animo perturbatio dominatur. Quamobrèm, quùm ità creatus ſis, ut beſtiis imperes, & Serpentibus, & Volatilibus: perturbationibus impera.*

Accedit Concil. Trident. [ſeſſ. 5. can. 5.] ubi ſic definit: *Manere autèm in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc S. Sinodus fatetur, & ſentit, quæ quùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Jeſu Chriſti gratiam repugnantibus, non valet; quinimò, qui legitimè certaverit, coronabitur.*

His adjungitur Seneca [lib. 2. de Ira cap. 12.] *Nihil eſt tàm difficile, & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio: nullique ſunt tàm feri, & ſui juris affectus, ut non diſciplina perdomentur. Quodcumque ſibi imperavit animus, obtinuit. Vino quidèm, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus.*

ELU-

Digitized by Google

ELUCENT RATIONES.

278. I. MAnente usu rationis, potest Intellectus judicare, bonum esse non consentire passioni; idque potest Voluntati proponere. Ergò Voluntas potest ferri in illud bonum rationis, non consentiendo; imò resistendo passioni. Ergò nulla est concupiscentia ità vehemens, quæ possit vim inferre Voluntati, ejusque consensum violenter eripere. Ant. est certum; nil enim obstare potest, quin homo sanum efformet judicium, & voluntati proponat. Consequentia ostenditur. Voluntas, dùm ei proponitur objectum sub indifferentiâ boni, & mali, potest admittere, vel respuere illud. Ergò sicùt potest admittere objectum passionis, quiâ delectat, & respuere bonum rationis: ità potest admittere bonum rationis, quiâ expedit animæ; & respuere bonum delectabile.

279. II. Stante recto dictamine Prudentiæ, adhùc potest Voluntas omittere bonam electionem, & malè agere. Quandoquidèm, si ad rectum dictamen Prudentiæ semper sequeretur bona electio voluntatis, Prudentia destrueret *libertatem contrarietatis*; ratio autèm non est data homini, ut ejus evertat libertatem. Undè D. Bernardus [de Grat. & liber. arbitr. cap. 2.] ait: *Si horum quodlibet voluntas (ratione prohibente) non posset; voluntas jàm non esset voluntas. Ubi quippè necessitas jàm non voluntas.* ... Est ergò data ratio Voluntati, ut instruat illam, non ut destruat; destrueret autèm, si necessitatem ullam imponeret.

280. Confirmatur primò. Prudentia, quæ est actus Intellectus, & rationis rectæ, non habet imperium proprium, & efficax in Voluntatem; imò è contrà, Voluntas dominatur, & imperat Intellectui, seù rationi ut & applicat, aut distrahit illum ab objectis, vel ab actibus circà illa objecta. Ità omnes Theologi, ac etiàm Philosophi.

281. Confirmatur 2. Si voluntas non posset agere, & eligere contrà dictamen Prudentiæ, seù rectæ rationis, nunquàm ipsa peccaret, quìn priùs esset error in Intellectu. Id autèm contradicit Jacob. [4. v. 17.] *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Indè D. August. [in Psalm. 123.] ait: *Sæpè quid sit agendum, videmus, nec agimus.* Quod experimur quotidiè; multa enim intelligimus bona: meliora probamus, & optima; mala tamèn pejora sequimur, & pessima. Itàque, si Voluntas renuere potest, & respuere dictamen Prudentiæ, & rectæ rationis; cur resistere nequeat concupiscentiæ, quantumvis vehementi?

282. III. Appetitus Sensitivus naturalitèr se habet ad partem superiorem, & rationalem, tamquàm servus ad Dominum. [1. Polit. 3.] Quùm ergò Appetitus Sensitivus naturalitèr subsit Voluntati, tamquàm aliquod imperfectius, & vilius, perfectiori, ac nobiliori: consequentèr Appetitui, respectu Voluntatis, concedi nequit modus suppositionis antecedentis: qui consistit in abreptione voluntatis ad operandum. Siquidèm non est Servi abripere Dominum; sed ab isto abripi, & ei subjacere.

283. Confirmatur. Ordo naturæ

turæ postulat, ut pars inferior obediat, & subsit superiori; nàm, ut prænotavimus, isti appetitus sunt in eâdem animâ; ideò oportuit quòd naturâ suâ unus sit alteri subordinatus; quià multitudo sinè ordine parit confusionem. Quapropter, Appetitus inferior habet propensionem naturalem ab obediendum Voluntati, etiàm contrà inclinationem propriam, & peculiarem; prout exemplum dedimus de gravibus, & levibus, quæ moventur extrà sua loca, ad replendum vacuum.

284. IV. Actus essentialitèr voluntarius nunquàm potest esse coactus; voluntarium enim, & coactum ex naturâ rei opponuntur. Atquì omnis actus à Voluntate elicitus, est essentialitèr voluntarius; quià, ut supponitur, est à principio intrinseco cum cognitione; quùm omne coactum sit ab extrinseco. Porrò coactum id esse dicitur, quod est à principio externo contrà inclinationem Voluntatis; sed actus Voluntatis eliciti (cujusmodi est consensus) nunquàm esse possunt contrà inclinationem Voluntatis; nàm actus eliciti Voluntatis sunt ipsa inclinatio Voluntatis; implicat autèm, ipsissimam Voluntatis inclinationem, esse contrà Voluntatis inclinationem. Hìnc meritò dixit D. Anselm. [De Liber. arbitr. c. 6.] *Invitus nemo potest velle aliquid; quid non potest velle, nolens velle*: vellet autèm nolens, si à carnis tentatione, seù concupiscentiâ, adhùc vehementissimâ, cogeretur ad volendum, seù ad consensum.

285. V. Homo in hoc differt à brutis: quòd ista carent libertate, & magìs ducuntur à naturâ, quàm eam ducant: ideòque in suis motibus potestatem non habent resistendi, aùt faciendi oppositum. Homo è contrà, utpotè libertate præditus, ipsam ducit naturam, & non ducitur ab eâ; habet enìm potestatem frænandi, aùt sequendi motum. Unde D. Damascenus [lib. 3. Orthodoxæ Fidei cap. 27.] inquit: *Rationis expertia non sunt liberi arbitrii potestate donatà; nàm ducuntur magìs à naturâ, quàm ducant; quapropter non contradicunt, resistuntve naturali appetitui; sed simulatque quidpiam appetierint, impetu feruntur ad prosecutionem. Verùm homo, rationalis quùm sit, ducit magìs naturam, quàm ducatur; quapropter appetens, ubì quippiam velit, potestatem habet refrænare appetitum, aut ipsum sequi.*

Concludamus igitùr, quòd Concupiscentia, quantumvìs vehemens, seù, tentatio Carnis gravissima, numquàm potest esse talis, ut cohiberi nequeat à Voluntate, hancque necessariò, & violentèr trahat ad consensum. Homines sumus: Rationales sumus: Liberi sumus. Si quis alitèr senserit, non agnovit dignitatem suam. *Quùm in honore esset non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* [Psalm. 48. v. 12.] Dedecus istud D. Bernardus improveravit hujusmodi mente captis [serm. 3. in Psalm. 90.] quibus de tanto probro conquerentibus: *Ergo bestiæ sumus nos?* Respondit: *Bestiæ prorsùs. Homo, quùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus. Bestiæ profectò sunt homines, oves errantes, non habentes pastorem .... Vide quià Bestia factus est, cui venandæ laquei præparantur.*

CLA-

Digitized by Google

CLAMANTES IN CONTRARIUM REDDUNTUR ELINGUES.

I. VOciferatur Janſenius [tom. 3. lib. 7. cap. 14. §. *Secundo*] Sequitur, ſi indifferentia requiritur ad libertatem, quòd omnis concupiſcentiæ motus directam habeat repugnantiam cum libertate. Repugnat enìm ex diametro indifferentiæ Voluntatis; quùm Concupiſcentia blanditiis ſui motus faciat, ut Voluntas, quæ ad agendum, vel non agendum antè illum motum erat indifferens, ipſo libidinis motu in alteram partem, inſtar æquilibrii, cui pondus additur, impellatur. Quod certè, tàm evidentèr uniuſcujuſque renunciat conſcientia, ut omni probatione altiùs clamet.

286. R. Nego ſequelam. Ad prob. diſtinguo ant. Impellit, per modum inclinationis, cui tamèn poteſt Voluntas reſiſtere, conc: per modum coactionis, ſeù neceſſitatis, cui Voluntas reſiſtere nequeat, nego ant. Ergò pugnat cum indifferentiâ: vel nego conſequentiam, vel explico conſequens: pugnat cum indifferentiâ inclinationis, concedo: cum indifferentiâ elicientiæ quoàd actum, & non actum, in quo conſiſtit libertas; nego conſequentiam. Eodem igitùr modo diſcurrendum, quo D. Thom. explicat illud Lucæ 4. *Compelle intrare*; ex quo textu videtur ſequi, Voluntatem ſic fortitèr adduci ad nuptias ſpirituales, ut non poſſet reniti. *Compulſio illa*, inquit Doctor Angelicus [q. 22. de Verit. art. 9. ad 7.] *de quâ ibi fit mentio, non eſt coactio, ſed efficacis perſuaſionis, vel per aſpera, vel per lenia*. Ità paritèr dicendum de motu impulſionis proveniente à concupiſcentiâ: impellit quidèm Voluntatem in alteram partem; ſed non cogit, non neceſſitat, auferendo poteſtatem reſiſtendi: ſed tantummodò per modum blandæ ſuaſionis, ſeù inclinationis, cui Voluntas repugnare poteſt.

287. Arguens decipit incautos inconſideratione duplicis indifferentiæ. Siquidèm indifferentia, una eſt ad inclinationem, non magis in hanc, quàm ad aliam partem. Altera quoàd elicientiam tàm actus, quàm non actus. Prima contingit, quandò Voluntas conſideratur nudè, & ſecundùm ſe, ante omne, quod poſſit illam impellere, aut inclinare in hoc potiùs, quàm illud: Tunc enìm Voluntas eſt indifferens quoàd inclinationem, utpotè non magis affecta huic extremo, quàm alteri. Verùm, nullus Scholaſticorum in hujuſmodi indifferentiâ eſſentialem conſtituit libertatem: hanc enìm tolli per vehementes concupiſcentiæ motus, imò & per quemcunque habitum, omnibus eſt indubitatum; quùm tàm motus concupiſcentiæ, quàm habitus ſuperadditi, peculiaritèr, & determinatè inclinent, vel in bonum, vel in malum: ac proindè Voluntas talibus ſuperinduta, non manet ampliùs æquè inclinata in utrumlibet; ſed potiùs ſpecialitèr propendet in alteram partem contradictionis, aut contrarietatis.

Sed eſt ſecunda indifferentia quoàd elicientiam: quatenùs, ſcilicèt, principium, ſeù potentia æquè potens eſt, abſolutè loquendo, agere, vel non agere: & in iſtâ in-

Digitized by Google

differentiâ conſiſtit ratio libertatis. Hæc verò, nec per motum concupiſcentiæ, nec per ullum habitum tollitur; ut omnes fatentur Doctores. Quis enim (niſi ipſi experientiæ renunciare velit) dicet, me abſolutè impotentem eſſe ad non ambulandum ex eo, quòd fortè ex aliquo motivo vehementiſſimè ad ambulandum inclinat? Certòcertiùs, ſi uſus rationis, Voluntas, & potentia progreſſiva in me integra perſeverant, nullus ſanæ mentis poteſt id ipſum contendere. Argumentum igitur Janſenii nil concludit; nàm eâdem viâ ſuſtinemus, ſub quocumque concupiſcentiæ motu, ſtante rationis uſu, & obligatione reſiſtendi, manere in Voluntate iſtam indifferentiam, ad poſſe conſentire, & diſſentire.

Exclamat. Quid alioquìn cauſæ eſt, ut magis pulſati, quàm vacui tentatione peccamus?

288. Rſ. In causâ eſt, non quià deſit poteſtas non peccandi, ſed quià Voluntas tàm proclivis eſt ad bonum ſenſibile tentationis, ut potiùs eligat voluntariè cedere, quàm cornu ſuæ poteſtatis virilitèr dimicando exerere.

Vocem attollit. Quid ſibi vult lucta, tantò difficilior, quantò tentationis motus eſt violentior?

289. Rſ. Non quaſi deficiat potentia ad reſiſtendum, ſed quià valdè vehemẽs eſt inclinatio, quam excitat tentatio. *Cupiditas*, inquit D. Thom. (ubi ſuprà q. 22. de Verit. art. 9. ad 7.) *Dicitur cogere, propter vehementiam inclinationis: cui tamen poteſt reſiſtere; licèt cum difficultate*.

Furiosè inſanit. Ut quid dicit Apoſtolus: Unuſquiſque tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus?

290. Rſ. Quià reverà concupiſcentia abſtrahit à bono incommutabili, & allicit ad bonum commutabile: neutrum tamèn ex neceſſitate, ſed utrumque ex libertate.

Vehementiùs debacchatur: Ut quid dicitur: *Lex peccati*? niſi quià, ut Auguſtinus exponit, periculoſiſſimis motibus jubet, & quodammodò cogit, ut pecces?

291. Rſ. Ideò fomes, ſeù concupiſcentia dicitur, *Lex peccati*, quià habet ſimiles effectus legis: ſicùt enim lex inducit ad bonum faciendum, ità fomes ad peccandum. Quòd autèm D. Auguſtinus vocat iſtam inductionem quodammodò coactionem, ſtat pro nobis; ſiquidèm, ſi ſolùm quodammodò cogit; Ergò non cogit abſolutè; ſed poteſt illi reſiſti, etſi cum difficultate

Maximè exclamat. Ut quid recenſiores ipſi profitentur: tentationibus gravibus, ſinè gratiæ adjutorio, difficillimùm reſiſtere?

292. Rſ. Eſtò difficillimum ſit, imò impoſſibile, *impotentiâ conſequente*, ſinè gratiæ adjutorio, reſiſtere tentationi gravi; fatentur tamèn omnes, hominem abſolutè poſſe reſiſtere, *potentiâ antecedente*. Idque duobus modis: vel ex propriis viribus; ſi tentatio non erit gravis: vel ex gratiâ dante poſſe reſiſtere; quæ, ex parte Dei, ſempèr eſt parata; ut ſuo loco diximus; juxtà illud [1. Corinth. 10.] *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis*.

Pluſquàm ſementeras tollit voces. Ut quid graviſſimi peccatores totis medullis, flagrante libidinis motu, clamant: ſe Voluntatis infirmitate non poſſe non cedere? Et eos verum dicere, non ſemèl Auguſtinus docet?

293.

Digitized by Google

293. ℟. Hujuſmodi peccatores verum dicere, in ſenſu D. Anſelmi ſuprà relati, & dicentis: *Frequenti namque uſu dicimus: nos non poſſe aliquid, non quià nobis eſt impoſsibile; ſed quià ſinè difficultate non poſſumus.*

II. D. Auguſtinus [lib. 1. retract. cap. 15.] inquit: *Qui autèm cogenti cupiditati bonâ voluntate reſiſtere non poteſt; jam hoc ità peccatum eſt, ut ſit etiàm pœna peccati.* Iterùm [lib. de Perfect. Juſt. reſponſ. 15.] *Peccatum eſt, quùm vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel eſt minor, quàm debet: ſivè hoc Voluntate vitari poſsit, ſivè non poſsit.* Ergò datur tentatio, ſeù concupiſcentia vehemens, & cogens Voluntatem.

294. ℟. Bellarminus [lib. 2. de Grat. Liber. arbitr. cap. 8.] Sanctum Præceptorem loqui de eo, quod non poteſt vitari; non quidèm abſolutè, ſed ex hypotheſi: quià, nimirùm, vitari non poteſt, dominante pravâ cupiditate: uno verbo: *in ſenſu compoſito*. Poteſt tamèn Voluntas, per Dei gratiam, quæ ſempèr præſtò eſt, reſiſtere tentationi, ſeù concupiſcentiæ, quantumvis vehementi, eique dominari. Certè, qui odit aliquem, non poteſt illi ex animo benefacere, durante odio; abſolutè tamèn poteſt; quià poteſt odium deponere. Undè D. Auguſt. in loco contrà nos mòx citato, poſteaquàm dixerat: *Peccatum eſſe, ſivè vitari poſsit, ſivè non poſsit*: ſtatìm continuò ſubjungit: *Et tamèn vitari poteſt: non quandò ſuperba voluntas laudatur, ſed quandò humilis adjuvatur.*

III. Libertas noſtræ Voluntatis eſt finita; indè prima paſſio tollit aliquid libertatis, ſitque ut unum: ſecunda ut duo &c. Ergò in tantùm poſſunt creſcere paſſiones, ut omnem funditùs tollant libertatem. Vèl ſic conficiatur argumentum: Reſiſtentia Voluntatis eſt finita; igitùr ſit ut decem, & concupiſcentia ut quatuor; ſanè Voluntas aliquâ indiget reſiſtentiâ ad reſpuendam concupiſcentiam: creſcat iſta in duplo, triplo, & ſic conſequentèr. Ergò poterit tantùm creſcere, quòd Voluntas non poſſit reſiſtere.

295. ℟. Quamdiù judicium Intellectus eſt liberum, idèſt, quamdiù mens eſt ſana, quantumcumque creſcat paſſio, poteſt Voluntas, etiàm per unum gradum, reſiſtere. Quòd ſi tollas judicium rationis, ſeù mentem (ut accidit in amentibus) concedo, quòd homo neceſſitatur ad ſuccumbendum. At in hoc caſu, nihil contrà nos, qui diſputamus cum Cordatis.

IV. Apoſtolus [1. Corinth. 10.] ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis.* Ergò ſi Deus non concurreret per auxilium ſpeciale, poſſent paſſiones, quantum eſt ex naturâ rei, ſuperare Voluntatem. Ergò tentatio poteſt eſſe tam vehemens, ut nequeat Voluntas, abſquè miraculo, non cogi ad conſenſum.

296. ℟. Medina [1. 2. q. 10. art. 3. ad ultim.] Apoſtolus, non ſolùm intelligit, quòd Deus non permittet nos tẽtari ſuprà vires noſtras, abſolutè; ſed etiàm, quòd non permitttet nos venire ad extremas anguſtias, & neceſſitates, quæ ex tentationibus poſſent provenire.

Prætereà, facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam; proùt omnes docent Theologi; eſtque veritas irrefragabilis, & Divina: quàm inficiari dogma eſt hæreticum

Digitized by Google

ticum. Undè D. Jacob Apoſtolus (cap. 4. v. 7. 8. & ſeqq.) ait: *An putatis, quiâ inanitèr Scriptura dicat: Ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam: Propter quod dicit: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergò eſtote Deo: reſiſtite autem Diabolo, & fugiet à vobis. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices animo.*

V. Experientiâ compertum eſt, quod ſæpè volumus depellere à nobis cogitationes turpes, & non valemus. Ergò concupiſcentia, eò vèl maximè ſi vehemens erit, non ſubjacet imperio Voluntatis. Ergò dominabitur iſti, & vi trahet ad conſenſum.

297. R. Appetitus Senſitivus habet ſuum organum corporeum: ſedes autèm illius maximè eſt in corde; quapropter, motus cauſati à paſſionibus Appetitus, maximè ſentiuntur circa cor. Hinc evenit, quòd in aliquibus, ex eorum complexione, cor ſit tàm durum, ut non tàm facilè triſtitiam v. g. recipiat, lætitiam &c. Ità quoquè Imaginatio, & Cogitatio utuntur organo corporeo. Indè à qualitatibus poteſt ſic diſponi organum corporeum, ut repugnet rationi. Ex quo fit, quòd, aùt ex oppoſitâ qualitate organi corporei, aùt ex inefficaciâ imperii Voluntatis, Appetitus Senſitivus non obediat diſpoticè. Cæterùm, ſi Voluntas abſolutè vult: ſi ſeriò, ſi efficacitèr imperat: ſi conſtantèr perſeverat in juſſione, ſemper vincet; ut ſuprà prænotavimus; eſtque communis ſententia, cum D. Thoma [1. 2. q. 10. art. 3.] & [q. 17. art. 7. ad 2.] ubi ità loquitur S. Doctor: *Qualitas corporalis dupliciter ſe habet ad actum appetitus ſenſitivi: Uno modo, ut præcedens: prout aliquis eſt aliqualiter diſpoſitus ſecundum corpus ad hanc, vel illam paſſionem. Alio modo, ut conſequens: ſicut, quùm ex irâ aliquis incaleſcit. Qualitas igitur præcedens non ſubjacet imperio rationis; quiâ vel eſt ex naturâ, vel ex aliquâ præcedenti motione, quæ non ſtatim quieſcere poteſt. Sed qualitas conſequens, ſequitur imperium rationis; quiâ ſequitur motum localem cordis, quod diverſimodè movetur, ſecundùm diverſos actus Appetitus Senſitivi.*

298. Concedimus ergò, quòd concupiſcere non ſemper ſubjacet imperio rationis; ſed conſentire, vèl non conſentire concupiſcentiis, ſemper eſt liberum homini. Interdùm, velimus, nolimus, ſentimus concupiſcentiæ motus; ſed iis non conſentimus, niſi velimus. Paucis D. Chryſoſtomus [hom. 52. oper. Imperf. & homil. 13. in Epiſt. ad Romanos] totam noſtram præſtringit Sectionem: *Sentire, ſeù concupiſcere, paſſionis eſt: velle autem ſentire, ſeù concupiſcere, liberi arbitrii eſt.*

REFLEXIO.

299. CAlvaniſtarum, Lutheranorum, & Pſeudo-Myſticorum hujus ævi menda, non ſunt eadem omninò in cunctis; unum tamèn eſt in omnibus errandi principium: Ex quo tùm hi, tùm illi fingunt, Voluntatem poſſe cogi ad malum, ex eo cœno ſordiſſimo nonniſi ſpur-

Digitized by Google

ſpurcitiæ queunt effluere: hàc cum differentiâ, quòd ii Hæretici ſunt nobis manifeſti; hi verò ad nos veniunt in veſtimentis ovium, quùm intrinſecùs ſint Lupi rapaces. Calvini, & Lutheri nomina ſine ſtomaco non audiuntur: Novatorum fama non paucos decipit incautos. Cum illis, nec cibum ſumere audet Catholicus: cum iſtis, mulierculæ quædam, quæ vitam profitentur ſpiritualem, longas habent collationes. In causâ eſt, conſcientia laxa, ſimùl & pacata, tùm Directorum, tùm Directarum: quaſi poſſent duobus Dominis ſervire: Deo, & Diabolo: Carni, & Spiritui. Horum conſcientiam D. Bernardus [lib. de Conſcientiâ] malam vocat, & tranquillam, eamque ſic deſcribit:

300. „ Sequitur mala, & tranquilla conſcientia, quâ ſicut nihil pejùs, ità nihil eſt infeliciùs. „ Quæres, quænam illa ſit? Hæc eſt „ illa, quæ nec Deum timet, nec „ hominem reveretur: quæ cum „ venerit ad profundum malorum, „ contemnit. Vide lapſum, & caſum Malæ, quàm minutatim, & „ pedetentim declinet à Deo, & „ ità in profundum deſcendat, ut „ ſupèr eam urgeat puteus os ſuum, „ Primùm, quando homo aſſuetus „ bonis gravitèr peccat, videtur „ ei adeò importabile, ut in infernum vivens deſcendere videatur. Proceſſu verò temporis non „ importabile, ſed tantùm grave „ videtur: & inter importabile, & „ grave non parvus deſcenſus eſt. „ Paulò pòſt & leve judicat, & „ quùm crebris ictibus verberatur, „ vulnera non ſentit, verbera non „ attendit. De hujuſmodi in Scriptura Veritatis expreſſum eſt; „ *Verberaverunt me, & non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi.* „ In brevi verò temporis ſpatio, „ non ſolùm non ſentit, ſed & placet, & dulce fit, quod amarum „ erat, & aſperum vertitur in ſuave. Ducitur deindè in conſuetudinem, ut jàm non modò placeat, „ ſed & aſſiduè placeat, & ſe continere non poſſit. Ad extremum, „ verò non poteſt avelli; quià conſuetudo vertitur in naturam, & „ quod priùs ad faciendum erat impoſſibile, jàm impoſſibile eſt ad „ continendum. Sic enim deſcenditur, imò caditur à Jeruſalem „ in Jericho: ſic itur in averſionem, „ & duritiam cordis. Hìc peccator fœtet, hìc quatriduanus eſt, „ Hìc lapis ſpeluncæ ſuppoſitus illos miſericordiæ radios Divini luminis non admittit: hìc, juxtà „ Scripturam, à mortuo, tamquàm ab eo, qui non eſt, perit „ confeſſio; niſi fortè miſerens „ Deus cor lapideum in carneum „ quandòque convertat. Hæc eſt „ mala conſcientia, quæ per hujuſmodi diſcrimina, imò præcipitia „ ruit, & corruit, & irruit ſuper „ ipſam.

„ Quomodò Tranquilla? Quùm „ Mundi hujus proſperitas alludit, „ & illudit: quùm *laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ; & iniquus benedicitur*. Quùm peccantium favor, & peccare nolentium pavor, nolens, & dolens arridet ei: quùm *non eſt qui arguat*; „ ſed & qui arguere peccatorem „ audeat *ex omnibus, qui in circuitu ejus ſunt*..... Hæc eſt illa ſuperbia, de quâ ſcriptum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autèm dat gratiam*. Intellige quod „ dicit: *Reſiſtit*. Reſiſtere enim „ ex æquo eſt, ille autèm ex æquo

Deo

Digitized by Google

„ Deo reſiſtere proponit, qui, quod „ Deus aſtruit, deſtruit, quantùm „ in ipſo eſt: dicens malum bonum, „ & bonum malum: amarum dul„ ce, & dulce amarum: lucem te„ nebras, & tenebras lucem. Hanc „ verò Tranquillitatem nutrit im„ punitas, ſecuritatis, & negligen„ tiæ mater: Noverca virtutum: „ Religionis virus: tinea Sanctita„ tis. Hæc egregiè, & ſatis appoſi„ tè Abbas Mellifluus.

301. Si autèm aliqui quærant: Qui ſunt hi Pſeudo-Myſtici, qui noſtro ævo talem habeant conſcientiam? Qui Pœnitentes viri, aut quæ mulieres eos ſequantur? Documentum jàm audivimus ab ipsâ Æternâ Veritate, Domino Jeſu [Matth. 7. v. 16.] *A' fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quòd ſi iterùm ſanctâ curioſitate quæras: Quinam fructus, ſeù opera Carnalium ſint, ac Spiritualium? Reſpondet Apoſtolus [ad Gálat. 5. v. 19. & ſeqq.] *Manifeſta ſunt opera Carnis: quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.... & his ſimilia... Fructus autèm Spiritus eſt: Charitas, gaudiũ, pax, patiẽtia, benignitas, bonitas, longaminitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas..... Qui autèm ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus.*

SECTIO IV.

An Concupiſcentia vehementiſſima, ſeù graviſſima Carnis Tentatio cogere poſſit hominem ad exercendos actus ex ſe turpes; ipſius Voluntate omninò renitente.

PIæ abhorrent aures, adhùc è longinquo audire, hominem ratione præditum, & libertate donatum, vi compelli poſſe à Concupiſcentiâ ſuâ, ac violẽtèr trahi ad patranda nefaria, & neceſſitari ad actus externos objectivè turpes. Doctores omnes Catholici rubore perfuſi, & caſtâ præoccupati verecundiâ, vel nullam de hâc materiâ tàm fœtidâ habere volunt quæſtionem: exſecrantes ad nauſeam uſque opinionem affirmativam, ſeù veriùs, errorem tàm intolerabilem. Vèl per tranſennam, hæc duo proferunt verba: *Manifeſtaſſe, confutaſſe eſt.* Supponunt namque, eam eſſe tàm putidam, ut malè oleat omnium Fidelium naribus: ejuſque ſtultitiam ſatis notam ratione utentibus.

302. Nec ego (ut verum fatear) inquirerem de re nimis ſordidâ; niſi priùs, & pluriès audiviſſem à fide dignis, non paucos hoc ævo inſurrexiſſe hujuſmodi ſpurcitiarum Magiſtros. Hi non palàm inſaniunt, ſed tantùm ſecretò in pudicitiam invehunt: à foris Sanctitatem ſimulant: vitia colorant; ut ità, quaſi virtutum minio, incautos fallant: & doctrinæ pravitatem, majoris perfectionis nomine, ubìque diſſeminent. Perindè Novatores hi, non minùs (nì dicam magìs) ac Lutherus, & Calvinus, in mille delictorum gurgitem ſuos demergunt

pœ-

Digitized by Google

pœnitentes: carnis oblectamentis filias blandiuntur spirituales: ac tandèm sese, cum utrisque, damnatorum barathro intercludunt. Hìc optimè quadrat aurea D. Bernardi sententia [serm. 66. in Cant.] *Minùs semper malitia palàm nocuit: nec unquàm bonus, nisi boni simulatione deceptus est.*

303. Itaquè *Intentos vos volo*, (verbis utor D. August. tract. 17. in Joann.) *Aderit Dominus, ut congruè loquar, & sufficienter audiatis.* In primo autèm Sectionis ingressu lubeat scisciari: Cùr Pseudo-Mystici nostri ævi, solùm in abscondito suam pandunt doctrinam? Cùr dumtaxàt in Confessionariis; nunquã autèm in Pulpitis? Cùr in cõferentiis secretis, & non coràm aliis? Cùr ad aures, & neutiquã in scriptis? Cùr ad aliquos, vèl ad aliquas, & non ad omnes? *Si Veritas est* (dicam quidquid Therillus respondit Wendro-Kio) [qu. 20. num. 14.] *Cùr Wendro-Kius, cùr Jansenistæ* (addam ego, & Pseudo-Mystici) *Contrariæ sententiæ fautores non subscribunt integrum tractatum Resolutionum Moralium, ut ità nobis veritates hactenùs ignotas revelent? Certè nìl Deo gloriosiùs, nìl ad propriam illorum famam, nìl ad nostram utilitatem conducibiliùs.*

Isthæc mea interrogatio, seù, ut mavis, prima improbatio, ex sè solâ sufficeret, ad Pseudo-Mysticos gravi suffundendos pudore. Siquidèm Verbum Domini, & Veritas ejus, luce cognitionis publicæ detegi debet, & excelso loquentium præconio audiri. *Verbum, quod locutus est Dominus*, ait Jerem.) [50. v. 1. & 2.] *annunciate in Gentibus, & auditum facite: levate signum, prædicate, & nolite celare.* Ipsa quoquè Veritas Christus præcepit Discipulis suis [Matth. 10. v. 27.] *Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Dùm igitùr Novatores hi ponunt sub modio propriam doctrinam, & *diligunt magìs tenebras, quàm lucem.* [Joann. 3. v. 19.] in causa est, quià *Nescierunt, nèquè intellexerunt: in tenebris ambulant.* [Psalm. 81. v. 5.] At, *Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.* [Joann. 12. v. 35.] Verùm gradum faciamus ad ulteriora: & ut eorum insipientia manifesta sit omnibus

304. Notandum 1. Quòd Concupiscentiæ nomine hìc intelligitur Concupiscentia Mala; juxtà doctrinam D. Augustini [serm. 8. in Psalm. 118.] ubì ait: *Concupiscentia sapientiæ deducit ad regnum. Sed hoc sanè interest, quòd non tacetur, quid cõcupiscatur, sed sola ponitur; nõnisi Mala intelligitur Concupiscentia.*

305. Notandum 2. Quòd hujusmodi Concupiscentia pluribus vocatur nominibus: Dicitur *Fomes*; quià fovet peccatum: *Radix omnium malorum*; quià opponitur virtuti: *Corruptio*; proptèr diminutionem boni naturalis: *Languor*; proptèr inveterationem in illâ: *Libido*; utpotè inclinans ad obscœna: *Infirmitas*; proptèr imbecillitatem resistendi motibus pravis: *Fœditas*; quià coinquinat animam: *Pronitas*; quià prona est ad malum: *Lex carnis*; quià jubetur à carne: *Lex membrorum*; quià quamdam dat aptitudinem ad delectabilia: *Tyrannus*; quià totius hominis dominium usurpare contendit: *Stimulus carnis*; quià stimulat ad peccatum. Aliisque appellatur, seù potiùs, fœdatur synonimis, utpotè: *Sentina vitiorum, Cloaca obscenitatum, Cœnum lasciviæ, Equus effrænis, Rebellis, furens, præceps &c.*

306.

Digitized by Google

306. Notandum 3. Quòd ejuſmodi Equus non omnibus eſt æquè moleſtior; aliquibus enim eſt ferocior. Idque pluribus de cauſis. 1. Ex blanditiis corporis: *Qui à pueritiâ delicatè nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem.* [Prov. 29. v. 21.] 2. Ex diverſo hominis temperamento: ille namque eſt naturâ frigidus, hic calidus. 3. Ex crapulâ, & ebrietate: *Non te effundas ſuper omnem eſcam; multis enim eſcis erit infirmitas.* [Eccli. 37. v. 32.] 4. Ex colloquiis pravis: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* [1. ad Corinth. v. 33.] 5. Ex vagatione ſenſuũ externorum: *Aſcendit mors per feneſtras noſtras.* [Thren. 3. v. 51.] 6. Ex converſatione liberâ: *Nè libertatem in occaſionem detis carnis* [ad Galat. 5. v. 13.] 7. Ex nimiâ familiaritate mulierum: *Quùm jàm eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres.* [3. Reg. 11. v. 4.] 8. Ex lectione librorum obſcœnorum: *Depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitionis falſi nominis ſcientiæ.* [1. Timoth. 6. v. 20.] 9. Ex otioſitate: *Eccè hæc fuit iniquitas Sodomæ, Superbia, Saturitas, Abundantia, Otium.* [Ezech. 16. v. 49.] 10. Ex ſocordiâ in repellendis cogitationibus pravis: *Uſquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ?* [Jerem. 4. v. 14.] 11. Ex habitu vitioſo: *Non poſſum ſic incedere, quià non uſum habeo.* [1. Reg. 17. v. 39.] 12. Ex Dæmonis ſuggeſtione: *Si ſufflaveris in ſcintillam, quaſi ignis exardebit.* [Eccli. 28. v. 14.] Hæc, & his ſimilia ſunt calcaria, quibus rapidus concupiſcentiæ Equus ſtimulatur ad curſum: & quò pluriora, eò velociùs ruit in præceps.

307. Not. 4. Quòd triplex diſtinguitur Concupiſcentia: nempè, *Antecedens*, quæ præcedit conſenſum Voluntatis, eumque allicit. Sic viſâ muliere, Voluntas movetur ad ejus deſiderium. *Conſequens*, quæ oritur ex prævio Voluntatis actu. Ità ex deſiderio mulieris, excitatur paſſio in corpore. *Concomitans*, quæ ità ſequitur Voluntatis conſenſum, ut ſit cauſa ardentioris motus ejuſdem Voluntatis.

308. Concupiſcentia *antecedens* (ordinariè loquendo) ſub uno reſpectu auget Voluntarium, & ſub alio minuit: auget quidèm ratione objecti, ad quod directè movet; minuit verò ratione circumſtantiarum: & ſic etiàm minuit libertatem. *Auget*, inquam, voluntarium ratione objecti, quod inflammat Voluntatem, & facit, ut cum majori inclinatione feratur in objectum; ut ſæpè videmus in homine, qui mulierem ardentèr cupit. *Minuit*; quià ad voluntarium perfectum requiritur, nedùm inclinatio Voluntatis, ſed & cognitio eorum, in quibus eſt actio; Concupiſcentia verò, quandò eſt vehemens, imminuit hanc cognitionem; impedit enim, nè mens rapta, & illecta ab objecto, in quod tendit, omnem conſideret turpitudinem &c.

309. Indè ſequitur, Concupiſcentiam minuere libertatem. 1. Quià eò major eſt in homine libertas, quò plenior indifferentia ad utrumque. Atquì Concupiſcentia antecedens hanc minuit indifferentiam, eò ipsò, quò Voluntatem fortiùs inclinat ad unam contradictionis partem. Ergò. 2. Quià, quod minuit peccatum, minuit quoque liberum. Atquì Concupiſcentia antecedens minuit peccatum; ut

omnes

Digitized by Google

omnes fatentur Doctores : Imò ipsum peccatum interdùm penitùs tollit : quandò, scilicèt, totalitèr aufert cognitionem : *sicùt*, ex Angelico Doctore [1. 2. q. 6. art. 7. ad 3.] *contingit in illis, qui per concupiscentiam fiunt amentes.*

310. Dixi, *ordinariè loquendo*; quià fieri potest nonnunquàm, ut qui agit ex concupiscentiâ, tendat in objectum cum aliquâ repugnantiâ. Ità avarus, qui ad abutendum muliere, magnam profundere debeat pecuniæ summam, durè fert hujusmodi jacturam.

311. Concupiscentia *Consequens* auget voluntarium, & peccatum. Ità Theologi cum D. Thom. [1. 2. q. 77. art. 6.] Ratio est, quià passio minuit peccatum, secundùm quòd minuit liberum. Atquì passio *consequens* non minuit liberum; saltèm moralitèr, quamvìs physicè possit ipsum minuere : Nàm passio consequens est effectus Voluntatis, quæ in semetipsà sponte, & liberè, ac prævidens inflammavit ardorem. Undè subdit Angelicus Doctor(ibi) *Quantò aliquis majori libidine, vel concupiscentiâ peccat, graviùs peccat*. Perindè, qui ex pravo habitu peccant, graviùs peccant; quùm enìm voluntariè hosce habitus foveant, indè actus prodeuntes, sunt in se, & in causâ liberi : eòque pejores, quò propensiùs feruntur in malum. Porrò hi censentur fovere pravos suos habitus, qui eos evellere negligunt : imò totiès peccant, quotiès cogitantes de suâ pravâ consuetudine, eam emendare non proponunt; quì enìm deliberatè immoratur in periculo peccandi, eò ipsò peccat. Undè Peccator tenetur confiteri pravum habitum. Videatur ea Propositio ab Innoc. XI. proscripta : *Non tenemur Confessario interrroganti, fateri alicujus peccati consuetudinem*.

312. Not. 5. Quòd concupiscentia gravis, vel est talis, quòd aliquantisper perturbet rationis usum, sed non tollat : vel ità, ut penitùs perimat rationis, & libertatis usum. (sic enìm potest excrescere passio hæc effrænis) Quandò concupiscentia, seù Carnis tentatio, relinquit potestatem considerandi, & deliberandi; non æstimabitur simplicitèr gravis, itaùt Voluntas non possit absolutè resistere; sed dicitur Gravis, in quantùm sinè difficultate resistere nequit. Si verò concupiscentia erit tàm intensa, ut auferat potestatem considerandi, aùt deliberandi: iterùm distinguere debemus : Vèl omnem, & totalitèr aufert potestatem considerandi, & deliberandi, itaùt non solùm aliquantulùm perturbet, sed omninò impediat usum rationis, & libertatis; & tùnc nullum erit peccatum, nèc veniale; quià hujusmodi actus non est humanus. Vèl aliquam relinquit potestatem considerandi, & deliberandi? & tùnc, vèl remanet sufficiens advertentia rationis ad plenè deliberandum? & ità Voluntas plenè consentiendo, peccat mortalitèr; quamvìs materia levis, (loquimur enìm de Venereis, in quibus non datur parvitas materiæ) Si autèm aliqualis erit advertentia, sed non perfecta, & Voluntatis consensus non erit plenus; ut evenit in motibus primò primis; tùnc culpa erit venialis. Hìc autèm non est sermo de Concupiscentiâ, quæ tollat rationis, & libertatis usum; quià in isto casu discurrere debemus sicut de Amentibus, & Brutis; undè in titulo quæsiti subjunximus : *Vo-*

Digitized by Google

luntate omninò renitente.

313. Not. 6. Quòd *actus humanus*, juxtà Theologorum locutionem, non eſt idem, ac *actus hominis*. Quandoquidèm, omnis actio ab homine, quomodocumquè facta, eſtò merè naturalis ſit: ut nutritio, augmentatio &c. vèl facta abſquè advertentiâ, & deliberatione, v. g. dùm quis movet pedem, manum &c. intentus ad alia: motus primò primi: volitio infantis &c. dici poteſt actio, ſeù *Actus humanus*. At in rigore, *Actus humanus* eſt, actio, quæ ex prævià cognitione, & voluntate, deliberatè, ſeù liberè procedit: Indè Scotus [2. diſt. 41. quæſt. unica] meritò appellavit *Actus non humanos* eos, qui procedunt ex ſolâ Imaginatione. Et D. Thom. [1. 2. q. 1. art. 1.] ait: *Illæ ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo Dominus eſt.*

314. Ex quo liquet, quòd *Actus humanus* triplicitèr ſumi poteſt. 1. Latiſſimè, pro omni actione, quæ fit ab homine; ſivè ea ſit propria homini, ſivè communis brutis: ut, comedere, ambulare &c. & ex ſolo naturæ impulſu. 2. Magis propriè, pro actione, quæ fit à ſolo homine: ut loqui, ridere, intelligere, velle; quâ de causâ vocari ſolent *Actus hominis*. 3 Propriiſſimè, pro omni actione, quæ fit ab homine, ut homo eſt, ſeù, modo homini proprio; idèſt, ex prævià advertentiâ, & liberâ electione. Quâ ratione actus puerorum, & amentium, etſi fiant ab homine, non dicuntur *Actus humani*; quià non fiunt ab homine, ut homo eſt, compos rationis, & libertatis. Hinc omnes conveniunt cum Angelico Doctore (ubi ſuprà) ad *actum humanum* quatuor requiri. 1. Ut conveniat homini; quatenùs homo; ut mòx diximus. 2. Ut ſit ſub dominio, ſeù poteſtate hominis. 3. Ut fiat cum ratione, ſeù prævià cognitione, & deliberatione. 4. Ut fiat à liberâ Voluntate.

315. Notand. 7. Quòd *actus humanus*, propriiſſimè ſumptus, (de quo erit ſermo) vel procedit immediatè à Voluntate, v. g. amor, odium &c. & tunc dicitur *Elicitus*. Vèl mediatè, v. g. deambulatio, meditatio &c. & tunc dicitur *Imperatus*; quamvis enim Voluntas per ſe nec ambulet, nec meditetur; quùm eæ functiones pertineant ad potentiam motricem, & ad Intellectum; imperat tamèn cæteris potentiis, ut eliciât actus ſibi proprios.

316. Uterque actus, aùt Elicitus, aùt Imperatus, eò ipsò, quòd procedit à Voluntate, dici ſolet; *Actus moralis*; idèſt, bonus, aùt malus; proùt eſt conſentaneus, vèl diſſentaneus rationi. Dixi: *dici ſolet*; Quià in rigore, Actus humanus latiùs patet, quàm Actus moralis; nàm actus illi, quos non rarò eliciunt pueri, & quidèm liberè, ſed *antè* cognitionem boni, & mali *moralis*, nempè, virtutis, & vitii (ut quùm ex apprehenſione, & cognitione ſolius commodi, aut incommodi naturalis, deliberatè eligunt *unum* præ alio, v. g. Saccharum præ ſale) poſſunt aliquo modo dici Actus humani, quamvis non in rigore, & propriiſſimè; ut mòx adnotavimus. Sed appellari nequeunt Actus morales. Itaquè Actus humanus, proùt coincidit cum Actu Morali, eſt actus Voluntatis liber, elicitus, aùt imperatus, cum advertentiâ rationis, juxtà regulam noſtrorum actuum, & in ordine ad ultimum hominis finem.

317. Not. 8. Hoſce terminos:

Vio-

Digitized by Google

Violentum, *Coactum*, *Involuntarium*, *Necessarium*, distingui inter se. *Violentum* definitur ab Aristotele [3. Eth. cap. 1.] *Cujus principium est extrà, passo non conferente vim*. Undè Violentum, ut patet, convenit etiàm inanimatis: & potiùs dicitur contrà inclinationem naturalem: sic motus lapidis sursum projecti dicitur violentus; non autèm involuntarius. Undè infusio habituum supernaturalium, quamvis sit à principio extrinseco, passo non conferente vim; idèst, non adjuvante effectivè, nèc habente naturalem inclinationem ad receptionem illorum habituum; quià verò Anima non habet inclinationem contrariam; ideò talis infusio non dicitur violenta. Sed advertendum, quòd quùm dicitur: *passo non conferente vim*, debet intelligi juxtà sensum omnium Philosophorum, ac Theologorum, cum Scoto [4. dist. 29. q. unica] non solùm negativè, sed etiàm positivè; nimirùm, passo non solùm non cooperante vi, seù virtute suâ intrinsecâ: seù, merè negativè se habente; verùm etiàm positivè resistente actioni violentæ. Prætereà advertendum, quòd hujusmodi resistentia positiva actioni violentæ, vel est *absoluta*, *& efficax*; dùm, scilicèt, quis resistit violentiæ omni modo, quo potest. Vel *secundùm quid*; quùm, scilicèt, quis resistit quidèm, sed minùs efficacitèr quàm posset.

318. *Coactum*, etiàm est à principio extrinseco, & contrà inclinationem passi: quâ ratione distinguitur à Violento, & convenit dumtaxàt animatis: sivè hæc rationem habeant; utì sunt homines: vèl ratione careant; velutì bruta.

319. *Involuntarium*; ultrà quàm quòd ipsâ voce soli homini competat; tamèn principalitèr requirit, quòd fiat conrra Voluntatem renitentem. Undè, ut dicatur *Involuntarium absolutè*, oportet, ut Voluntas, nèc directè, nèc indirectè, nèc interpretativè consentiat; sed absolutè, & efficacitèr resistat positivè, & quantùm ex se potest; juxtà superiùs dicta.

320. *Necessarium* (quod alio nomine appellatur *Naturale*) est id, quod fit à principio determinato ad unum: Seù, est id, quod à suo principio, positis omnibus ad agendum requisitis, ordine naturæ necessariò fit, itaùt non possit non fieri. Ejusmodi sunt actiones omnium causarum naturalium, non solùm inanimatarum, & irratiònalium, v.g. Ignis, & brutorum; sed etiàm actiones hominis, putà vegetativæ potentiæ, & sensitivæ, sensuum internorum, & externorum, ac etiàm ipsius Intellectus. Quòd intelligendum erit secundùm se, & quatenùs ab illis potentiis elicitivè procedunt; nàm quatenùs subsunt imperio Voluntatis, participant libertatem; non quidèm ut sunt actus eliciti suarum potentiarum; sed in quantùm sunt actus, & fiunt imperati à Voluntate.

321. Ex hucusquè cumulatis infertur primò, quòd *Violentia absoluta*, seù, ut ajunt, *Præcisa*, tollit Voluntarium; *Violentia* verò *Secundùm quid*, quam vocant etiam *Conditionalem*, non perimit voluntarium; sed tantummodò minuit; ut totiès diximus. Ratio à priori. Quià, ubì Voluntas omninò resistit violentiæ, est penitùs involuntaria actio, quæ fit contrà ejus omnimodam resistentiam. Sed ubì Voluntas

Digitized by Google

omninò, & quantùm poſſet non reſiſtit; ibì remanet aliqua ratio voluntarii: & quidèm major, aùt minor, proùt Voluntas plùs, aùt minùs reſiſtit. Quâ de causâ *Violentia ſecundum quid*, juxtà phraſim Juriſperitorum, excuſat à tanto, non tamèn à toto. In quo ſenſu [in cap. *Merito* 15.q.1. Et cap. *Vides* 23.q.5. Et l. *Similitèr* §. penult. *de eo, quod vi, metuſque cauſa*; dicitur: *Coacta voluntas, voluntas eſt ſimpliciter*.

322. Infertur 2. Quòd nulla violentia facere poteſt, ut actus eliciti à Voluntate, ſint involuntarii: ſeù Voluntas cogi nequit quoàd ſuos actus elicitos; proùt habetur ex lege [*Cùm proponas*. C. de Hæredib. Inſtit.] & nos oſtendimus Sect. præcedenti per totam. Sed certum eſt, quòd Voluntas poſſit cogi quoàd actus imperatos, qui non eliciuntur ab ipsâ voluntate, ſed ab aliis potentiis; ut eſſet ambulatio, viſio &c. A quo tamèn cogi poſſit, an etiàm à vehementi Concupiſcentiâ, ſeù à graviſſimâ carnis tentatione? Scopus eſt hujus Sectionis: & fit

CONCLUSIO.

323. COncupiſcentia, quantumvìs vehemens, nõ poteſt hominem cogere ad exercendos actus ex ſe turpes, Voluntate omninò renitente: ſeù, non datur tentatio Carnis, quæ ſit irreſiſtibilis. Eſt de fide contrà Lutherum, Calvinum, alioſque Hæreticos, & ſpurcitiarum defenſores.

Pro hâc veritate pugnant Divina Oracula, Sacra Concilia, SS. Patrum Teſtimonia: & quià ſunt ferè innumera, Sectio in magnum creſceret Volumen, ſi velimus omnia referre: ſatìs erunt ſelectiora; & quidèm promiſcuè.

EXHIBENTUR SACRÆ PAGINÆ, ET PATRUM CHIROGRAPHA.

AD ROM. 6. v. 11. & Seqq.

EXiſtimate, vos mortuos quidèm eſſe peccato, viventes autèm Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibite vos Deo, tamquàm ex mortuis viventes: & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Peccatum enìm vobis non dominabitur: non enìm ſub lege eſtis, ſed ſub gratiâ. Quidergò? peccabimus, quoniàm non ſumus ſub lege, ſed ſub gratiâ? Abſit! Neſcitis quoniàm cui exhibetis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus, cui obeditis, ſivè peccati ad mortem, ſivè obeditionis ad juſtitiam? &c.

D. Auguſtinus (ſerm. 2. de verb. Apoſtoli) *Magnum eſt hoc, quùm ſit ex carne concupiſcentia, & ad carnem pertineant corporis membra, quandò regnat peccatum, idèſt, carnis concupiſcentia, plùs habet juris mens ad tenenda membra carnis, nè dentur in arma iniquitatis,*

Digitized by Google

tis, quàm ipsa concupiscentia carnis ad membra movenda carnis. Itàque concupiscentia est carnis, & membra carnis; mens tamèn, quiâ dominatum habet; tamèn valet, ut de membris ipsius carnis, contrà concupiscentiam carnis possit agere. Quod suadet Apostolus ad Roman. 6. Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis carnis.

Idem (tract. 41. in Evangel. Joann.) *Non ait: Non sit peccatum; sed non regnet. Quamdiù vivis, peccatum* (idèst fomes) *necesse est esse in membris tuis: saltèm illi regnum auferatur: non fiat, quod jubet. Surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum, noli dare iræ manum, ait pedem ad faciendum. Non surgeret ista ira irrationabilis, nisi peccatum esset in membris; sed tolle illi regnum, non habeat arma, undè contrà te pugnet. Discet etiàm non surgere, quùm arma ceperit non invenire. Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed induite arma justitiæ; alioquìn toti captivi eritis, & non erit dicere, mente servio legi Dei. Mens enìm, si teneat arma sua, jam membra non moventur in ministerium furentis peccàti. Hoc age interìm, quamdiù sunt illicitæ concupiscentiæ in carne tuâ: Post concupiscentias tuas non eas. Mane in servitute Dei, in libertate Christi, mente servi legi Dei tui. Nolite dare concupiscentiis tuis vires: sequendo eas, vires eis addis: dando eis vires, quomodo vincis, quandò contrà te inimicas nutris viribus tuis?*

Idem [in Psalm. 90.] *Attendenda est ergò hæc infirmitas carnis, recordanda sunt verba Apostoli ad Roman. 6. Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit, Non sit, sed non regnet. Inest peccatum, si delectaris, regnat si consenseris. Carnalis delectatio, præsertìm usque ad illicita, & aliena progrediens, frænanda est, non relaxanda: imperio domanda, non in imperio collocanda. Attende securus, si non habes undè movearis.*

Idem [serm. 3. in Psalm. 118.] *Intelligere debemus, quandò peccatum, quod habìtat in nobis, operatur in nobis, tùnc nos id non operari, quandò nequaquàm ei Voluntas nostra consentit, & tenet etiàm* (N. B.) *corporis membra, nè obediant desideriis ejus. Quid enìm operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, movetur quidèm nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus. Hoc præcepit idem Apostolus ad Rom. 6. ubi dicit: Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus: nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.*

Idem [serm. 151. de verbis Apost. aliàs 45. de Tempore cap. 6.] *Non ergò quod vult, agit Apostolus; quiâ vult non concupiscere, & tamèn concupiscit; ideò quod non vult, agit. Numquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subjugatum ad fornicationem, & adulteria? Absit: non ascendant tales cogitationes in cor tuum. Luctabatur, non subjugabatur; sed quiâ nolebat nec hoc habere, contrà quod luctaretur, ideò dicebat: Non quod volo, ago: Concupiscere nolo, & concupisco; non ergò quod volo, ago; tamèn concupiscentiæ non consentio. Non enìm aliis diceret: Concupiscentias carnis nè perfeceritis, si eas ipse perfice-*

Digitized by Google

ficeret. Sed constituit tibi antè oculos pugnam suam, ut timeres tuam.

Idem (tract. 41. in Joann.) *Perficere bonum non mihi adjacet; quid non poterat facere, ut concupisceret; faciebat autèm, ut concupiscentiam refrænaret, ut concupiscentiæ non consentiret, & concupiscentiæ membra ad satellitium non præberet.*

Idem (lib. de Continent. c. 2.) *Mente servio legi Dei, carne legi peccati. Quomodò carne legi peccati? Nunquid cõcupiscentiæ consentiendo carnali? Absit. Sed motus desideriorum illìc habendo, quos habere nolebat, & tamèn habebat; sed eis non consentiendo, mente serviebat legi Dei, & tenebat membra* (N.B.) *nè fierent arma peccati.*

S. Hieronym. (Non regnet peccatum &c.) *In corpore mortali vivite ut immortales. Et quomodò regnet peccatum in corpore, exposuit, per obedientiam, scilicèt, & consensum. [Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato] Unumquodque membrum, si officium suum in malos usus verterit, arma iniquitatis efficitur ad justitiam expugnandam. Simùl notandum, quòd homo membra sua cui vult parti exhibeat per arbitrii libertatem.*

D. Thom. (in expositione hujus textus Apostoli) *Non autèm dicit: Non sit peccatum in vestro mortali corpore. Quid quamdiù corpus nostrum est mortale, idèst, necessitati mortis addictum, non potest esse, quìn in corpore nostro sit peccatum, idèst, fomes peccati. Sed ex quo à Deo liberati sumus à regno peccati, debemus conari, quòd peccatum in corpore nostro, dominium jàm amissum non recuperet. Et hoc est, quod dixit: (Non regnet peccatum in vestro mortali corpore) Circà quod considerandum est, quòd dupliciter peccatum regnat in homine. Uno modo, per interiorem consensum mentis: & hoc removendo dicit: (Ut obediatis concupiscentiis ejus) Obedire enim per consensum mentis concupiscentiis peccati, est peccatum regnare in nobis. Eccl. 18. [Post concupiscentias tuas non eas] Secundo modo regnat in nobis peccatum per operis executionem. Et ad hoc excludendum, subdit: (sed neque exhibeatis membra vestra peccato) idèst; fomiti peccati; (arma iniquitatis) idèst, instrumenta ad iniquitatem exequendam. Homo enìm, quùm per membra sua peccatum exequitur, ad iniquitatem exequitur, & hoc ipso impugnare videtur ad resistendum dominium peccati, quod per consuetudinem peccati in nobis convaluit.....*

Deindè, quùm dicit: (Peccatum enìm &c.) assignat rationem admonitionis prædictæ: posset enìm aliquis seipsum excusare (N.B.) *allegans peccati dominium, per quod assereret, se ab observatione admonitionis prædictæ impediri. Hoc ergò Apostolus primò excludit, dicens: (Peccatum enim vobis non dominabitur) scilicèt, si ceperitis peccato resistere, & vos Deo exhibere; secundùm illud Jacob. 4.) Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis; resistite Diabolo, & fugiet à vobis.) Quasi dicat: Ideò potestis prædicta observare, quià non invenitis peccatum in vos dominari, per quod retrahi possitis. Sumus enìm liberati à Christo; secundùm illud Joan. 8. [Si filius vos liberaverit, verè liberi eritis.]*

D. Chrysost. *Non dixit: Nè ergò*

gò vivat caro. Ostendens non vi, ac necessitate, sed voluntate nostrâ à malitiâ possideri. Non dixit: Nè tyrannidem agat, quod ipsum necessitatis est; sed [Nè regnet] Etenim absurdum planè, atquè indecens, ad Cœlorum regnum vocatos, pro Reginâ peccatum habere: vocatos, ut cum Christo regnent, captivos esse malle. Perindè, ac si quis, diademate à capite abjecto, imperiis atque mulieris mendicæ, ac pannosæ servire velit.

Idem [serm. de Zacchæo] Magna vis est voluntatis, quæ nos efficit posse, quod volumus, & non posse, quod nolumus.

S. Anselmus. [Non regnet peccatum in corpore vestro] Idest, non faciat, quod illicitè cupit. Et non solùm non regnet in vobis per consensum, sed etiàm non regnet per operationem. Et hoc est: (Non obediatis) per consensum illicitis concupiscentiis. Sed neque (exhibeatis) idest, tribuatis peccato, idest fomiti peccati, membrorum (arma) idest, instrumenta (iniquitatis) hoc est, pravæ actionis, quâ virtutes debellantur, sicut à quibusdam armis.

D. Theodoretus. Regnum in hoc differt à Tyrannide, quòd existat quidèm Tyrannis, invitis subjectis: Regnum autèm, iis volentibus, quibus imperatur. Suadet ergò, nè peccati potestati amplius assentiamur. Dominus enim humanâ carne susceptâ, ejus Regnum evertit: & ut, qui mortalibus, & adhùc patibile corpus habentibus leges ferret, ea statuit, quæ illorum imbecillitati respondeant. Et non dicit: Ne tyrannidem exerceat peccatum, sed (Ne regnet) Illud enim est illius proprium, hoc verò nostræ mentis. Animi enim perturbationum motus, & vexatio, inest nobis naturâ; eorum autem, quæ sunt prohibita (N. B.) actio à nostrâ mente dependet..... Jubet ergò Paulus, nos non quidèm abjicere peccati Tyrannidem, sed Regnum: id autèm est, fomiti immodicè inflammati, appetitiones corporis nequaquàm cedere. (Et membra vestra arma justitiæ Deo) Ostendit, non malum esse Corpus, sed boni Dei opificium. Posteà enim, si rectè, honestèque ab animâ gubernatur, Deo servire, & suum munus obire: Electionis itaquè ad id, quod est deterius inclinatio, præbet membra, quædam arma peccato: et rursùs cognitionis in eâ, quæ bona, & honesta sunt, affectio, efficit, ut membra Divinis legibus inserviant... Et, ut semèl dicam, (N. B.) omnes corporis partes, & arma justitiæ fiunt, si mens velit: & rursùs peccati, quandò illa peccati potestatem amplexa fuerit. Divinus autèm Apostolus aliundè quoquè ostendit victoriæ facilitatem. [Peccatum enim, inquit, non amplius vobis dominabitur] Non amplius, inquit, natura sola luctatur, sed opem ferentem habet gratiam Spiritus. Hoc enim subjunxit [Non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.]

Origenes. Illud adverte, quòd ostendens in nostrâ potestate situm, ut non regnet in nostro mortali corpore ad obediendum, præceptum dat Apostolus, dicens: [Non ergò regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.] Nisi enim esset in nostrâ potestate, ut non regnaret in nobis peccatum, præceptum utiquè non dedisset. Quomodò ergò possibile est, ut peccatum in carne nostrâ non regnet? Si faciamus illud, quod idem Apostolus dicit: [Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram] etsi semper mortem Christi in corpore nostro cir-

circumferemus .... Si ergò ſciamus, quià corpus noſtrum mortificari poteſt, & mortuum eſſe peccato, poteſt fieri, ut non regnet in eo peccatum. Secundùm autèm hoc, quod mortuum eſt, juſtificatum dicitur à peccato. Neque enim mortuus concupiſcit, aut iraſcitur, aut furit, aut diripit aliena. Si ergò ab his omnibus concupiſcentiis corpus reprimamus, mortuum peccato dicitur eſſe corpus. Et hoc eſt, quod in præſenti loco ità Apoſtolus videtur commonere, dicens: [*In corpore veſtro mortuo.*]

AD GALATAS 5.

v. 17. *CAro enim concupiſcit adversùs ſpiritum: ſpiritus autèm adversùs carnem; ut non quæcumque vultis, illa faciatis.*

v. 19. *Manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.*

v. 21. *Qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.*

v. 22. *Fructus autèm ſpiritus eſt: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas.*

v. 23. *Manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.*

v. 24. *Qui autèm ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.*

D. Auguſt. [in Pſalm. 75.] *Quarè autem permittitur, ut diù contrà te litiges, donèc abſorbeantur omnes cupiditates? Ut intelligas in te pœnam tuam: in te, ex teipſo eſt flagellum tuum: fit rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversùs Deum, ut ipſe ſibi ſit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sèd tene membra tua* (N.B.) *adversùs concupiſcentias tuas malas: ſurrexit ira, tene tu manum conjunctus Deo; potuit ſurgere, ſed non invenit arma. Apud iram tuam impetus eſt, apud te arma ſunt: fit impetus inermis, & diſcit jàm non ſurgere, qui fruſtrà ſurrexit.*

S. Anſelmus [hìc] *Concupiſcentiæ non permittunt vos implere, quod vultis; nolite & vos permittere implere, quod ipſæ volunt: & ità nec vos, nec illæ faciatis, quod vultis: quamvis ergò concupiſcentiæ fiant in nobis, non tamèn perficiuntur, quià eis non conſentitis. Sic & quamvis bona ſpiritus opera fiant, non tamèn perficiuntur; quià ſinè dolore, luctâ, & reſiſtentiâ concupiſcentiæ, planè, hilaritèr, & perfectè ea facere non poteſtis.*

AD COLOSSENSES 3.

v. 5. *MOrtificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſupèr terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam.*

v. 6. *Propter quæ venit ira Dei ſupèr filios incredulitatis.*

D. Auguſt. [lib de Continent. cap. 13.] *Mortificate, inquit Apoſtolus, membra veſtra, quæ ſunt ſupèr terram, fornicationem, immunditiam &c. Et quomodò iſta mortificantur opera continentiæ? niſi cum eis mente non conſentitur* (N. B.) *neque exhibentur eis arma corporis membra? Et quod eſt vigilantiâ majore continentiæ curandum, ipſa etiàm noſtra cogitatio, ſi eorum*

Digitized by Google

rum quâdam ſuggeſtione, & quaſi ſuſurratione tangatur, tamèn abeis, nè oblectetur avertitur. 1

D. Thom [hìc *Mortificate &c.*] *Quì ergò mortui eſtis quantùm ad mentem, mortificate concupiſcentiam in membris, quæ ſunt ſupèr terram, in quantùm ſunt ſupèr terram, & terrena corpora.* 1. *Corinth.* 6. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, idèſt* (N.B.) *non permittendo ei ſe pertrahi ad carnalia. Et ideò ponit peccata in ſpeciali: & primò purè carnalia. Secundò media:* [*& Avaritiam*]. *Intèr carnalia, maximè concupiſcentia inclinat ad luxuriam, ubi eſt actus turpis.*

SUADET RATIO.

324. ACtus ſenſuum externorum, ſeù, motus membrorum corporis humani, ſubduntur Voluntatis imperio; & quidèm *Diſpotico*. Ergò Concupiſcentia, quantumvìs vehemens, cogere nequit hominem omninò renuentem ad exercendos actus ex ſe turpes: ſeù, non datur Carnis tentatio, quæ ſit irreſiſtibilis. Conſequentia liquet. Anteced. eſt indubitatum apud omnes Philoſophos, ac Theologos. Ratio à priori. Externa corporis membra obediunt Voluntati ex quodam inſtinctu naturæ: ſicutì penicillus obedit Pictori. Indè D. Auguſt. [8. Confeſs. cap. 9.] ait: *Imperat animus, ut moveatur manus: & tanta eſt facilitas, ut vix á ſervitio diſcernatur imperium.* Et D. Thom. [p. 1. q. 81. art. 3. ad 2.] *Anima dominatur corpori diſpotico principatu; quià corporis membra in nullo reſiſtere poſſunt imperio animæ, ſed ſtatìm ad appetitum animæ movetur manus, pes, quodlibet membrum, quod natum eſt moveri voluntario motu.*

325. Et quamvìs aliqua ſit diſſentio intèr Thomiſtas, & Schotiſtas, cuinam Appetitui in homine, an ſcilicèt, ſenſitivo, aùt rationali, ſubdatur potentia motiva? Et, an poſſit uni tantùm obedire? Certum tamèn eſt in utrâque ſcholâ, quòd, adhùc reluctante Appetitu Senſitivo, Voluntas poteſt imperare motum. Eſtò namque corporis membra non moveant ſeipſa, ſed moveantur per potentias ſenſitivas; ut loquitur Doctor Angelicus [1. 2. q. 17. in corpore] licèt utiquè Voluntas imperet Appetitui Senſitivo principatu tantùm *politico, & regali*, non autèm *diſpotico*; eò quià *appetitus ſenſitivus* (ait S. Præceptor 1. part. q. 81. art. 3. ad 2.) *habet aliquid proprium, undè poteſt reniti imperio rationis*: Nihilominùs, ex eodem [ibid. in corpore] *Voluntati etiam ſubjacet Appetitus Senſitivus quantùm ad executionem, quæ fit per vim motivam. In aliis enìm animalibus* (N. B.) *ſtatìm ad Appetitum concupiſcibilis, & iraſcibilis ſequitur motus; ſicùt ovis timens lupum, ſtatìm fugit; quiá non eſt in eis ſuperior Appetitus, qui repugnet. Sed homo non ſtatìm movetur ſecundùm Appetitum iraſcibilem, & concupiſcibilem, ſed expectat imperium voluntatis, quod eſt Appetitus ſuperior. In omnibus enìm potentiis motivis ordinatis* (en ratio à priori) *ſecundum movens non movet, niſi virtute primi moventis. Et hoc eſt, quod Philoſophus dicit in* 3. *de Animâ,*

Digitized by Google

quòd Appetitus ſuperior movet Appetitum inferiorem, ſicùt ſphæra ſuperior inferiorem.

Nequè dicas, potentias ſenſitivas obedire rationi, & Voluntati ſecundùm *Imperium Civile* dumtaxàt, & non ſecundùm *Diſpoticum*; & conſequentèr ità quoquè obedire corporis membra: quæ non alitèr obedire poſſunt rationi, & Voluntati, niſi ut inſtrumenta potentiarum ſenſitivarum.

326. Non valet. Quiâ appetitus ſenſitivus in homine, ſi aliquod habet imperium, eſt tamèn dependens à Voluntate, quæ propria eſt Domina. Poteſt quidèm Appetitus Senſitivus allicere Voluntatem, ſed cogere nequit; ut oſtendimus Sect. præced. Undè D. Anſelmus [de Concept. Virg. cap. 4.] inquit: *In regno Animæ, voluntas, & quidèm ipſa ſola, dicere poteſt: Sic volo, ſic jubeo.* Ipſemet quoquè Intellectus non habet imperium *Dominativum*, ſed tantùm *Suaſivum*, ſeù *Conſultivum*: inſtàr Conſiliarii Regis, cui proponit motiva pro hoc proſequendo, & illo omittendo.

327. Et licèt Appetitus Senſitivus non rarò obſiſtat Voluntati, & ſæpè hanc trahat ad ſui ſententiam; verùm ſi Voluntas non velit, ſi ſeriò, abſolutè, & efficacitèr imperat, ſemper vincet; ut adnotavimus Sect. mòx citatâ. Siquidèm, Appetitus ſenſitivus reſiſtit quidèm imperio Voluntatis; ſed quandò imperium Voluntatis eſt remiſſum, non verò quandò eſt virile, validum, & perfectum. At in membris corporis nulla eſt repugnantia, quominùs obtemperent Voluntati. Ratio à priori. Quiâ membra corporis non habent ex ſe objectum aliquod, quod ſit contrarium objecto rationis; objectum autèm potentiarum ſenſitivarum aliquandò eſt contrarium rationi. Undè Cajetan. [1. 2. q. 17. art. 9.] ait: „ Conſtat autèm, quòd Appetitus Senſitivus, „ & corpus aptum natum obſequi „ rationi, ſic ſe habent ad propria „ bona: quòd Appetitus Senſitivus ex naturâ propriâ inclinatur „ ad bonum contrarium rationi. „ *Caro enìm concupiſcit adversùs „ ſpiritum, & ſpiritus adversùs „ carnem.* Corpus autèm ex naturâ ſuâ non inclinatur ad bonum „ diſſonum rationi. Cujus duo ſignа ſunt: primum, quòd corpora „ cœleſtia ad ſolum rationalem „ motum habilia ſunt, nihil omninò habentia impedimenti ad „ obediendum rationi motrici. Secundum, quòd in nobis nullus „ novus motus animalis membrorum noſtrorum ſubducitur ab „ obedientiâ, & imperio rationis; „ niſi ſolus motus pudendorum, „ qui ad maximè delectabile, ſecundùm ſenſum, quod eſt objectum Appetitus Senſitivi, ordinatur: de quo ſcriptum eſt: *Video aliam legem in membris meis, „ repugnantem legi mentis meæ.*

328. An verò ſit ſemper neceſſarium imperium poſitivum Voluntatis, vèl quandòque ſufficiat ſolus Appetitus Senſitivus, ad cauſandum motum, voluntate merè negativè ſe habente? Hæc pars videtur probabilior cum Scoto [2. diſt. 42. q. 4. Lit. N. & R.] & patet quotiès vis rationis eſt ligata; ut in ſomno; & tamèn multi exercentur motus vi Appetitus Senſitivi. Quòd ſi dicatur cum Averſa, etiàm in iſto caſu, & in motibus primò primis intervenire aliquem actum Voluntatis, quamvis indeliberatum: certò

non

Digitized by Google

non tàm facilè impugnabitur; nisi ex illo capite, quòd possit dari pura omissio libera. Nàm, Voluntate suspendente omnem actum, videtur posse Appetitum Sensitivum aliqualitèr operari, & imperare. Id autèm parùm confert ad rem nostram.

329. Deniquè, pro totali intelligentiâ, advertere debemus, quædam corporis membra non subdi imperio Voluntatis; ut Cor, genitalia, pulmones, arteriæ, & alia hujusmodi. Motus enim horum membrorum dicitur naturalis, seù, purè vitalis: qui, nimirùm, non fit ex directione alicujus potentiæ cognitivæ: ad distinctionem motus animalis, qui pendet à cognitione, & appetitu, & (in homine) adhùc à Voluntate. Cùr autèm Voluntas imperare nequeat cordi, genitalibus &c. rationem reddit D. Thom. [1.2. q.17. art.9. ad 3] *Dicendum, quòd, sicùt Augustin. dicit 14. de Civit. Dei cap. 16. & 20. non procùl à fine: Hoc, quòd motus genitalium membrorum rationi non obedit, est ex pœna peccati: ut, scilicèt, animæ suæ inobedientiæ ad Deum, in illo præcipuè membro, pœnam inobedientiæ patiatur, per quod peccatum originale ad posteros reducitur. Sed quià per peccatum primi parentis, natura est sibi relicta, subtracto supernaturali dono, quod homini divinitùs erat collatum; ideò consideranda est ratio naturalis, quarè motus hujusmodi membrorum specialitèr rationi non obedit: cujus causam assignat Aristoteles in lib. de causis motus animalium cap. 8. dicens: involuntarios esse motus cordis, & membri pudendi, scilicèt, quià ex aliquâ apprehensione hujusmodi membra commoventur: in quantùm, scilicèt, Intellectus, & Phantasia representant aliqua, ex quibus consequuntur passiones animæ, ad quas consequitur motus horum membrorum: Non tamèn moventur secundùm jussum rationis, aùt Intellectus; quià, scilicèt, ad motum horum membrorum requiritur aliqua alteratio naturalis, scilicèt caliditatis, & frigiditatis: quæ quidèm alteratio non subjacet imperio rationis. Specialitèr autèm hoc accidit in his duobus membris; quiæ utrumque istorum membrorum est quasi quoddam animal separatum, in quantùm est principium vitæ; principium autèm est virtute totum. Cor enim principium est sensuum: & ex membro genitali virtus exit seminalis, quæ est virtute totum animal; & ideò habent proprios motus naturalitèr; quià principia oportet esse naturalia; ut in solut. ad 2. dictum est.*

330. Benè verum est, quòd, estò hæc ità se habeant naturalitèr, & ratione sui; potest tamèn Voluntas applicare, vel removere calida, aùt frigida, à quibus fit alteratio naturalis: aliaquè adhibere remedia, quibus cohibeatur, aùt saltèm moderetur hujusmodi alteratio. Et in hoc sensu, motus horum membrorum dicitur voluntarius. Ità Philosophi, & Theologi omnes fatentur.

Digitized by Google

DELIRAMENTA ADVERSARIORUM IMPROBANTUR.

I. INſanit Lutherus. Impoſſibile eſt, ut quis non prorumpat in actus ex ſe turpes, impulſus à vehementi concupiſcentiâ, & inflammatus ardentibus carnis facibus. Ergò adhùc æenitente Voluntate, homo, velit, nolit, cogitur à libidinis æſtu ad exercendos actus inhoneſtos. Ant. conſtat ex Matth. [19. v. 11.] ubi Salvator loquens de iis, qui ſe caſtraverunt proptèr Regnum Cœlorum, ait: *Non omnes capiunt verbum iſtud: qui poteſt capere capiat.*

℟. D. Chryſoſtomus [hom. 63. in Matth.] ubi exponit verba mòx allata. *Ut eam* (Virginitatem) *eſſe poſſibilem oſtendat, ſic inquit:* [*Sunt Eunuchi, qui ex ventre matris ità nati ſunt; & ſunt, qui ab hominibus Eunuchi facti ſunt; & ſunt, qui ſeipſos caſtraverunt proptèr regnum Cœlorum*]. *Quibus verbis latenter eos ad eligendam virginitatem inducit, dùm eam virtutem eſſe poſſibilem aſtruit. Id autèm hoc ferè modo confirmat. Cogita tecum, ſi aùt à naturâ talis eſſes, aùt ab hominibus eam injuriam paſſus; quid faceres, quùm & ejuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur nùnc Deo agas, quòd cum mercede, atquè coronis idem ſuſtines, quod illi ſinè coronis, & præmio tolerant. Imò verò, non idem, ſed multò leviùs: tùm quià ſpe erigeris, & conſcientiâ rectè factî: tùm quià non ità ingentibus concupiſcentiæ fluctibus jactaris. Quùm ergò de illis Eunuchis dixerit, qui niſi etiàm ipſi mente ſe contineant, fruſtrà, & inutilitèr tales ſunt: ac de illis, qui, ut regnum Cœlorum conſequantur, ſe continent; ſubjunxit rurſùs dicens:* [*Qui poteſt capere capiat.*] *Ut alacriores efficiat, eò ipsò, quòd grave eſſe opus oſtendit. Et ineffabili benignitate ſuâ noluit eam rem intrà neceſſitatem legis concludere; idque dicendo, adhùc magis poſſibilem eſſe demonſtrat, ut voluntatis ſtudium plùs augeatur.* Hæc eſt germana textus allegati expoſitio, & non extorſio Lutheri, & aliorum deſipientium.

331. ℟. 2. Impoſſibile quidèm eſſe homini ſibi ipſi relicto, & ſolis naturæ viribus, reſiſtere gravi, & vehementi carnis tentationi; ſed facilè eſſe homini, Dei auxilio ſuffulto; ut dicebamus ſupra. *Omnia*, (nihil excludendo) ait Apoſtolus [ad Philipp. 4. v. 13.] *poſſum in eo, qui me confortat.* Hoc autèm auxilium, nemini facienti, quod in ſe eſt, denegat Deus; ſed omni petenti tribuit. *Fidelis autèm Deus*, iterùm inquit D. Paulus [1. Corinth. 10. v. 13.] *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiàm cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Si, ut poſſimus ſuſtinere: ergò ut poſſimùs reſiſtere; imò, ut vincere poſſimus. Idem quoquè Salvator proteſtatur, dicens [Marc. 11. v. 24.] *Quæcumque orantes petitis, accipietis.* Si quis ergò, ità ſe ſentit accenſum à concupiſcentiâ, & ſtimulatum à petulantiâ carnis, ut videatur non poſſe reſiſtere, recurrat ad Deum, adjutorium petat ab Altiſſimo, qui ſeipſum negare nunquàm ſcivit facienti, quod poteſt. *Si quis indiget ſapientia*, teſtatur Jacob. [cap. 1. v. 5.] *poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluentèr, & non improperat,*

&

Digitized by Google

& dabitur ei. Faciat, quod Sapiens [Sapient. 8. v. 21.] egit: *Et ut scivi, quoniám aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum, & deprecatus sum illum*. Ea verò, quæ per Deum possumus, verè possumus; prout D. Th. (q. 156. de Incontinent.) docet ex Philosopho.

Instat Calvinus [in suo opere de Institut. Christianæ Relig. c. 15. dist. 18.] Etsi bonum sit petere adjutorium à Domino; hoc autèm non est sufficiens ad continendum. Quis enim nostrum pepigit cum Deo? Nàm, cum Deus non omnibus dari pronunciet continentiæ donum, nostrum non est fiduciam capere istius doni specialis: Qui habent, eo utantur: si quandò se à carne suâ inquietari sentiunt, fugiant ad ejus opera, cujus solâ virtute possūt resistere: nec remedium, quod ipsis offertur, contemnat. Certâ enim voce citantur ad conjugium, quibus continendi facultas denegatur.

332. Rt. Plurima sunt in his verbis, quæ absque redargutione præterire non licet. Et quidèm primò irridet eos, qui castitatem vovent, eò quòd hac ratione ostendunt, se cum Deo pepigisse, ut eos liberet à necessitate conjugii. At quàm injustè, patet ex illo Patrefamilias, qui Dei figuram gerens [Matth. 20.] *Conventione factâ cum operariis ex denario diurno, misit illos in vineam suam*. Itaquè, si Deus pro vitâ æternâ (ut omnes Sacri DD. interpretantur Vineæ parabolam istam) conventionem fecit nobiscum, immeritò Calvinus subsannat, eò quòd ii, qui castitatem Deo promiserunt, dicant, se cum Deo pepigisse, ut illos in castitate conservet. Sicùt enim Deus vitam promisit æternam servāti sua mandata; ità promisit opem, & auxilium omni invocanti illum, & ad suum auxilium confugienti. *Respicite filii nationes hominum*, ait Eccl. [2. v. 11.] *& scitote, quid nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum?* Tandèm, nè Calvinus dicat, nostrum esse figmentum, & novum dogma, quo asserimus, Deum in hac re pactum inire nobiscum; audiat Clementem Alexandrinum, qui [lib. 3. Stromatum paulopòst initium libri] sic testatur: *Est ergò continentia corporis dispicentia, convenientèr pactis conventis cum Deo initis*.

Urget Impius. Non sempèr Deus hoc pactum servat; nàm multi sunt, qui votum castitatis non servant.

333. Hæc instantia est insipiens, & inepta. Multi quidèm sunt, qui concitati à concupiscentiæ stimulis, laxis currunt habenis ad carnis illecebras. Quid indè? Non quià Deus deficiat in pacto servando: *Non est enim Deus, quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur* [Num. 23. v. 19.] Sed deficiunt homines, qui non faciunt, quod possunt: nec Dei implorant favorem, proùt oportebat. *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum*. [Oseæ 13. v. 9.] Sit Concupiscentia quantumvis vehemens, & carnis tentatio quasi murus inaccessus; *In te eripiar à tentatione* lætus, & securus canebat David [Ps. 17. v. 30.] *& in Deo meo transgrediar murum*.

334. Quòd autèm Deus non pronunciaverit, omnibus dari continentiæ donum, non indè benè infertur, quòd non debeamus capere fidu-

Digitized by Google

fiduciam hujuſmodi dōni ſpecialis. Alioquìn nec poſſemus capere fiduciam à Deo ad faciendum aliquod virtutis opus, quodcumque ſit illud; nàm *omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt.* (Jacob. 1. v. 17.) Et Apoſtolus ait: (ad Philipp. 2. v. 13.) *Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere, pro bonâ voluntate.* Profectò, non omnes abſtinent à carnis ſpurcitiis: ſicutì nec omnes, etiàm conjugati, continentur ab adulteriis: nec omnes cohibentur à furto, ebrietate &c. Verùmtamèn, ut unuſquiſque iſta, & ſimilia caveat delicta, non minùs indiget Dei auxilio, quàm ad Continentiam ſervandam. Et quamvìs Carnis tentatio, ordinariè loquendo, moleſtior ſit, quàm aliæ paſſiones; tamèn interdùm aliqui ſunt magìs proni ad furtum, ebrietatem &c. quàm ad libidinem. Sempèr itaquè fidéndum in Deo, & nunquàm deſperandum in opere, quantumvis arduo, cujuſcunque virtutis; juxtà teſtimonium D. Joannis (1. Epiſt. cap. 5. v. 14.) *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: Quìà quandocumquè petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Et ſcimus, quìà audit nos, quidquid petierimus.*

335. Magis impia, & Deo injurioſiora ſunt illa verba Calvini: *Eos, qui ſentiunt ſe à carne ſuâ inquietari, fugiant ad ejus opera, cujus ſolâ virtute poſſunt reſiſtere, nec remedium, quod ipſis offertur, contemnat. Certè enim Dei voce citantur ad conjugium, quibus continendi facultas denegatur.* Aſt dicat ſceleſtus, an illi, quibus ipſe dicit, Deum denegaſſe facultatem continendi, fecerint quidquid ex ſe poterant ad continentiam ſervandam? nempè, ſi oraverint ad Deum cum fervore, ut oportebat, & filiali confidentia? An fortè nihil horum fecerint? Si fecerunt quidquid ad eos attinebat, nefarius blaſphemat; dùm maximam irrogat injuriam Deo, vocando ipſum infidelem, & promiſſa minimè ſervantem. Siquidèm Clementiſſimus Pater noſter Cœleſtis teſtatur (Pſalm. 90. v. 14. & 15.) *Quoniàm in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniàm cognovit nomen meum: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Ipſemet, ipſemet Deus promiſit omnibus, ſinè alicujus exceptione, juvamen in laboribus, in anguſtiis, in tentationibus [Matth. 11. v. 28.] *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Certò carnis tentatio grave eſt onus; juxtà illud [Sapient. 9. v. 15.] *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam.* Et qui hoc portant onus, magno fatigantur labore; ſed omnes iſtos, & quoſcunque alios oneratos, Deus vocat ad ſe, & omnibus offert refectionem, idèſt, conceſſionem eorum, quæ juſtè eſuriunt, & ſitiunt. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, iterùm Salvator noſter Patris ſui benignitatem, & favorem repromittit [Joann. 16. v. 23.] *dabit vobis.* Non ait, hoc, vel illud dabit vobis; ſed quidquid petitum ſumet: non excepit hunc, aut illum: nèc particularitèr loquutus fuit, ſed univerſalitèr. Verùm, promiſſionibus ſuis Deum ſempèr ſatisfeciſſe, quis Catholicorum dubitare audet? Undè Apoſtolus [ad Hebræos 10. v. 23.] *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt, qui repromiſit.)*

336.

Digitized by Google

336. Si autèm ii, quibus Deus non dat continendi facultatem, non fecerunt quod poterant, ipsorum erit culpa. *Petitis*, ait Jacob. [cap. 4. v. 3.] *& non accipitis, eò quòd malè petatis*. Non dixit, *mala*, sed *malè petatis*. Nàm, si fervidè, & instantèr orassent, impetrassent utiquè Dei auxilium. Sìc certiores nos facit Regius Prophæta [Psal. 144. v. 18.] *Propè est Dominus omnibus invocantibus eum: invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos*. Idèst, exponit D. Hieronym. *Dùm eos eruit vèl ab instigatione Diaboli, vèl ab ardore peccati*. Sèd reflectere oportet, quòd David non contentus semèl dixisse: *Invocantibus eum*, mòx repetit, & addit: *Invocantibus eum in veritate*. Porrò sunt aliqui, qui invocant Deum in mendacio: suntque ii, qui solis labiis, & non corde orant: qui continentiam petunt, & nihil agere volunt ad eam servandam: horrescunt jejunia, carnis macerationem, vigilias, aliaque remedia ad redigendam carnem in servitutem spiritus; gulones sunt, ebrii, otiosi, curiosi, & amplexantur omnia, quæ continentiæ adversantur.

Id totum confirmant Patres. D. Hieronym. (ubi suprà, premens verba illa: *Quibus datum est*.) ait: *Nemo putet, sub hoc verbo (Quibus datum est) vel fatum, vel fortunam introduci, quòd hi sunt Virgines, quibus à Deo datum sit, aùt quos quidèm ad hoc casus adduxerit. Sed iis datum est, qui petierunt: qui voluerunt: utquè acciperent, laboraverunt. Omni enìm petenti, dabitur, & quærens, invenìet, & pulsanti, aperietur*.

Doctori maximo adstipulantur alii SS. Patres in exponendo textum prælatum; ut videre quisque poterit. Solum referam Origenem, qui (homil. 7. in Matth.) sic interpretatur ea Christi verba: *Quoniàm autèm quidam calumniantur, quod Christus ait: (quibus datum est) Quasi excusationem habentes, & volentes quidèm esse in castitate, non autèm prævalentes. Quibus est respondendum: siquidèm accipimus simpliciter, quod dictum est (sed quibus datum est) non autèm attendimus, quod alibi dicit: (Petite, & dabitur vobis) & (Omnis, qui petit, accipit.) Aùt fideles non sumus, aùt nescientes Scripturas. Qui enìm vult capax esse verbi, quod de castitate positum est, petat: credens dicenti, & accipiet, non dubitans de illo, quod dictum est (Omnis qui petit, accipit). Quis ergò est, qui petit? Qui credit Christo dicenti: (Si steteritis orantes, credite, quid accipietis). Debet enìm, qui petit, omnia facere quantùm ad se: ut oret spiritu, oret & mente; memor Apostolici verbi, quod ait: (sinè intermissione orantes.)*

Breviùs, sed acutiùs Tertullianus (lib. de Monogamia) *Qui potest capere, capiat: idèst, qui non potest, discedat. Elige, quod bonum est: si non potes, quid non vis (posse enìm te, si velis, ostendit, qui utrumque tuo arbitrio proposuit) discedas ab eo oportet, cujus non facis voluntatem*.

Videant igitùr ii, qui putant, vehementem concupiscentiam, & gravem Carnis tentationem, nedùm impellere hominem, sed & compellere ad turpia, ipsius Voluntate penitùs, & omninò reluctante: ponderent, inquam, & eligant cui se ve-

Digitized by Google

velint ſubdere cenſuræ: An Infideles ſe dici mallint? an Sacrarum Scripturarum ignaros? Etenim in horum alterum, aùt in utrumque incidere neceſſe eſt.

II. Scioli, qui vix à longe ſalutavere Theologiam, adverſantur. Tanta eſſe poteſt vehementia concupiſcentiæ, tàmque ardens libidinis æſtus, tàmque urgens ad venerea, ut homini non ſit liberum non prorumpere in actus obſcœnos. Sicutì habitus malus, non ſolùm adducit impotentiam operandi bonum, quod eſt ei contrarium; quaſi tolleret ſolam *Indifferentiam contrarietatis*; ſed potentiſſimè, ac creberrimè urget ad operandum malum: itàut ab eò abſtinere non ſit liberum, nec ſalva manet *Indifferentia Contradictionis*, quæ fuit antè habitum.

337. Rt. Quot verba, tot proferunt blaſphemias. Motus enim concupiſcentiæ, adhùc vehementiſſimi, non perimunt libertatem; ut ex ſanâ Theologiâ oſtendimus ſuprà: Quamvis enim auferant *Indifferentiam Inclinationis*, tamèn non tollunt *Indifferentiam Elicientiæ*: in quâ conſiſtit libertas. Ità quoquè habitus boni, aut mali, etiàm intenſiſſimi, non perimunt libertatem. Eſtò namque tollant *Indifferentiam Inclinationis*, non auferunt *Indifferentiam Elicientiæ*. Habitus bonus inclinat ſanè potentiam ad bonum: ſicutì habitus malus ad malum; hæc enim eſt natura habitus; neuter tamèn aufert à potentiâ poteſtatem non agendi; imò nec agendi contrarium. Undè uterque habitus utramque relinquit *Indifferentiam*, tàm *Contradictionis*, penès poſſe agere, & non agere: quàm *Contrarietatis*, penès poſſe agere ſecundùm inclinationem habitus, & poſſe agerè contrà ejus inclinationem. Hinc Doctor Angelicus (part. 1. q. 83. art. 1. ad 5.) docet: *Qualitates autèm ſupervenientes ſunt, ſicùt habitus, & paſſiones, ſecundùm quas aliquis magis inclinatur in unum, quàm in alterum. Tamèn iſtæ etiàm inclinationes ſubjacent judicio rationis, & hujuſmodi etiàm qualitates ei ſubjacent: in quantùm in nobis eſt, tales qualitates acquirere, vèl cauſalitèr, vèl diſpoſitivè: vèl à nobis excludere. Et ſic nihil eſt, quod libertati arbitrii repugnat.* Poteſt itàque concupiſcentia vehemens concitare, & inclinare hominem ad inhoneſta; non autèm poteſt cogere. Poteſt gravis tentatio carnis allicere, & impellere ad actus ex ſe turpes; ſed compellere nequit, Deo favente, qui ſempèr præſtò eſt. *Impulſus everſus ſum, ut caderem*, inquit David [Pſalm. 117. v. 13.] *& Dominus ſuſcepit me.*

III. Pſeudo-Myſtici loquuntur linguâ brutali. Æquè animalis eſt homo, ac rationalis; quapropter non minùs naturale eſt homini, quà animali, concupiſcere ſenſibilia; quàm optare honeſta, & ſpiritualia, quâ rationali. Ergò concupiſcentia delectabilium ſic poteſt creſcere, ut frænari non poſſit à Voluntate. Nàm, motus concupiſcentiæ naturales ſunt, & actus hominis.

338. Rt. Quamvis homo animalis ſimùl ſit, & rationalis; Voluntas tamèn in eo ſibi naturalitèr vindicat principatum. Eſtò igitùr Appetitus Senſitivus conveniens homini, quà animali, naturalitèr concupiſcat bona ſenſibilia; ipſi tamèn, ut ſubjecto Appetitui rationali, non eſt naturale concupiſcere ſenſi-

Digitized by Google

sensibilia contrà ordinem rationis, & Voluntatis. Sanè ex D. Thom. ubì suprà relato, naturalis ordo exigit, ut inferiora subdita sint superioribus. Quod egregiè D. August. [lib. 2: de Genes. contrà Manich. cap. 11.] explicat exemplo mulieris, quæ ex naturâ subdita est viro. *Ad cujus rei exemplum*, ait, *fœmina facta est, quam rerum ordo subjugat viro; ut, quod in duobus hominibus evadens apparet, idèst, in masculo, & fœminâ, etiàm in uno homine considerari possit: ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior, tanquàm virilis ratio, subjugatum, & justâ lege modum imponat adjutorio suo. Sicùt vir debet fœminam regere* (N. B.) *nèc eam permittere dominari in virum: quod ubì contingit, perversa, & misera est.*

339. Indè manifestum est discrimen intèr Appetitum Sensitivum hominis, ac bruti: siquidèm in bruto est sola pars sensitiva, & nulla rationalis; ideò cum toto impetu fertur in sensibilia, quùm nulli superiori adversetur, nec sit, qui possit renuere. Verùm in homine duplex est Appetitus, nempè Sensitivus, & Rationalis: & ille huic obtemperare naturalitèr debet; ut in republica interiori sit pax, quæ est *Tranquillitas ordinis*. Ubì verò pars inferior principatur superiori, ibì non ordo, sed horror inhabitat. Hìnc D. August. (lib. 4. contrà Julian. cap. 5.) præoccupans objectionem jàm allatam, inquit: *Hæc libido, ideò malum non est in belluis, quoniàm non repugnat rationi, quâ carent.* Ex quo discrimine S. Præceptor [lib. 1. de Peccat. Orig. c. 40.] deducit præcellentiam naturæ humanæ his aureis verbis: *Pecori comparatur homo per vitium, non per naturam, non pecoris vitio, sed naturæ. Tantæ namquè excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris.*

Si autèm Concupiscentia, seù carnis tentatio, erit sic furiosa, ut reddat hominem mentis expertem, jàm sumus extrà quæstionem; quià de tali mente capto discurrere debemus, sicùt de Equo, & Mulo, quibus non est intellectus. Nàm, actus hujusce insani, non erunt actus humani, sed tantummodò actus hominis; juxtà locutionem Theologorum, & proùt suprà præmisimus.

Tandèm pro coronide hujus Sectionis, sit discursus D. Chrysostomi (homil. 16. supèr Epist. ad Hebræos) *Quid difficiliùs, quàm cum gladiis pilarum more ludere? Quid autèm gravius, dic mihi, quàm profundum pelagi scrutari? & decem millia alias artes quis dicere possit? Sed omnium istarum facilior est virtus, si voluerimus & in Cœlum ascendere. Velle enìm hìc opus est tantùm, & omnia sequuntur. Non potes enìm dicere, Non possum, neque accusare potes Conditorem; si enìm impotentes nos fecit, & deindè imperat, culpa ejus est. Quomodò ergò (inquies) multi non possunt? Quomodò multi nolunt; si enìm voluerint, omnes poterunt; propterè quod & Paulus dixit: [Volo omnes esse sicùt meipsum] Quoniàm sciebat, quòd omnes poterant esse, sicùt ipse. Nequaquàm enìm hoc diceret, si impossibile esset. Vis fieri? principium tantùm apprende. Dic autèm mihi: in artibus cunctis, quùm voluerimus in eis perfecti fieri, non sufficit nobis velle, an non etiàm aggredimur ipsas res? velutì quod di-*

Digitized by Google

co:vult aliquis fieri Gubernator, non dicit, Volo, & hoc ei ſufficit; ſed etiàm rem ipſum aggreditur. Et ſic in omnibus, non ſufficit velle tantùm, ſed etiàm opus oportet addere. In Cœlum autèm volens aſcendere, dicis tantùm, Volo. Quomodò ergò dicebas (inquies) quiâ velle ſufficit? De Voluntate dixi, cui ſit adjunctum opus ipſum, quæ laboranti in ipsâ re concurrat. Habemus quippè Cooperatorem, & Adjutorem Deum: tantùm velimus, tantùm opere accedamus ad rem ipſam, tantùm curam geramus, tantùm in mentem ponamus, & cuncta ſequuntur.

340. Itaquè liquidò conſtat, non dari Concupiſcentiam vehementiſſimam, quæ hominem cogat, omninò renuentem, ad actus ex ſe turpes: ſeù, non dari Carnis tentationem, quæ ſit irreſiſtibilis, & compellat contrà Voluntatem corporis membra ad nefaria. Qui ſentit in contrarium, ſentit cum Joviniano, qui putavit: *Neminem poſſe reniti coëundi inclinationi.* Sentit cum Luthero, qui dixit: *Impoſſibile eſſe ſervare Virginitatem;* & ideò non eſſe bonam, quiâ omnes humanas vires ſuperat, nec ſolùm ſuperat, ſed eſt vitæ propriæ inimica; quoniàm ad vitæ propriæ conſervationem, ità eſt neceſſarium uxoris uſum, ſicùt cibus, & potus. Sentit cum Calvino, qui aſſeruit: *Recurſum ad Deum non eſſe remedium ſufficiens ad continentiam ſervandam.* Sentit cum Pſeudo-Myſticis, & ſpurcitiarum Magiſtris, qui carni, & non ſpiritui ſervientes, ideò non poſſunt continenter vivere: & quiâ ipſi non poſſunt, quiâ nolunt; indè docent eſſe impoſſibile cæteris; ſuo enim pede aliorum pedes metiuntur. His benè adaptari poteſt id, quòd in ſimili causâ elegantèr ſcripſit Chriſtianus Poeta:

Noctua Phœbeum viſu non ſuſtinet Orbem:
Hoc etiàm Jovis armigero putat eſſe negatum.
Sic genus exangue, ſuis quod viribus impar
Aſtumat, Herculeos excellere poſſe lacertos.

REFLEXIO.

341. ALtam proſpeximus foveam, in quam præcipites inciderunt obſcœnitatum defenſores; ſed adhùc lapſus cauſam non quæſivimus. Hæc autèm non fuit una, aùt ſubita; quandoquidèm *nemo repentè fit peſſimus.* Nèc hoſce miſeros tantùm uno, ſed pluribus gradibus deſcendiſſe in profundum malorum, indubium eſt. Quocircà, gradus deſcenſus brevitèr referam ad noſtram cautelam; juxtà Domini præceptum [Levit. 15. v. 31.] *Docebitis ergò filios Iſrael; ut teneant immunditiem, & non moriantur in ſordibus ſuis.*

342. Primus gradus fuit, Orationis intermiſſio. Quùm enim oratio adeò ſit neceſſaria ad tentationes, præſertim graves, ſuperandas, ut abſque illâ victoriam de carne ſperare, prorsùs inane videatur; Domino teſtante [Matth. 26. v. 41.] *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Atquè adeò, qui eâ ſunt deſtituti, velùt inermes ad bella procedentes, in certamine occumbere neceſſe ſit.

343. Secundus gradus. Profligatâ oratione, & conſequentèr pulſo

Digitized by Google

pulso cœlestis luminis splendore, mens demergitur in tenebras: indè Leo rugiens Diabolus, tentationum monstra, cunctaquè animalia egrediuntur immunda, & hùc, illùcque discurrunt. *Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* [Psalm. 103. v. 20.] Ex quò autèm mens caligare cœpit, tentationes fœdas permittit; non autèm adhùc admittit: Serpentem habet in sinu; sed non amplectitur, nec expellit: advertit cogitationes pravas; sed non consentit, nequè dissentit; sed merè negativè (ut ipsi ajunt) se habet.

344. Tertius gradus. Draco non statìm conculcatus, erigit caput, & evomit venena: ità carnis tentatio jàm ingressa in animam, & ab initio non excussa, contendit principatum; at quià ipsi est de jure indebitum; ut decipiendo obtineat, mollitèr suadet, dulcitèr allicit, & suavibus deliciis pellit Voluntatem, ut dominium cedat, & obtemperet Voluptati. Non repugnat Voluntas, nequè subjacet; sed velutì semi-dormiens manet suspẽsa: vel, si contradicit, nimìs remissè resistit. Interìm concupiscentia jàm effrænis percurrit indomita, per totum corpus virus effundit ardentissimum, humores concitat, lumbos accendit, pectus inflammat, impuros suscitat motus, omnesque potentias materiales internas, quæ imperio subduntur suo, glomerat ad prælium, atquè ad expugnandum Voluntatis principatum. Tùm autèm Voluntas abstracta, & illecta inclinat ad delectabilia; ea verò non amplectitur, nec respuit: impugnata, non pugnat: provocata, non aggreditur; sed manet velutì truncus. Indè Concupiscentia toto impetu, dùm ei nullis modis resistit, invadit carnem, irritat venerea, causat pollutionem, aùt saltèm stillicidium.

345. Quartus gradus. Mulier pœnitens, talibus polluta spurcitiis, currit confusa ad suum Patrem spiritualem: qui, vèl eoquià eisdem est maculatus sordibus, accusat corporis complexionem, & carnis infirmitatem: Vel quià non vult contristare delicias suas (amat enìm filiam spiritualem, quià est pulchra nimìs) excusat impossibilitatem obsistendi: Vèl quià levis est corde, citò credit pœnitenti, & fatenti, in iis actibus inmundis non adfuisse consensum; & consequentèr nullum esse peccatum. En error Michaelis Molinos, vèl, ad minimum, ei proximus.

346. Quintus gradus. Sìc stante conscientiâ malâ, & tranquillâ, non quiescit Concupiscentia, sed plùs, & ultra progreditur, usquè dùm in sordibus sordescat adhùc, & omninò expleatur. Hìnc manus impellit ad actus externos ex se turpes, & quidèm ad satietatem usquè (si utiquè satiari potest). Magìs attonita recurrit pœnitens ad suum Moderatorem: ipsi pandit animæ suæ angustias: tactus impudicos à semetipsâ habitos: pudendorum confricationes, etiàm usque ad seminis effusionem: aliasque inhonestas actiones externas. At Director (seù veriùs Seductor) Juvenculæ sedat animum, sub prætextu violentis concupiscentiæ, tentationis gravissimæ, extraordinariæ, novi generis, & irresistibilis; quò circà omnem deponat scrupulum, & foràs pellat timorem; quià patitur invita, agit coacta; ideòque trepidat timore, ubì non est timor. Ulteriùs subdit, ad hanc roborandam doctrinam (di-

Digitized by Google

cemus nos deceptionem) plures Sanctas Virgines talia paſſas, & his minimè obſtantibus, & manſiſſe pudicas, & Sponſo placuiſſe Cœlesti. Deniquè ſubjungit aliquid pejus, & deterius: nimirùm, adhùc & in ſemetipſo haſce violentias experiri, & fœditates: eaſque parvipendere; imò & pati cum reſignatione ad Deum, qui ejuſmodi permittit nefaſaria ad nos humiliandos, & ad purgandas animas. Atquè concludit, quòd talibus actibus impudicis nullus adhibeatur conſenſus: & ſi natura commovetur, oportet ſinere ut commoveatur, quià eſt natura. En confirmata deliramenta Michaelis Molinos. En via jàm aperta ad ſe commiſcendum carnalitèr.

347. Sextus gradus. Ex his conferentiis malè oleatibus, ex intimâ cordium communicatione, ex alternâ actuum obſcœnorum participatione, diuturna oritur familiaritas intèr Directorem, & Directam. Ex diuturnâ verò familiaritate exurgit amor reciprocus: ex mutuo amore egreditur immoderata confidentia: ex confidentiâ, majori æquo exit ſeptimus, & ultimus gradus. Quis autèm iſte ſit? Qui habet aures audiendi audiat. Nèc licet, nèc lubet Greſſum tàm incompoſitum oculis proponere caſtis. Proſpexiſſe ſat erit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

De Tentatione Dæmonis.

348. MAligni Spiritus, dignoscẽtes ad Cœlorum superna posse hominem conscendere, easque occupare sedes, è quibus ipsi irreparabilitèr ceciderunt: tantò adversùs illum odii livore tabescunt, ut nullâ valeant arte mulciri. Una est omnium Dæmonum mens, & iniqua Voluntas: ut hominem trahant ad inferos, propriæ subdant tyrannidi, & damnationis æternæ faciant esse consortem. Sìc Lucifer, qui primus, & priùs per superbiam fuit *Diabolus*, idèst, *de sursum lapsus*; ùt loquitur Magister sentent. [Dist. 21.] invidiæ veneno infectus, factus est *Satan*, nempè, *Adversarius*. De Hoste tàm infestissimo præsens instituitur Dissertatio.

SECTIO I.

De Potentiâ naturali Dæmonis ad tentandum. An Dæmon physicè tentet hominem, vel tantùm moraliter, seù occasionaliter dumtaxàt.

349. DE iis, quæ pertinent ad liberam Dei Voluntatem, nullum certum possumus ferre judicium; nisi præeunte, atque ducente revelatione aliquâ. *Quis enìm cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit?* [Isaiæ 40. v. 13.] Quùm igitùr potentia naturalis Dæmonum pendeat à liberâ Voluntate Dei, qui plures, aùt pauciores alicujus perfectionis gradus (proùt mavult) huic, vel illi concedit creaturæ. Nec aliundè ullam habeamus revelationem circà gradus Potentiæ Angelorum; ideò quò se extendat horum Potentia, nil nobis certò constat. Undè D. August. [lib. 3. de Trinit. cap. 9.] inquit: *Quìd autèm possint Angeli* (mali) *per naturam, nèc possint per prohibitionem: Et quìd per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur? Homini explorare difficile est, imò verò impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens: Alii dijudicatio spirituum.* Quædam tamèn sunt, quæ nèc immeritò à Theologis habentur tamquàm certa. De istis erit nobis sermo, non quidèm de omnibus, sed tantummodò de iis, quæ ad nostram spectant Sectionem: nimirùm de Potentiâ Dæmonis consideratâ in ordine ad tentandum hominem.

350. I. Certum est, omnem virtutem operandi ad extrà, seù (ut loquuntur Scholastici) actione transeunte, quæ virtus Angelis est naturalis, in Dæmonibus post peccatum mãsisse integram; quià per peccatũ Naturalia non fuerunt in Angelis, nèc amissa, nèc diminuta. Idquè est Axioma Theologorum cum D. Th.

[1.

Digitized by Google

[1. part. quæſt. 64. art. 4.] fuitque ſumptum ex S. Dionyſio [cap. 4. de Divinis Nominibus] Integra igitùr manſit eorum ſubſtantia: integræ facultates naturales Intellectus, & Voluntatis: integræ ſpecies omnes intelligibiles: Hæc enim ſunt dona naturalia, quæ Angelis fuere conceſſa in ſui conditione, & quæ, vèl conſequuntur eorum naturam, vèl connaturalitèr exiguntur. Aliundè non ſunt incompoſſibilia cum peccato, nec dependent à perversâ Dæmonum voluntate.

351. Benè verum eſt, quantùm ad actualem uſum talium ſpecierum: ad liberum exercitium potentiarum ad objecta particularia: ad electionem boni, & mali: ad applicationem ſuæ ſubſtantiæ ad locum, proùt eis placuerit: ad productionem effectuum exteriorum, putà lucis, & motus pro gubernatione Univerſi &c. Verum eſt, inquam, horum quædam fuiſſe totalitèr ablata poſt peccatum, quædam verò diminuta: Ratio eſt, quià iſta pendent à Dæmonum voluntate. Hinc nulla in eis ſupereſt cognitio practica boni moralis: vèl (ſi mavis) eſtò illud ſpeculativè cognoſcant, nolunt tamèn illud eligere, & facere. Et hoc eſt, quòd D. Dionyſ. (loco citato) innuit, quùm ait: *Dæmones claudere oculos*. Nequè habent libertatem collocandi propriam ſubſtantiam, ubi vellent: nèc cogitandi practicè de omnibus, quæ ſibi placerent: nèc producendi effectus omnes, quos vellent, nèc ſicutì vellent. Sed in his omnibus ligantur, & impediuntur, vèl per ignem inferni: vèl coercentur à bonis Angelis, nè perturbarent ordinem univerſi, & nè nobis noceant, & tentent, quantùm ſuâ perversâ exoptarent voluntate; ſed tantummodò quantum Deus permittit.

352. Illud ergò axioma D. Dionyſii, intelligitur quoàd eſſentiam, & potentias; non autèm quoàd omnes actus naturales, ſeù ordinis naturæ. Nèc intelligitur quoàd naturalẽ rectitudinem, quæ ab illis pendet. Undè Voluntas Angelorum, poſt peccatum, eſt adeò miſera, ut ipſum Deum odio habeat. Et ſicutì Voluntas bonorum Angelorum eſt confirmata in bono: ità Voluntas Dæmonum eſt obſtinata in malo.

353. Prætereà, quamvìs virtus ipſa, ſeù potentia naturalis Dæmonis, non fuerit in ſe diminuta; ejus tamèn ſubjectio, & ſubordinatio fuit aliquo modo immutata: idque proptèr ordinem gratiæ, & ſupplicium culpæ. Porrò, naturalitèr Angelus ſuperior in perfectione naturali, poteſt cogere inferiorem, eique reſiſtere, nè utatur exteriùs ſuâ virtute operativâ; quià ſicuti eſt ſuperior naturâ, ità etiàm activitate. Qui ordo non eſt mutatus in Dæmonibus intèr ſe; ſed reſpectu Angelorum bonorum eſt immutatus; licèt enìm Angelus bonus ſæpè ſit inferior Angelo malo; nihilominùs Sanctus Angelus, eſtò minimus, cogere poteſt Dæmonem ſupremum, eique efficacitèr præcipere: itaùt minimus Angelus cuſtos reſiſtere poſſit potẽtiæ totius Inferni. Ratio eſt, quià tunc S. Angelus non operatur ſolâ virtute ſuâ naturali, ſed ut Miniſter Dei, ſinè cujus nutu, & voluntate nihil intentat.

354. II. Certum eſt, Angelos (bonos, aut malos) non poſſe aliquid creare. Quandoquidèm creatio fit ex nihilo; ideò in agente virtutem requirit infinitam. Idquè eſt de fide contrà antiquos infidelium

Digitized by Google

lium errores. Nec revocatur in dubium, Angelos non habere virtutem naturalem ad producendam ſubſtantiam aliquam, etiàm ex ſubjectâ materiâ: & oppoſitum affirmari nequit ſinè magnâ temeritate; ut videri poteſt apud SS. PP., Concilia, & DD.

355. An autèm Angeli habeant Potentiam naturalem ad immutanda corpora motu alterationis: ſeù, quòd perindè eſt, ad producendas qualitates materiales in corporibus? pro certo habeo, non poſſe. Ratio eſt, quià qualitas corporea convenit cum formâ materiali in eo, quòd ſicut hæc fit per eductionem de Potentiâ materiæ: ità quoque illa fit per eductionem ex Potentiâ ejuſdem materiæ, vel compoſiti materialis. Undè eadem improportio invenitur in Angelo, utpotè ſubſiſtente extrà omnem materiam, ad producendas has qualitates, ac ad formas ſubſtantiales. Et ità in ipſis formis ſubſtantialibus, in hoc non attenditur major, vèl minor perfectio; ſed eadem improportio, & impotentia cenſetur eſſe in Angelo ad minimam formam, quæ ad maximam: ergò ſimilitèr eadem eſt ad qualitatem materialem, quæ ad formam ſubſtantialem. Accedit, quòd nullum eſt fundamentum, ſeù ratio ad aſſerendum, Angelum continere has qualitates: quod eſſet neceſſarium, ut illas efficere poſſet. Ità D. Thom. [3. contrà Gent. cap. 103.] Scotus, D. Bonav., & alii paſsim Theologi.

356. III. Certùm eſt, Dæmonem non poſſe illabi animæ hominis; etenim, ex communi Theologorum, ſola Trinitas illabitur menti. Undè Divus Bernardus [ſerm. 5. in cant. circà finem] *Nullum creatorum ſpirituum per ſe mentibus noſtris applicari*. Sèd advertendum, quòd *Illapſus* multiplicitèr ſumi poteſt: *latè* ſignificat ingredi in locum alterius; imò in rigore latino *Illapſus* dicitur, etiàmſi per ingreſſum unius non expellatur aliud: ſic Fluvius dicitur illabi Mari: ſic utiquè poſſet dici, quòd una ſubſtantia illabitur alteri, præcipuè quandò unâ manente immutatâ, ingreditur intrà aliam; ità quoquè dici poteſt, quòd anima illabitur corpori, & unum corpus in aliud, quandò per miraculum penetrativè, manet in illo in eodem loco. Hoc modo poteſt facilè Dæmon eſſe præſens ſecundum ſubſtantiam intimè in corpore hominis, vel in ejus mente. Verùm id non eſt ſatis ad *Illapſum* propriè captum, & de quo loquuntur DD.

357. Si autèm ultrà hanc præſentiam, addatur aliqua operatio unius in alterum, tùnc magis acceditur ad *Illapſum*. Quo ſenſu D. Gregor. [lib. 17. moral. cap. 20. alias 18.] ait: *Dæmon, ſi ſuggeſtioni ejus primò non reſiſtitur, repentè totus ad interiora cordis illabitur*. Sed hic *Illapſus*, adhùc improprius eſt, accidentarius, & extrinſecus; nàm illa operatio accidentalis eſt, & non ſupponit, niſi ſubſtantiæ propinquitatem.

358. *Illapſus* igitùr propriè, eſt, quandò una ſubſtantia eſt in alia, intimè continendo illam in ſuo eſſe, tamquàm habens dominium, & poteſtatem in illam: quo modo anima rationalis dici poteſt illabi corpori, & non è contrà. Ità inter ſubſtantias ſpirituales, ſola Divina illabitur cæteris; quià ea ſola continet omnes alias in eſſe. In hoc ſenſu Beda [Act. 5.] ait: *Animam, & men-*

Digitized by Google

mentem hominis nulla creatura juxtà ſubſtantiam poteſt implere. Solus enim Deus operatur in mente cum efficaciâ, & ſupremâ poteſtate in illam; ideòque ipſe ſolus dicitur illabi menti hominis. Undè D. Bernard. [ubi ſuprà] addit: *Satanam implere interdùm animas, ſuæ malitiæ virus inſerendo; non enim per ſeipſum intrando; ſiquidèm hæc poteſtas ſolius Divinitatis eſt: Illapſus* itaquè, ultrà ſubſtantialem præſentiam, & indiſtantiam, requirit peculiarem influxum unius ſubſtantiæ in aliam, intrà quam illabitur: & dependentiam ſubſtantialem ſubſtantiæ inferioris ab alterâ, quæ illabitur in illam. Dæmon autèm nequit hoc modo illabi animæ, & menti hominis, ut clarum eſt.

359. IV. Certum eſt, Dæmonem non poſſe directè immutare hominis Voluntatem, aliquid immediatè, & per ſe efficiendo in illam. Ratio eſt. 1. Quià Dæmon non poteſt tranſmutare ad formas, vèl qualitates, aliquam materiam; ſivè per ly *Materiam* intelligatur materia propria, & corporalis; ſivè quodcumque ſubjectum mutabile, eſtò ſit ſpirituale. 2. Quià nihil eſt in Voluntate, quòd Dæmon facere poſſit. Nàm, in primis, non poteſt Voluntatem ipſam, ut eſt quædam Potentia, intendere, vèl minuere, aùt aliquo modo in ſe immutare; eſt enim indiviſibilis, & ſolùm fit per concreationem cum ſubſtantiâ ſpirituali. Nèc poteſt illi imprimere actum primum; quià Voluntas non indiget ſpecie, vel alio actu primo omninò prævio ad actum ſecundum voluntatis; non enim datur in voluntate. Nequè poteſt efficere puros habitus in voluntate alterius; quià ex naturâ ſuâ determinant ſibi talem modum productionis, ſcilicèt, per actus ſuos: qui modus productionis nèc ab Angelo bono poteſt immutari. Siquidèm, omnis alia productio habitus, eſſet miraculoſa; ideòque ſolus Deus poteſt illam efficere. Loquor autèm de puris habitibus; nàm habitus ſupernaturales, qui quodammodò dant potentiam operandi, non producuntur per actus; ſed aliâ ratione; quià, nimirùm, ſunt ſupernaturales, à Deo ſolo poſſunt infundi. Deindè non poteſt Dæmon efficere ipſum actum *in* alienâ Voluntate: nèc ut ejus integra, & totalis cauſa; quià repugnat talem actum eſſe totalitèr ab agente extrinſeco: nec ut cauſa partialis; quià Voluntas Dæmonis ſolùm eſt effectiva ſui actus; nàm ſolùm poteſt immediatè elicere ſuum actum vitalem, quo velit; volitionem autèm alterius, nèc totalitèr, nec partialitèr efficere poteſt, quaſi eliciendo illam: nec etiàm concurrendo, & quaſi imperando per actum voluntatis ſuæ; nàm iſte modus concurrendi eſt proprius Dei, qui eſt cauſa univerſalis; undè Angelo etiàm Sancto non conceditur, niſi quoàd motum localem, ut infrà dicemus.

360. Hæ rationes æquè probant, Dæmonem non poſſe immutare Appetitum Senſitivum hominis, aliquid directè, & per ſe efficiendo in illum; ut facilè conſideranti, & applicanti patet.

361. Dæmon igitùr dumtaxàt ex parte objecti, & medio Intellectu hominis movere poteſt iſtius Voluntatem. Non quidèm motione ſufficiente ad determinandam Voluntatem quoàd exercitium, itaùt neceſſariò feratur in tale objectum;

hoc

Digitized by Google

hoc enim modo, sola Dei Essentia clarè visa, movet hominis Voluntatem. Sèd dicitur movere hominis Voluntatem, quatenùs potest ipsam inclinare ex parte objecti, ut ferri possit in illud, si tamèn ipsa Voluntas velit: nempè, persuadendo, & removendo impedimenta. Et hoc modo potest Dæmon excitare, ac movere hominis Voluntatem.

362. Benè verum est, quùm Voluntas hominis, dùm anima est unita corpori, sit colligata cum Appetitu Sensitivo, & radicata in eâdem assentiâ animæ; Appetitus autèm, licèt per se tantùm moveri possit ex parte objecti, & mediâ phantasiâ; nihilominùs etiàm quodammodò movetur ex parte corporis. Quùm enim Appetitus Sensitivus sit potentia materialis; indè, moto, & alterato corpore, excitatur Appetitus, qui quodammodò rapit Voluntatem; quandò tamèn ratio non potest satis advertere. Hoc pacto in Voluntate insurgere solent motus indeliberati, qui dicuntur primò primi. Quià igitùr Dæmon, mediis humoribus, & spiritibus, vèl aliis causis applicatis, potest corpus alterare; ideò mediante Appetitu potest, non solùm excitare cogitationes pravas in Phantasiâ, & Intellectu; sed etiàm in Voluntate vi Appetitus Sensitivi excitare potest motus pravos, quodammodò naturales, & necessarios; quamvìs non possit simplicitèr necessitare Voluntatem ad consensum; ut satis, & pluriès dictum est.

363. V. Certum est, Dæmonem nìl posse immediatè efficere in Intellectu hominis, sed tantummodò illum juvare mediâ phantasiâ. Ratio est. 1. Quià, dùm anima est corpori conjuncta, non potest aliquid cognoscere, aùt cogitare sinè conversione ad phantasmata: nèc Intellectus agens hominis determinatur ad aliquid, nisi mediâ phantasiâ. 2. Quià solus Dæmon efficere nequit in Intellectu hominis species repræsentantes illud idem, quod repræsentare possunt phantasmata. Nàm species illæ, vèl essent altioris ordinis, & repræsentantes, ac operantes sinè dependètiâ à phantasmatibus: Et hæ sunt improportionatæ animæ conjunctæ; quùm illis naturalitèr uti non possit: & ità sunt supervacaneæ, & naturalitèr impossibiles pro statu isto. Vèl sunt ejusdem rationis cum speciebus, quas, medio phantasmate, homo sibi formare possit: quæ solent dici species per accidens infusæ: Sed istæ sunt etiàm supernaturales quoàd modum; ideòque Dei proprium est illas efficere: sicutì proprium est Dei infundere, suâ solâ virtute, habitus, qui naturalitèr per solos actus fieri possent. 3. Quià, sicùt materia non obedit Dæmoni ad productionem formarum materialium: ità nèc Intellectus possibilis hominis obedit Dæmoni ad productionem formarum spiritualium, quæ ex ipso, & in ipso possunt produci: quales sunt species intelligibiles. 4. Quià non potest Dæmon per se efficere nova phantasmata in sensu interiori, ut mox dicemus. Ergò multò minùs poterit per se efficere species. Solùm igitùr potest Dæmon concurrere, ut illæ fiant species, applicando activa passivis, modo infrà explicãdo. Undè D. Bernard. [serm. 5. in Cant. circà finẽ.] ait: *Nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut nullo mediante corporis instrumento, nos doctiores efficiat &c.*

Digitized by Google

364. VI. Certum eſt, Dæmonem non imprimere per ſe phantaſmata, ſed tantùm movere poteſt humores, vèl ſpiritus vitales; quibus commotis, ipſa phantaſia excitatur ad operandum, & per phantaſiam Intellectus movetur ordinatè, & convenientèr. Pro cujus intelligentiâ

365. Suppono 1. ex tract. de Animâ, phantaſmata accepta per ſenſus exteriores, conſervari in ſenſu interno, vel ejus organo; proùt experientiâ compertum eſt.

366. Suppono 2. Phantaſmata, ſic conſervata, poſſe ab extrinſeco ità moveri, ut excitent phantaſiam ad plura repræſentanda, & concipienda, quæ nèc exteriùs tùnc apparent, nèc ullo modo à ſenſibus percepta ſunt. Idquè etiàm eſt notum experientiâ: & fit interdùm per voluntarium uſum, & applicationem hominis: interdùm verò ſinè applicatione; ut patet in ſomniis; quapropter neceſſe eſt, ut id proveniat à motore extrinſeco.

367. Suppono 3. Id fieri non poſſe per tranſmigrationem, ſeù tranſmutationem factam in ſolis ſpeciebus phantaſiæ; nàm illæ ſpecies ſunt accidentia, quæ non migrant de ſubjecto in ſubjectum: nèc in ſe alterantur: nèc poſſunt per ſe intendi; niſi fortitàn à proprio objecto efficaciori, vèl melius applicato: aùt mutato temperamento organi, vèl ſubjecti, in quo ſpecies recipitur. Atquè ideò omnes concludunt Philoſophi, ea, quæ in ſomniis accidunt, fieri per mutationem localem aliquorum corpuſculorum exiſtentium intrà corpus hominis; in quibus corpuſculis conſervantur phantaſmata, ſeu quaſi imagines objectorum ſenſibilium: ſivè illa corpuſcula ſint humores ejuſdem corporis, ſivè Spiritus animales, ſivè organum phantaſiæ, ſeù Cerebrum, quod eſt ſubſtantiæ fluvidæ, & ſecundùm partes commoveri poteſt. Quodcumque, inquam, ſit illud (nil enìm ad præſens refert) in quo ſuſtentantur interna phantaſmata; certum eſt per motionem localem talis ſubjecti, ſimùl cum motione hujus humoris, & ſpirituum, exagitari imaginationem ad varias apprehenſiones, & repræſentationes rerum faciendas. Quæ ſuit doctrina Ariſtotelis [lib. 1. de Somniis cap. 3.] quam deſumpſit ab experientiâ ſomniorum, & repræſentationum, quæ in febricitantibus fiunt, atquè amentibus.

368. Quod ergò fieri poteſt in nobis per motum localem humorum, & ſpirituum, fieri poteſt potentiâ naturali Dæmonis: non quidèm per ſe, ſed applicando activa paſſivis. Nèc eſt neceſſe, quòd ille motus, quatenùs antecedit operationem phantaſiæ, ſit vitalis (ſic enim fieri nequiret à Dæmone, ut infrà ſubdam) ſed ſatis erit, ut per illum fiat diverſa applicatio phantaſmatis ad ſenſum internum, ſeù imaginationem.

369. Addendum tamèn eſt, illam motionem, quæ ſit in ſomniis, aut ægrotis, eſſe à cauſis naturalibus alterantibus corpus; ideòque fieri inordinatè; fit enim caſù, & fortuitò. At per Dæmonem fieri poteſt ordinatiſsimè, & efficaciſſimè: quià Dæmon agit à volũtate, & à propoſito optimè quoquè novit, quomodò debeant ſpiritus, & humores moveri, ut phantaſmata efficaciùs applicentur ad formandos conceptus, ſeù apprehenſiones maximè accommodatas ad bonum v. g. delectabi-

le,

Digitized by Google

le, ad quod tentat?

370. His habitis, tamquàm certis, de potentiâ naturali Dæmonis ergà sensus internos, & animam hominis; restat inquirere de ejusdem virtute, seù potentiâ naturali quoàd sensus externos, & corpus hominis, quem nocere, & tentare desiderat cunctis modis, tùm intrinsecè, tùm extrinsecè. Id autèm magnâ ex parte pendet ab eâ quæstione: An Angeli potentiam habeant physicam, & efficientem movendi seipsos, & alia à seipsis? Certum est enim apud omnes, dari in Angelis potentiam movendi seipsos, & alia à se; an verò hæc virtus sit tantummodò moralis, seù occalionalis: vel physica, idèst, efficiens? non conveniunt DD. Negarunt antiquiores, & jàm negant moderniores, docentes, omnem creaturam, ac perindè & Angelos, esse causam dumtaxàt occasionalem cujuscunque modificationis corporeæ; & solum Deum habere rationem causæ physicæ, & efficientis.

371. Sed quidquid varii variè sentiant, mihi certa res est, quòd virtus motrix Angelorum, est physica, & efficiens. Sìc patet ex Scripturâ, in quâ recensentur Angelorum facta; undè Angelis bonis tribuuntur concrematio Sodomitarum, colluctatio cum Jacob, liberatio trium puerorum à fornace Babylonicâ, cædes primogenitorum Ægypti, custodia Israelitarum per desertum, translatio Abacuc, revolutio lapidis ab ostio monumenti, solutio catenarum Divi Petri &c. Dæmonibus verò malè operantibus, Job est afflictus, concussa illius domus, filii necati, consumpti greges, ac Pastores, Achab decipitur, Magi Ægyptii monstra producunt, homines obsidentur, grex porcorum mare perit, puella pythona exagitatur &c. Quæ intelligenda erunt, juxtà sensum literalem, de effectione reali, & physicâ; quùm nihil exigat, ut detorqueantur in sensum metaphoricum.

372. Accedit, quòd ex his Angelorum effectibus mòx recensitis, plurimi fuerunt patrati, non solùm Deo permittente, sed volente etiàm, ac jubente: Atqui, si Voluntas Divina esset unica causa efficiens cujuscumque modificationis, inutilis prorsùs fuisset Voluntas Angelica ad productionem illorum effectuum; ad quid enim, & quinam fuisset illius usus? forsitàn, ut determinaret Voluntatem Dei generalem ad casus particulares? Sìc dicendo adversarii, faciunt Deum Ministrum Angelorum; idèst, desiderante Satanâ, & ejus perversæ voluntati obsequente Deo, Job v. g. affligitur, obsessi torquentur &c. Hæc autèm, quàm sint absurda, adhùc cœcutiens videt.

373. Prætereà, unanimis est, & constans SS. PP. doctrina, Angelos realitèr operari; sed unus pro mille sufficiat D. August. [lib. 3. de Trinit. cap. 9.] ubi ait: *Mali Angeli, pro subtilitate sui sensus, in occultioribus elementorum seminibus norunt, undè Ranæ, Serpentesque nascantur: & hæc per certas, & notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant .... Qualibuscumque Angelis vicinas causas ab elementis contrahere, quantò facilius est, tantò mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritates. Sed non est Creator nisi, qui principaliter ista formal ... Et ipse est unus Creator Deus, ex cujus*

ineffabili potentatu ſit etiàm, ut quod poſſint hi Angeli, ſi permitterentur, ideò non poſſint, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cùr non potuerint facere minutiſſimas muſcas, qui Ranas, Serpenteſque fecerunt; niſi quia major aderat dominatio prohibentis Dei &c.

374. Favet quoquè ratio. 1. Quia nequit Angelis denegari hæc virtus phyſica activa, niſi quia repugnat, aùt naturæ modificationis generatim, in quantùm modificatio exigeret cauſam infinitæ virtutis? Et id eſt falſum; nàm certum eſt, tùm fide, tùm ratione, dari creaturas liberas, ac proindè activè indifferentes: hujus autèm virtutis activæ terminus, eſt ipſa modificatio, idèſt, intellectio, volitio &c. Vèl repugnat naturæ motus, quaſi non poſſit produci; niſi per impetum phyſicum? Sed non eſt de eſſentiâ motus, ut producatur per impetum phyſicum in corpus; Deus enim nequit mutare eſſentias, & tamèn de facto producit motum ſolâ ſuâ voluntate, abſque ullo impetu phyſico in corpus, quod movet. Nàm talis impetus exigit mutuam reſiſtentiam, & impenetrabilitatem moventis, & moti; hinc, ſi de eſſentiâ motus eſſet, ut produceretur per impetum phyſicum in corpus, jàm Deus illud movens, mutare deberet eſſentiam motus. Vèl tandèm repugnantia proveniret ex naturâ Spiritus, quatenùs Spiritus non poteſt agere in corpus? At, nonnè motus corporalis producitur à Deo, qui eſt purus ſpiritus? Nonnè Spiritus poteſt eſſe cauſa modificationis nobilioris motus, ſcilicèt, modificationis ſpiritualis? Quid ergò prohibet, quominùs poſſit eſſe cauſa efficiens motus?

375. Addo, ad evertenda adverſariorum fundamenta. Si Deus eſt cauſa cujuſcumque modificationis, quomodò poſſunt creaturæ producere deſideria, quibus determinatur Deus ad operandum? Siquidèm, deſiderium eſt modificatio: ergò creatura non poteſt illud efformare ex primo principio: Sèd Deus producere nequit illud deſiderium, niſi determinante creaturâ per illud idem deſiderium; non enim admitti debet proceſſus in infinitum. Ergò nullatenùs concludi poſſunt intèr ſe adverſariorum principia, quibus innixi, Angelicam rejiciunt virtutem phyſicam motricem &c.

376. Nec obſtat id, quod paulò antè dicebamus de motu alterationis. Siquidèm, per motum localem minima tranſmutatio fit in corpore; ideòque mirum non eſt, quòd Angeli poſſint in corporibus hunc motum efficere, quamvis cæteris modis non poſſint per ſe corpora tranſmutare. Etenim experimur in nobis, quòd homo non poteſt per propriam actionem alterare corpora exſtrinſeca; & tamèn poteſt ea localitèr movere, & impellere.

377. Nequè ſequitur, poſſe Angelum invertere ordinem Univerſi, totam terram è loco ſuo movere, Cœlos velocius, aut tardius circumferre, & ſimilia, quæ planè forent abſurda. Non, inquam, ſequitur; aliud eſt enim loqui de Potentiâ Angelicâ, abſolutè conſideratâ: aliud verò, prout ſubjecta Voluntati Divinæ, ejuſque obligationibus alligata. Poſſent quidèm Angeli ea, & alia plura efficere, ſi nudam, & naturalem ſpectamus eorum

rum Potentiam; at Potentia Angelorum subest potestati Divinæ. Quùm autèm ordo Universi sit definitus certis Dei legibus; ideò simplicitèr non valent eum invertere. Profectò Sancti Angeli Divinis ordinationibus obediunt ad nutum; Dæmones verò, resistere eis cuperent, sed non valent; ideò tantùm nocere possunt, quantùm eis permittitur. Undè D. August. [lib. 3. de Trinit. cap. 8.] *Non est putandum, istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilem rerum materiam; sed soli Deo.*

378. An verò virtus, seù potentia motrix Angelorum sit distincta ab eorum Intellectu, & Voluntate? An ejusmodi motus fiat medio impetu, vèl non? Videant Scholastici. Nobis scire sufficiat, Angelos bonos, aut malos, viribus suis, & per modum causæ propriæ, non posse producere, nec formam substantialem materialem, nèc compositum materiale, nèc ulla accidentia corporea, aut spiritualia, realia, aùt intentionalia; prætèr motum localem. Nèc aliam habere facultatem executricem diversam à Potentiâ motrice.

379. Ex hucusque præmissis, infertur, Dæmonem posse corpus assumere, quo sensibilitèr appareat homini, ut hunc decipiat, ac tentet. Quæ apparitio non est mèra illusio sensuum; sèd reipsâ manifestatio corporis exteriùs visibilis, & sensu perceptibilis. Hoc modò, Dæmon, sub specie Serpentis, seduxit Evam [Genes. 3.] & aliæ multæ in Scripturâ narrantur apparitiones Angelorum in corporibus assumptis. Hìnc D. Thom. [q. 6. de Malo art. 7.] reprehendit eos, qui putaverunt, Angelorum apparitiones, quas refert sacer textus, fuisse visiones imaginarias. *Ex ipso enim modo loquendi*, ait S. Doctor, *quo utitur Scriptura, datur intelligi quid significetur per res gestas, & quid per modum prophæticæ visionis. Quùm enim aliqua apparitio per modum visionis debeat intelligi, ponuntur aliqua verba ad visionem pertinentia: sicut quod dicitur Ezech. 8. [Elevavit me spiritus inter Cœlum, & Terram, & adduxit me in Jerusalem in visionibus Domini.] Undè patet, quòd illa, quæ fieri simplicitèr narrantur, simplicitèr etiam intelligi debent esse gesta. Sic autèm legimus de pluribus apparitionibus in veteri testamento. Undè simplicitèr concedendum est, quòd Angeli quandòque corpus assumunt, formando corpus sensibile, exteriori, sivè corporali visioni subjectum.*

380. Non tamèn negamus, Dæmones interdùm, deludere in corporibus hominum, aùt brutorum defunctorum assumptis. Sic legimus in vitâ S. Patritii Hibernorum Apostoli, de quodam, in cujus corpore multis annis habitavit Diabolus, quasi esset illius anima; sed tandèm ad nutum Sancti Viri exivit Diabolus, corpus corruit, & redactum fuit in cinerem. Ità quoque Diabolus, cadavere indutus, incubus, aùt succubus rem habet cum Strigibus. Quapropter in hujusmodi Sortiariis sentitur cadaverosus quidam fœtor graveolentiæ: Sic Diabolus, assumpto Bestiæ cadavere, militem deluſit, qui, quùm putaret, se formosâ potitum Virgine, invenit se in amplexu cadaveris belluini tabe soluti, fœditissimè jacentem; ut refert Guilhelmus Parisiensis [parte ultimâ de Universo.]

381.

Digitized by Google

381. Sèd advertendum 1. Dæmonem non poſſe verè organizare, etiàm quoàd diſpoſitiones accidentales ſingulorum membrorum, ut carnis, oſſium &c. illa cadevera ab eo aſſumpta. Id enìm non poſſunt nèc Angeli boni; ut omnes docent Theologi. Et confirmatur exemplo adducto à Cajetano [2.2. q. 95. art. 3.] de homine, qui copulabatur Dæmoni ſuccubo, & non percipiebat delectationem, quam ex verâ fœminâ ſentire ſolebat: de quo, quàm apud Dæmonem conquereretur, ille reſpondit: Se non poſſe melius corpus effingere, idèſt, verum, & aptum ad præſtandum illum effectum. Poteſt tamèn in aſſumpto defuncti corpore ſe præbere tangēdum, & palpandum cum verâ duritie, & molitie ex parte corporis: adjunctis etiàm cauſis extrinſecis, putâ, calore, aliiſque qualitatibus ſufficientibus, ut tactui vivum appareat.

382. Advertendum 2. & proculdubiò credendum, Deum nunquàm permittere, Dæmonem aſſumere corpora eorum, qui Juſti mortui ſunt. *Quiè non decet*; ut notat Suarez de Angelis [lib. 4. c. 36. n. 5.] & cum eo Fraſſen de Angelis [tract. 1. diſp. 2. art. 3. concluſ. 3.] & alii paſsìm: *nèc eſt divinæ amicitiæ conſentaneum. De aliis verò forteſsè aliquandò id accidit; verè tamèn exiſtimo, vèl nunquàm id Dæmoni permitti; quid non detur illi tanta licentia, præſertìm in Eccleſiâ Chriſti, ad homines decipiendos.*

383. Advertendum 3. Deum, ex peculiari providentiâ, non permittere Dæmoni aſſumere corpora, niſi ea, quæ repræſentare poſſunt ejus malitiam, & miſerum ſtatum: idque, ut homines facilè cavere poſſint ab ejus deceptionibus, ac tentationibus, nèc aliquam haberent excuſationem de peccato ſuo. Vellet certò certiùs Malignus repræſentare viris pulcherrimam juvenculæ ſimilitudinem: fœminis utiquè formoſam juvenis ſpeciem; at clementiſſimus Deus non permittit. Ità D. Chryſoſt. teſtatur [homil. 4. de Lazaro reſuſcitato] Sic omnes docent Theologi cum Magiſtro Sentētiarum, qui [diſt. 21.] loquens de Tentatione Evæ, ait: *Nè nimìs occulta foret fraus illius, quæ caveri non poſſet: & homo ſi malè videretur injuriam pati, ſi taliter circumveniri permitteret eum Deus, ut præcavere non poſſet: in alienâ quidèm formâ permiſſus eſt venire Diabolus, ſèd in tali, in quâ ejus malitia facilè poſſet deprehendi.... Venit ergò ad hominem in Serpente, qui fortè, ſi permitteretur, in Columbæ ſpecie venire maluiſſet; ſèd non erat dignum, ut ſpiritus malignus illam formam homini odioſam faceret, in quâ Spiritus Sanctus appariturus erat. Non ergò, niſi per Serpentem tentare permiſſus fuit Diabolus; ut per illud, quod foris erat, aſtutiam Tentantis animadvertere femina quiret.*

384. Indè, ut homines ſucatam Dæmonis faciem deprehendere poſſint, & ſe cavere ab ejus aſtutiâ, ac tentationibus, benigniſſimâ Dei providentiâ diſponitur, ut Dæmones hominibus ſe oſtendant corpore, etſi humano, atro tamèn, illuvioſo, ſquallido, tetro, formidabili: vèl ſaltèm obſcuro, nigro, fœdo: nùnc naribus deformitèr ſimis, aùt immane aquilii: nùnc oris ritu ſparſo, profundoque: nùnc luminibus valdè abditis, flammantibuſque: nùnc manibus, pedi-

Digitized by Google

pedibusque obuncis, & vulturinis: nùnc brachiis strigosis, cruribusque ad modum villosis: nùnc tibiis caprinis, vèl asininis: nùnc uno, vèl utroque pede biffido, & corneo: interdùm & solidungulo: aliquandò mutili pede altero, aùt utroque. Demùm, statura corporis nunquàm justa, & decora, sed cui sempèr aliquid desit, vèl insolita adsit nota, quâ & ejus deformitas dignoscatur, & pravitas.

385. Advert. 4. Dæmonem non uniri corpori, quod assumit, unione propriâ, & formali, nèc quidèm accidentali; sed solùm assistere corpori illi per intimam substantialem præsentiam, tamquàm motor ad mobile, cum particulari respectu ad peculiarem usum ejus. Estque expressa doctrina D. Thom. [1. p. q. 51. art. 2. ad 3. & alibì], dicentis: *Corpus assumptum non uniri Angelo, ut formæ; nec solùm ut motori, sed sicùt motori repræsentato per corpus mobile assumptum*. Ità etiàm Scotus [in 2. dist. 8. num. 2.] D. Bonav. [in 2. dist. 8. art. 3. q. 2.] & cum eis DD. omnes.

386. Advert. 5. Dæmonem, absolutè, & simplicitèr loquendo, non posse in corpore assumpto exercere vera opera vitæ, & quatenùs talia sunt: quamvis interdùm efficere possit aliqua opera realia, similia operibus vitæ, secundùm quamdam materialem convenientiam: idque non in omnibus actibus vitæ facere potest. Explico, distinguendo duo genera actionum vitalium. Quædam sunt producentes terminum intrinsecum (ut ità dicam) vitalem; quià hujusmodi terminus, vèl essentialitèr pendet ab intrinseco principio vitæ, tùm proximo, tùm etiàm principali: vèl saltèm nequit alio modo naturalitèr fieri: ejusmodi sunt omnes actiones sensuum externorum, & internorum, ac etiàm Appetitus Sensitivi. Aliæ sunt actiones viventium, quæ licèt ab ipsis fiant modo vitali; & sub eâ ratione vitales sint; nihilominùs producunt terminos, qui fieri possunt per actionem non vitalem; ut sunt motus localis progressivus, vocis formatio, & similia: quæ dici possunt vitales quoàd modum, & non quoàd substantiam; ut secernantur à prioribus, quæ essentialitèr, seù in suâ substantiâ, vitales dici possunt.

387. Evidens autèm est, Dæmonem in corpore assumpto, non posse facere proprias, & veras actiones Sensus, vèl Appetitus, nèc terminos earum. Ratio est, quià Dæmon in corpore assumpto non habet verum Sensum, nèc Appetitum, aequè vera organa talium facultatum: aliundè actiones illæ naturalitèr sunt immanentes, & requirunt principium proximum, quod simùl sit principium activum, & receptivum earum; Dæmon autèm nullas ex hujusmodi actionibus habere potest in corpore assumpto, & quidquid operatur; est per modum actionis transeuntis. Quùm igitùr Dæmon sit suppositum distinctum à corpore assumpto, sempèr comparatur ad illud, ut motor extrinsecus: & quidquid in eo corpore operatur, est in illud transiens ab agente extrinseco.

388. Ex quo concluditur, terminos intrinsecos talium actionum (qui termini reverà sunt qualitates quædam vitalitèr productæ, & formalitèr constituentes potentias vitales in actu secundo completo, & perfecto) hos, inquam, terminos

non

Digitized by Google

non poſſe fieri à Dæmone in corpore aſſumpto. Quià, nèc fieri poſſunt, ſaltèm naturalitèr, niſi per actiones verè, & ſubſtantialitèr vitales: nèc recipi poſſunt in corpore aſſumpto, aut informare illud, vèl certam ejus partem. Ratio eſt, quià in tali corpore non eſt capacitas illius effectus formalis, qui eſt, ſentire, cognoſcere, appetere; nàm ſola vera potentia vitalis eſt capax hujus effectus; Dæmon autèm non habet hujuſmodi potentiam in corpore aſſumpto.

389. Poteſt tamèn Dæmon in corpore aſſumpto efficere aliquas actiones reales, habentes terminos ſimiles illis, qui fieri ſolent per actiones viventium. Sìc Dæmon, non ſolùm aſſumit manum apparentem, ſed etiàm per eam poteſt accipere v. g. calamum, & efficere motum adeò ſimilem ſcriptioni, ut veras literas ſcriptas relinquat, non minùs proprias, & formatas, quàm ſi ab homine fierent vivente. Similitèr, Dæmon in corpore aſſumpto, loquitur per os, & linguam apparentèr, efficiendo verum ſonum: & ità de aliis operibus vitæ, quæ in ſubjecto actiones ſunt tranſeuntes. Ratio eſt, quià tales actiones habent terminos, qui nèc eſſentialitèr, nèc naturalitèr pendent à principiis vitalibus; hujuſmodi ſunt; Ubi, Sonus &c. Ideò, quoàd ſubſtantiam, & entitatem eorum, fieri poſſunt à Dæmone per motum localem, per ſimulacra organorum vitalium, quæ in corpore aſſumit. Reipsâ tamèn actiones illæ non ſunt verè, & propriè vitales; quià non fiunt modo vitali; & ſic deeſt eis quaſi forma, à quâ denominentur vitales. Siquidèm, ut prænotavimus, iſtæ actiones non ſunt vitales, niſi quoàd modum: ergò deficiente modo, non ſunt vitales. Quòd autèm à Dæmone, in corpore aſſumpto, non fiant modo vitali, patet; quià modus vitalis intrinſecè pendet ex ſubſtantiali vitâ ipſius corporis, & illorum organorum, per quæ tales actiones fiunt. Ergò hujuſmodi actiones, quæ fiunt à Dæmone in corpore aſſumpto, non ſunt vitales. Itaquè abſolutè, & ſimpliciter concludimus, Dæmonem, in corpore aſſumpto, efficere non poſſe actiones vitales.

390. Ex his jàm præmiſſis deducitur 1. Motum corporis aſſumpti à Dæmone, non eſſe vitalem. Nàm fit omninò ab extrinſeco, non minùs ac motus lapidis, aut cadaveris moti à Dæmone. Undè, etiàmſi Dæmon moveret violentèr hominem vivum, nolentem applicare virtutem ſuam motivam, ſed potiùs reſiſtentem: talis motus non foret animalis, nèc vitalis; quùm prorsùs violentus eſſet, & ab *extrinſeco*, Quamobrèm, motus *facti à corpore* aſſumpto à Dæmone, reales quidèm ſunt, non autèm vitales: & ſunt velutì facti à Statuâ, per artificium, & apparentèr.

391. Deducitur 2. Dæmonem non poſſe propriè loqui per corpus aſſumptum. Ratio eſt, quià locutio, abſolutè, & propriè loquendo, non ſolùm dicit ſubſtantiam ſoni, *idèſt* ſonum in aëre formatum; ſed importat etiàm modum, quo formatur locutio, nempè, quòd fiat immediatè per propria organa vitalia, ex motione phantaſiæ, & cum intentione ſignificandi aliquid; ut docent Animaſtici. Dæmon autem, licèt edat ſonum ſimilem locutioni, & materialitèr ejuſdem rationis cum ſono vocis humanæ; attamèn

non

Digitized by Google

non potest eumdem effingere formaliter. Et quamvis Dæmon sonum edat cum intentione significandi; quia verò format vocem, non per organa vitalia, nèc mediante phantasiâ; ideò non loquitur propriè, sed tantùm efficit aliquid simile locutioni. Et per hoc sufficientèr Dæmon suum consequitur finem; quia voces illæ (qualescumque sint à Dæmone formatæ) non minùs, quàm propriæ voces humanæ, significant. Dæmon itàque in corpore assumpto, loquitur ad eum modum, quo quis artificiosè v. g. tubâ, exprimit sonum vocis humanæ: vèl quomodò cavæ valles, & murorum scissuræ, ac antri foveæ, vocem exceptam, ac repercussam, admodùm articulatè reciprocant.

392. Hìnc admittere non debemus excusationes blasphemantium, qui Dæmonem accusant, quasi eos compellentem ad proferenda verba malitiæ. Porrò, etiàm obsessi à Dæmone, quùm homines sint, nequeunt sinè mente veras, ac proprias voces proferre humanas. Quòd si habeant rationis usum totalitèr impeditum, tùnc eorum voces non forent humanæ, sed tantùm dicerentur voces hominis, seù veriùs, voces Dæmonis, qui loqueretur per os eorum, sicutì per simulacrum. Non igitùr admittenda excusatio blasphemantium, quatenùs Dæmon vim faciat, & ipsos cogat ad loquendum impia; siquidèm Dæmon cogere nequit hominis Intellectum, multò minùs Voluntatem; ut fides docet; quùm igitùr locutio humana fieri nequeat sinè Intellectu, & Voluntate hominis, quonam pacto Dæmon potest compellere hominem ad malè loquendum? Potest quidèm Dæmon violentèr aperire os hominis, & vi hujus linguam movere ad efformandas voces articulatas: sicùt jàm movit os Serpentis ad Evam tentandam; sed hujusmodi locutio, non esset vera locutio; quùm non esset vitalis, nec fieret ab animâ, sed à movente extrinseco: & ità nullo prævio conceptu, nullo Voluntatis imperio proferrentur; & sic non esset locutio humana, sed tantùm hominis, & propriè Diabolica; proùt advertunt Sacri Expositores in cap. 22. num. v. 28. de Asinâ Balaam.

393. Deducitur 3. Dæmonem, quamvis nullam habeat Potentiam naturalem ad immutanda corpora motu alterationis, seù quòd perindè est, ad producendas qualitates materiales in corporibus; posse tamèn, applicando activa passivis, facere mirabilia propriâ alteratione, & rerum mutatione: quarum causæ naturales sunt, sed nobis ignotæ, & Dæmoni notissimæ. Porrò, Dæmon videt substantias rerum omnium naturalium, earumque proprietates prospectas habet: apta novit tempora applicandi: solertiæ, & artificii vix est quidquam, quod ignoret. Ità quòd sæpè multa efficiuntur, quæ nunquam fecisset operatio solius naturæ, nisi Dæmon eam juvasset cum applicatione artificiosâ: & tunc Dæmon sumit agentia naturalia, ut instrumenta.

394. Conditio autèm instrumenti est, producere effectum, non æqualem suæ virtuti naturali, sed longè utiquè excellentiorem. Ità securis ex se solam habet virtutem secandi; quatenùs verò instrumentum fabri periti, facere potest & mensam, & statuam. Sic calor nativus, qui est in semine humano,

quâ calor, poteſt calefacere, rarefacere, ſegregare; ſed, quà inſtrumentum Animæ, poteſt oſſa, nerves, carnem generare. Pari ratione, cauſæ naturales à Dæmone applicatæ, præſtantiores producunt effectus, tùm quoàd ſubſtantiam, tùm quoàd modum, & celeritatem.

395. Nunquàm tamèn ejuſdem operæ effugiunt naturæ cancellos; quià non excedunt virtutem naturalem cauſæ principalis. Profectò, hujuſmodi effectus inſunt in ipſis agentibus naturalibus, eo modo applicatis, quibus agentibus, Dæmon nìl confert, prætèr conditionem, ſeù applicationem, ſinè quâ non producerentur effectus illi. Itèque Dæmon, eſtò utatur virtute naturali rerum applicatarum, ipſe tamèn potiſſimùm operatur modo Artificum. Sic v. g. Coquus, quùm ſuave condit edulium, arte mediante excoquit per ignem: quamvis enim ignis naturalitèr operetur, illud tamèn non efficeret, niſi tali arte eſſet applicatus; undè Coquus non confert igni, niſi modum, & conditionem, ſinè quâ non; vim autèm, quæ ſortiatur nomen cauſæ phyſicæ, nullam influit igni.

396. Duo igitùr iſ hoc obſervanda. 1. Quòd nèc ſola activitas rei naturalis, ſecundùm ſe, debet attendi: nèc ſola, ſecundùm ſe, applicatio Dæmonis; ſed virtus naturalis, ut applicata à Dæmone. 2. Quòd cauſa inſtrumentalis in his operationibus, eſt res applicata: cauſa verò principalis, eſt ipſe Dæmon applicans. Quocircà, ut dicatur effectus non produci naturalitèr, debet eſſe talis, ut utriuſque cauſæ ſuperet facultatem.

397. His prænotatis de iis, quæ poteſt Dæmon naturalitèr operari (quantum attinet ad rem noſtram) quærimus. An Dæmon, qui maximoperè cupit noſtrã perditionem, phyſicè, & efficientèr tentet hominem: vèl dumtaxàt moralitèr, & occaſionalitèr? Dubium autèm non eſt, an Dæmon ſit cauſa phyſica, vel tantùm cauſa moralis peccati; nàm certum eſt apud omnes Catholicos, ipſum eſſe cauſam ſolùm moralem peccati. Reſtringitur ergò quæſtio: An Dæmon ſit cauſa phyſica tentationis ad peccandum, vèl dumtaxàt cauſa moralis? In quo ſenſu ponitur.

CONCLUSIO.

398. Dæmon totâ ſuâ Potentiâ naturali tentare nequit phyſicè, & efficientèr, idèſt, impellendo ad faciendum malum, ſed tantùm moralitèr, nempè, ſuadendo, alliciendo, incitando &c. Aſſertio eſt indubitata apud DD. Orthodoxos.

ADSUNT SACRÆ SCRIPTURÆ.

GENESIS 3.

Sed & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradiſi? Cui reſpon-

dit

Digitized by Google

dit mulier.... nè fortè moriamur. Dixit autèm Serpens ad mulierem: Nequaquàm morte moriemini..... Vidit igitùr mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit .... deditque viro suo, qui comedit.

En totus processus Tentationis Dæmonis ergà Proto-Parentes nostros: Dæmon in assumpto corpore Serpentis, non tulit de fructu ligni, nèc tradidit in manu Evæ, ut ipsa tangeret illum, contrà Domini præceptum: non posuit pomum in os fœminæ, ut gustaret, & comederet, contrà Dei jussum de non comedendo illud: nil horum fecit Diabolus; sed tantùm seduxit, *Nequaquàm morieimini*: & illusit, *Eritis sicut Dii*: Indè mulier, magnificis illecta promissis, *Vidit, quòd bonum esset lignum ad vescendum... & tulit de fructu illius, & comedit.*

Adam quoquè, nèc compulsus, nèc impulsus à Serpente, tetigit, & comedit de ligno vetito; sed id fecit, *nè contristaret delicias suas*; idèst, Uxorem; ut loquitur Scotus [in 2. dist. 21. q. 2.] ideò manum aperuit ad suscipiendum, & os reseravit ad deglutiendum fructum ei oblatum à consorte, quæ dedit viro suo, & comedit. Lit hoc modo cecidit Eva, & corruit domus ejus tota, nempè Vir ejus, & cuncta posteritas. *Noluit eam contristari*, ait D. August. [lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 42. & lib. 14. de Civit. Dei cap. 11.] *quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur amore, & omninò illa interire discordiâ*. Undè concludit sciti ssimè Porrecta [in Genes. 3. concluſ. 5.] „ Eva igitùr per ho c, „ quòd non restitit Diabolo, Dia- „ bolum non vicit, nequè ipsum „ fugavit; imò per hoc suum non „ resistere, à Diabolo victa est: at- „ què de statu illo, & corporalitèr, „ & spiritualitèr felicissimo, fugata.

Eodem quoquè, nèc alio modo tentat Dæmon posteros Adæ; juxtà Doctrinam D. Thom. [1. p. q. 114. art. 3.] ubi ex D. Isidoro [lib. de Summ. Bono cap. 5. in medio] ait: *Peccata provenientia ex instinctu Dæmonis, ad ea complenda decipiuntur homines nùnc, qui primi parentes*. Quod priùs docuerat Magister Sententiarum [in 1. dist. 24.] his verbis: *Illud quoquè non prætermittendum, quòd talis nùnc in unoquoque homine est ordo tentationis, & progressio, qualis tùnc in primis præcesserit parentibus.*

Hic utiquè modus moralitèr tentandi, & non physicè; nedùm contigit in Paradiso Terrestri; sed jàm priùs in Cœlo, è quo Lucifer tertiam partem Stellarum, idèst, Angelorum, secum traxit ad ima; non quidèm hos compellendo, aùt impellendo physicè; sed tantùm hortando, & suadendo, atquè ità moralitèr tentando. *Peccatum primi Angeli* (ità loquitur Doctor Angelicus) [1. p. q. 63. art. 3.] *fuit aliis causa peccandi, non quidèm cogens, sed quádam quasi exhortatio, ne inducens.* Ità etiàm omnes Theologi. Undè S. Irenæus [lib. 5. adversùs Hæres. cap. omnia post medium] concludit: *Diabolus apostata existens Angelus, hoc tantùm potest, quod egit in principio, seducere, & abstrahere mentem ad transgrediendà præcepta Dei.*

Digitized by Google

JOB Cap. 2.

DIxit Dominus ad Satan: *Ecce in manu tuâ eſt* (Job) *verumtamèn animam illius ſerva. Egreſſus itaque Satan à facie Domini, percuſſit Job ulcere peſſimo, à plantâ pedis uſque ad verticem capitis &c.*

Quid fecit Satan, jàm impetrata licentia debacchandi in Job? Quo modo tentavit illum, ut in faciem benediceret Deo? Vexavit, excruciavit, percuſſit, vulneravit Virum ſimplicem, & rectum, ac timentem Deum, & recedentem à malo, & adhùc retinentem innocentiam; imò & occidiſſet illum, ni Deus prohibuiſſet: *Verumtamèn animam illius ſerva*. Potuit, inquam, & quidèm phyſicè, & efficienter, nocere in corpore Sanctum illum: potuit & occaſionem dare Patientiſſimo ægrè ferendi bonorum jacturam, filiorum occiſionem, corporis contritionem, ut tandèm in deſperationem proſiliret: potuit omnem movere lapidem, quo Vir juſtus obrueretur, ſuccumberet, blaſphemaret; *ſed in omnibus his non peccavit Job labiis ſuis; neque ſtultum quid contrà Deum locutus eſt*. Idèſt, non ſolùm *non peccavit labiis ſuis* malitia formali blaſphemiæ; ſed *neque ſtultum quid contrà Deum locutus eſt*, nempè, neque aliquod verbum malum entitativè, & pro ſubſtratu, contrà ſuam Voluntatem, & vi à Satanâ coactus, *contrà Deum locutus eſt*. Audiamus Expoſitores hujus textûs.

Clarius [in Schol.] *Strenuum militem ſine incerto coronat Spiritus Sanctus. Quaſi dicat: licèt tot tentationibus modis tentatus fuerit Vir Dei; tam firmus tamèn ſtetit, ut nè vèl minimum peccaret, vèl abſurdum quippiam loqueretur.*

Calmet. *Nihil protulit contrà Deum, & quod rationi adverſaretur .... Ut verbo me expediam, nequaquàm blaſphemavit, quemadmodùm Satan dixerat*: & iterùm [cap. 2. v. 20.] *Nè verbum quidèm protulit, quod reprehendi queat.*

Pineda. *Job itaquè, qui orationem ſuaviſſimam fudit, nihil ſtultum, nihil futuë, nihil inſulſum loquutus eſt.* Et [in fine paraphraſis] *Hinc jàm perſpicere licet, Satanem temerè recepiſſe, fore ut Jobus in Divinum Numen injurius exiſteret; quàm ex periculoſo bello illæſus, integerque animo evaſerit: nequè mente, nequè verbo Divinam providentiam læſerit: aſperiùs nihil, blaſphemiâque protulerit: ſed modeſtiſſimo ſilentio ſe, remque totam patientèr continuerit.*

D. Gregorius Magnus. *Quid tentationum tribulationibus deprehenſi, etiàm tacitè cogitationum motu poſſumus non loquendo peccare: beatus Job & oris teſtimonium perhibetur, & cordis. Prius enim dicitur* [*Non peccavit Job labiis ſuis*] *& tùnc demùm ſubditur* [*Neque ſtultum aliquid contrà Deum locutus eſt*]. *Qui enim ſtultum locutus non eſt, culpam à linguâ compeſcuit: ſed cum præmittitur* [*Non peccavit*] *conſtat, quòd murmuris etiam vitium etiàm à cogitatione reſtrinxit.*

399. Qui extorquendo ſenſum Scripturæ, aſſerit, B. Jobum compulſum à Satanâ, & omninò renuentem, protuliſſe verba contumelioſa, ſed non formaliter peccaminoſa; utpotè violenter prolata,

Digitized by Google

ta, contrà propriam voluntatem, & vi illata à Satanâ; incidit in propositionem Michaelis Molinos, inter proscriptas ab Innocent. XI. num. 44. tenoris sequentis: *Job blasphemavit, & tamèn non peccavit labiis suis, quia fuit ex Dæmonis violentiâ.*

Ex his arguo. Dæmon habuit in manu suâ B. Jobum, cum plenissimâ potestate tentandi illum, & cum hâc solâ limitatione, nè in ejus vitam quidquam moliretur: *Ecce in manu tuâ est; verumtamèn animam illius serva.* Nihilominùs moraliter tantummodò tentavit Patientissimum ad verba Blasphemiæ. Vexavit quidèm physicè Virum illum; sed solùm occasionaliter tentavit ad desperationem; quià, scilicèt, Satan vexatione illâ tàm dirâ, occasionem præbuit impatientiæ. Ergò multò minùs poterit Dæmon tentare eos, qui in manibus sunt Angelorum Custodum; juxtà illud [Psalm. 90. v. 12.] *In manibus portabunt te: nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Aut. jàm remanet probatum. Consequentia sequitur à fortiori.

Quòd si quis dixerit, Dæmonem potuisse, nedùm vexare physicè; sed etiàm physicè tentare Jobum; id autèm non fecisse, quià Deus non permisit. Dicam & ego: quâ ratione probari potest, Dæmonem habere potentiam naturalem tentandi physicè, efficienter, directè, & immediatè? Nullâ, sanè, ratione ostendi potest; ut infrà patebit ex solutione objectionum. Rursùs quæro: Cùr Deus non permisit Dæmoni exercere talem, ac tantam potentiam tentandi physicè Jobum; si Dæmon, (ut supponunt adversarii) hujusmodi potentiam habebat, & nos ultrò concedimus voluisse debacchari in Virum illum, usque ad ultimum suæ potentiæ? Si Deus, inquam, non permisit Dæmoni tentare physicè illum, quem appellavit *Virum*, propter ejus virtutem verè masculum; quo pacto id permittet ergà homines minoris virtutis? At de hâc re iterùm erit sermo Sect. 4. seq.

MATTH. 4.

JEsus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo: Et quùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postèa esurìit. Et accedens Tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.... Si filius Dei es, mitte te deorsum. Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me:

Christus Dominus noster eâdem die, quâ baptizatus fuerat, ductus est in desertum à Spiritu Sancto, ut tentaretur à Lucifero; non quidèm directè intendens tentationem, sed ejus permissionem: Idque ut doceret nos, tum de modo, quo Diabolus potest nos tentare: tàm de modo, quo ejus tentationibus resistere possumus, & debemus. Undè D. August. [in Psal. 90. p. 2.] ait: *Ideò tentatus est Christus, nè vincatur à Tentatore Christianus:* [& in Psalm. 60.] *Ut illo vincente, nos quoque vinceremus.*

Itaque *accedens Tentator*, idest, Diabolus (qui antonomasticè vocatur Tentator) assumptâ humani corporis formâ, *dixit ei*: non quidèm ex abrupto, sed priùs humanitèr

nitèr cum ſalutando, eique per verba blanda ſe inſinuando, ut hìc advertit Cornel. à Lapide: *Si filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant... Mitte te deorſum... Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.*

400. Hìc quæro 1. quoàd primam tentationem: Cùr Lucifer non vi intromiſit lapides in os benedictum Chriſti eſurientis, ſed tantùm ſuaſit: *Dic, ut lapides iſti panes fiant?* Reſpondet Henricus Lancelotz [in Expoſit. Epiſt. B. Judæ Apoſt. cap. 6. Sect. 3. n. 33.] *Ut oſtendatur inefficacitas inſultuum diabolicorum.*

401. 2. Quoàd ſecundam tentationem. Quarè Diabolus non præcipitem dedit Salvatorem è pinnaculo templi? ſed argumentando, & allegando Scripturam, dixit ei: *Si filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enìm: Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum?* Reſpondet D. Chryſoſt. [in hunc locum] *Non impulit, non tetigit, ſed tantùm dixit:* [*Mitte te deorſum.*] *Ut intelligamus, quòd, qui ſubdit Diabolo, ipſe ſe deponit. Diabolus enìm ſuggerere poteſt, cogere non poteſt.*

402. Quoàd tertiam tentationem. Cùr Diabolus non humiliavit Jeſum? Cùr non proſtravit in terram? Cùr vi non flexit ea ſancta genua, ut ſic idolatricè adoraretur ab illo? ſed tantùm invitavit, ſollicitavit, allexit? *Dixit ei: Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraveris me?* Reſpondet idem Diabolus [in Vitâ S. Antonii] *Ego nihil efficio; quid in nolentem nihil poſſum, ſed ipſi homines ſeipſos ad invicem perturbant: ipſi ſuo in ſuggeſtionem meam conſenſu, ſibi mali ſunt auctores.*

403. Itàque ex principio, proſecutione, & fine, ac toto proceſſu tentationum Redemptoris, & Præceptoris noſtri Divini, jàm clarè liquet, Dæmonem nonniſi moralitèr, ſeù occaſionalitèr tentare hominem. Hæc fuit inſtructio, quâ Magiſter Jeſus dedit nobis, dùm fuit *tentatus per omnia* [Hebr. 4. v. 15.] *pro ſimilitudine abſque peccato.* Ideò ductus eſt in deſertum, ut tentaretur à Diabolo: ut ſuo exemplo erudiret nos de modo, quo Antiquus hoſtis poteſt tentare hominem. Hinc Apoſtolus [ad Hebræos 2. v. 16. & ſeq.] ſcripſit: *Undè debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi: In eo enìm, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.*

404. Addo, quòd Lucifer totis ſuis viribus, omnique conatu, quo poterat, tentavit Chriſtum; ut ſciret, an eſſet verus Dei filius, aùt purus homo; & certò certiùs majori niſu, quo nos tentat. Magìs enìm in Salvatorem, quàm in ſalvandos: in caput, quàm in membra invidiâ contabeſcuit; ideò omni arte, & cunctâ ſuî potentiâ exploravit, utrùm eſſet verus Dei filius; ut in eum priſtinam ſuam æmulationem, iram, & indignationem effunderet. Si ergò Diabolus ſuadendo, ſuggerendo, alliciendo dumtaxàt tentavit Chriſtum; quis audebit aſſerere, ipſum Diabolum efficienter, immediatè, directè, phyſicè tentare Chriſtianos? Quiſque fortè erit, qui id affirmare præſumet, ab Eliphaz argue-

quetur [Job. 15. v. 5. & seq.] *Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi. Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia? Quid nosti, quod ignoremus? Quid intelligis, quod nescivimus? Et senes, & antiqui sunt in nobis, multò vetustiores, quàm patres tui. Numquid grande est, ut consoletur te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent: Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?*

ANNUUNTSS. PATRES.

Divus Ambros. [de Abel, & Cain. lib. 2. cap. 7.] *Non habes in quo necessitatem magis, quàm mentem tuam arguas. In te retorquetur improbitas tua; tu Princeps es illius.... Tu Princeps operis tui, tu Dux criminis. Non te invitum, non imprudentem error attraxit, sed voluntarius reus judicio, non lapsu feciſti dolum, qui te Divinæ injuriæ reum ipse convincis.*

S. Auguſt. [serm. 197. de temp.] *Diabolus latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

Idem [serm. 3. in Natal. Domini] *Qualecumque potest Diabolus ad malum invitare, non potest trahere: delectationem infert, non potestatem: consilium ingerit, non conflictum.*

Idem [homil. 12. ex 50.] *Multi sic confessionem peccati faciunt, ut ipsum Satanam accusent, se autem nihil feciſſe dicant. Et cum castigantur aliqui, & dicitur eis: quare hoc feciſtis? respondent, quia Diabolus hoc fecit. Non est enim unde plus gaudeat Diabolus, nisi quando homo dicit, quia ipse fecerit, ut peccaret. Quando enim dicit: Diabolus hoc fecit, non se accusat, & dum peccata sua dissimulat confiteri, indulgentiam non meretur accipere. Respondet ergò, & dicit: Diabolus hoc fecit, quasi revera traxerit eum Diabolus, aut violentiam fecerit; suadere enim, & sollicitare potest, cogere omninò non potest.... Nos Diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille consilium; sed Deo auxiliante, nostrum est, vel eligere, vel repudiare quod suggerit.*

D. Hieronym. [Epiſt. 1. ad Demetriad.] *Infirmus hostis est, qui non potest vincere, nisi volentem, non enim cogendo, sed suadendo nocet.*

Idem [in cap. 5. Matth.] *Diabolus adjutor, & infensor malarum cogitationum potest esse, author esse non potest.*

D. Thom. [3. p. q. 41. art. 4.] *Dicendum, quod tentatio, quæ est ab hoste, fit per modum suggestionis; ut Gregor. hom. 16. in Evang. dicit: Non autem eodem modo potest aliquid omnibus suggeri; sed unicuique suggeritur aliquid ex his, circa quæ est affectus.*

S. Leo I. [serm. 4. de Collect.] *Vis omnis Diaboli mendacio nititur.*

D. Chryſoſt. [homil. 31. in Geneſ.] *Diabolus neminem cogit, vel vim facit; sed decipit tantùm.*

Idem [homil. 5. ſuper Matth.

oper.

oper. imperf.] *Diabolus ad malum hortari poteſt, cogere autèm non poteſt.*

Idem [ibid. homil. 29.] *Quamvis Diabolus ſit infirmus, tamèn fortior eſt homine negligenti: fortem enim Diabolum noſtra negligentia facit, non illius potentia.*

Idem [ibid. homil. 43.] *A ſe ipſo Diabolus nihil agere poteſt, niſi occaſionem à nobis acceperit.*

S. Petrus Chryſolog. [ſerm. 105.] *Quid in homine unquàm Diabolus prævalet virtute, niſi arte, mendacio, inſidiis, fraude, dolo, nequitiâ, vitiorum miniſterio, furore criminum? Et quia poteſtate non poteſt, dominatur turpiſſimis mentibus, turpiſſimâ ſervitute. Sic mendacio decepit Evam: ſic cupiditate laqueavit Judam: ſic Judæos cæcavit invidiâ: ſic gentes Idolorum caligavit errore: ſic confundit Populos pompâ, & vanitate rerum.*

D. Gregor. Nazianz. [in lib. ſentent. Sent. 52.] *Quid nos omnibus in rebus miſerum hoſtem accuſamus, vicèque noxas omnes noſtras aſcrimus; quàm ipſi ſcelerata noſtrâ vivendi ratione poteſtatem demus.*

S. Cyrillus Jeroſolym. [Catech. 4. de libris] *Diabolus perſuadere quidèm poteſt volentibus; cogere autèm non poteſt.*

Beda (in cap. 4. Matth.) *Diabolus, qui omnes cadere vult, perſuadere poteſt, præcipitare non poteſt.*

Magiſter Sententiar. (in 2. diſt. 21.) *Diabolus primùm ſolitam fœminæ exploravit, ut in eâ primùm omnem ſuæ tentationis vim experiretur; ſed quia illi per violentiam nocere non poterat, ad fraudem ſe convertit: ut dolo hominem ſupplantaret, quem virtute ſuperare nequiret.*

EXPLICANTUR RATIONES.

405. I. OMnis Tentatio, in ſtatu naturæ lapſæ, eſt vèl ab intrinſeco, vèl ab extrinſeco; neutro autèm modo poteſt Dæmon phyſicè tentare hominem. Ergò &c. Major eſt ſatis diſtincta. Min. oſtenditur quoàd primam partem; nempè, quoàd tentationem ab intrinſeco. Dæmon, virtute ſuâ naturali, non poteſt per ſe, phyſicè, immediatè, & directè immutare hominis Voluntatem, aùt Intellectum, vèl Appetitum Senſitivum; imò nèc poteſt per ſe imprimere phantaſmata. Ergò Dæmon non poteſt per ſe, immediatè, phyſicè, & effectivè in noſtris potentiis efficere aliquid, quo inchoet tentationem. Ant. conſtat ex ſuprà adnotatis, & omnes concedunt DD. Conſequentia liquet. Nàm omnis tentatio (ſi in rigore loqui velimus, proùt debemus) incipit ab Appetitu Senſitivo, tamquàm à cauſâ excitante: & à cogitatione, velutì à cauſâ efficiente; ut omnes docent Theologi, ac ipſi Philoſophi: & advertit Suarez (de Angelis lib. 8. cap. 19. num. 9.) Atquì Dæmon nil poteſt per ſe, immediatè, & phyſicè aliquid efficere in Appetitum Senſitivum, multò minùs in cogitationem; ut mox dicebamus, & fatentur etiàm, velint, nolint, adverſarii. Ergò &c.

406. Poteſt quidem Dæmon per motum localem, & applicando acti-

Digitized by Google

activa passivis, movere humores corporis, vèl spiritus vitales: quibus commotis, excitatur Appetitus Sensitivus: ab Appetitu Sensitivo movetur Phantasia: à phantasiâ Intellectùs, per speciem excitantem cogitationem pravam: à quâ tandèm proximè, & immediatè incipit tentatio. Indè, luce meridianâ clarius est, quòd Dæmon remotè, & non proximè: moralitèr, & non physicè: occasionalitèr, & non effectivè, causat tentationem: Itàque, quùm dicitur, Dæmonem esse causam tentationis, non debet intelligi, quasi quòd per se, physicè, & immediatè Dæmon aliquid influat in cogitationem, vèl in speciem Intellectus, aut phantasiæ; sed dicitur esse causam tentationis, quatenùs per motum localem, & commovendo humores, ac spiritus vitales, applicando activa passivis; ut suprà; præbet occasionem, ut suscitetur Appetitus Sensitivus, & ab isto cogitatio &c. Quis autèm non videt in hoc progressu, Dæmonem esse causam dumtaxàt moralem, & non physicam tentationis?

407. Nèc ex eo, quià Dæmon applicat physicè ea motiva ad insurgendam tentationem, ritè sequitur, quòd sit causa physica ipsius tentationis; alioquìn, causam moralem, seù occasionem, confunderemus cũ causâ physicâ: eadem esset causa remota, ac proxima: nullum esset discrimen inter causam directam, & indirectam: nèc causa per se, distingueretur à causâ per accidens. Quæ sunt absurda in omni scholâ.

408. Secunda pars argumenti principalis, scilicèt, quoad tentationem ab extrinseco, probatur facillimè. Dæmon, aùt visibilitèr apparens in corpore assumpto, aùt invisibilitèr, & exteriùs tentans, his modis tentare potest: Vèl offerendo objecta sensibilia incitantia ad malum: Vèl sub diversis figuris apparendo, ut alliceret ad prava: Vèl per locutionem repræsentando objectum malum, suadendo illud, sub aliquâ ratione boni apparentis. *Nèc æstimandum est* (subdit Magnus Suarez [de Angelis lib. 8. cap. 18. n. 8. & cap. 19. n. 9.] quem sequuntur Mystici omnes, ac Theologi) *aliquam majorem à Deo recepisse potestatem, ut efficaciùs homines instigare posset. Hoc enìm probat optimè ratio facta, quòd id foret à bonitate Divinâ alienum. Et prætereà, quùm supernaturalitèr id fieri deberet, non solùm impiè, sed etiàm stultè sinè fundamento assereretur.* Atquì Dæmon, his tribus modis tentando, dici nequit causa physica, & per se; sed tantummodò causa moralis nostrarum tentationum; ut patet benè discurrenti, & concludit ille Doctor emeritus (ibid. cap. 19.) sub num. 9.)

409. Confirmatur ex D. Thom. (1. 2. q. 80. art. 1. in corpore) ubì ait: *Diabolus non potest esse causa peccati directè, sed solùm per modum persuadentis, vèl proponentis appetibile. Nihìl enìm potest esse causa peccati, nisi quòd possit movere Voluntatem ad agendum; quùm proprium principium actus peccati sit Voluntas, in quantum omne peccatum est voluntarium. Sed Voluntas duobus modis moveri potest; Uno modo ab objecto, prout appetibile apprehensum movet Appetitum. Alio modo ab eo, quod intrinsecùs inclinat Voluntatem ad volendum: quod non est, nisi ipsa Voluntas, vèl Deus; sed Deus non potest esse causa peccati: ergò ex hâc parte*

Digitized by Google

ſola Voluntas poteſt eſſe directè cauſa peccati. Atquì, ex parte etiàm objecti, triplicitèr valet moveri Voluntas: Uno modo per ipſum objectum propoſitum; ſicut dicimus cibum, hominis Appetitum excitare ad comedendum. Alio modo, per eum, qui proponit, & offert tale obiectum. Tertio modo, per eum, qui perſuadet, propoſitum objectum habere rationem boni. Primo modo, res ſenſibiles extrinſecùs apparentes, movent Voluntatem hominis ad peccandum. Sed ſecundo, vèl tertio modo, Diabolus, vèl homo poteſt excitare ad peccandum: aùt offerendo ſenſui appetibile: aùt perſuadendo rationi. Sed directè non poſſunt; quià Voluntas non movetur ex neceſſitate ab aliquo objecto, niſi ab ultimo fine. Diabolus ergò non poteſt eſſe cauſa peccati, ſed ſolùm per modum perſuadentis, vèl proponentis appetibile.

410. II. Diabolus non eſt Author malorum, ſed tantummodò Incenſor: & eo modo, quo eſt Incenſor, eſt etiàm Tentator. Atquì non eſt Incenſor phyſicè, & efficienter, ſed moraliter dumtaxàt, & occaſionaliter, ſeù diſpoſitivè. Ergò hoc ſolùm modo eſt Tentator. Maj. eſt omnium DD. ac SS. PP. quos retulimus ſuprà. Min. probatur. Concupiſcentia (quæ eſt ignis uſquè ad conſumptionem devorans) habet pro pabulo animi paſſiones: hoc autèm pabulum ſolus homo immittit in ignem, & inſufflat, accendit, & fovet: Dæmon autèm portat quidèm ſicca, & offert homini, ut applicet ea ad ignem; ipſe verò Dæmon non applicat, nèc immittit in ignem. Indè ſequitur, quòd Dæmon dicitur Coadjutor, in hoc tantùm ſenſu, quatenùs offert, & proponit delectabilia, quæ ſunt materia, ſeù pabulum combuſtionis, & Concupiſcentiæ; ſed ulteriùs progredi non poteſt ad accendendum concupiſcentiæ ignem. Ergò Dæmon eſt Incenſor, ſeù Tentator malorum, dumtaxàt moraliter, ſeù occaſionaliter. Ità arguit Doctor irrefragabilis Alex. de Ales (in ſumm. p. 2. q. 101. membr. 6. & 7.) Nicolaus de Nyſe (tract. 2. part. 2. fol. mihi 219. n. 8.) & paſsim alii.

Confirmatur, & ſimùl declaratur à D. Bonanav. (in 2. ſentent. diſt. 8. q. 5. num. 61.) ubì ſic loquitur. *Incendere, eſt actus translatus à corporalibus ad ſpiritualia . . . Quoniàm igitùr Diabolus poteſt nos ad malas cogitationes, & affectiones excitare, licèt non poſſit eas in nobis ſuâ poteſtate efficere; ideò rectè, & propriè à SS., & à DD. Sacræ Scripturæ Incenſor dicitur, non Immiſſor.*

Ad illud, quod objicitur, quòd Diabolus non poteſt ſuper Imaginationem, nèc ſuper liberum arbitrium. Dicendum, quòd non poteſt ſicùt Agens, & movens principaliter; poteſt tamèn ut ſuggerens, & inducens. Et hoc eſt, quod dicit Damaſcenus: (Violentiam alteri inferre non poſſunt) in nobis eſt ſuſcipere eorum immiſſiones.

Ad illud, quod ultimò objicitur, quòd tùnc poſſet facere nos peccare. Dicendum, quòd verum eſt, ſi potentia incendendi importaret neceſſitatem, vèl præcipuam, & effectivam poteſtatem reſpectu affectionis pravæ; ſed ſicùt prædictum eſt (N. B.) *non dicit cauſam efficientem, ſed diſponentem: quæ quidèm diſpoſitio efficaciam non habet, niſi nos demus ei vigorem ex noſtrâ negligentiâ, vel conſenſu.* Nèc aptiùs nequè clariùs loqui poterat Doctor Se-

Digitized by Google

Seraphicus.

411. Verùm enimverò, si Diabolus per se, immediatè, directè, physicè, & efficientèr posset accendere ignem concupiscentiæ, certò certiùs fornax tàm fœda sempèr in homine incessantèr arderet. Nàm omni tempore, die, ac nocte adversarius noster Diabolus circuit quærens, quem devoret libidinis flammâ, & quidèm indesinentèr. At væ homini, si tantùm posset hostis veterator. Quis enìm hominum non combureretur inextinguibili lasciviæ Vulcano? Indè frustrà D. Paulus scripsisset (ad Ephes. 6. v. 13.) *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo*, idèst, in die tentationis. Inanitèr D. Petrus juberet (1. cap. 5. v. 9.) *Resistite fortes*. Et D. Jacobus nos decepisset (cap. 4. v. 7.) dicendo, & promittendo: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Absint à fidelium mentibus hujusmòdi absurda.

412. Quinimò, nèc potest Dæmon nos compellere ad recipiendum pabulum concupiscentiæ ab eodemet oblatum: eo modo, quo necessariò videmus quidquid præsentatur aspectui oculorum nostrorum: & sic de aliis sensibus; *alioquìn à malis cogitationibus evadere non possemus*; ait D. Bonav. (in 2. sent. dist. 8. q. 4. in fine num. 57.) *& sic mala cogitare non foret reprehensibile; quùm tamèn Dominus reprehendat* (Matth. 9.) *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Undè Doctor Seraphicus (ibid. num. 60.) subdit: *Dæmones non possunt facere aliquid, quo facto, necessariò cogitemus malum; nisi in casu, videlicèt, quùm cogitatio animæ non est circà utilia occupata: quùm enìm evagatur, & est otiosa ratio, tùnc potest ei Diabolus offerre imaginem turpem, & vanam.*

413. Totus igitùr processus illarum tentationum, quæ procedunt à Dæmone, habetur Matth. 13. v. 25. ubì dicitur: *Inimicus ejus superseminavit zizania in medio tritici, & abiit*; idèst, Hostis veterator, & versutus in medio cordis hominum superseminat lolium: vèl interiùs commovendo humores &c. vèl exteriùs repræsentando delectabilia; ut indè oriatur, & crescat concupiscentia. Quo facto, Diabolus nequit ultrà progredi. *Abiit*, idèst, ut exponit Lyranus, *latuit, & occultissimus factus est*. Concupiscentia verò (si ratio non vigilet) concipit quasi in utero ea semina Diabolica: deindè fovet motus carnales: posteà hi crescunt usquè ad delectationem: tandèm nascitur proles lasciva; juxtà illud Jacobi (cap. 1. v. 15.) *Concupiscentia, quùm conceperit* (per suggestionem) *parit peccatum*; (idèst delectationem) *peccatum verò, quùm consummatum fuerit* (per consensum) *generat* mortem. Sìc exponit Tyrinus, & didicit à D. Greg. qui (homil. 16. in Evang.) inquit: *Sciendum nobis est, quòd tribus modis tentatio agitur: suggestione, delectatione, & consensu*. Luculentèr D. August. homil. 14. intèr 50. c. 8.) *Noli consentire concupiscentiæ tuæ: non est undè concipiat, nisi de te. Consensisti? Quasi concubuisti in corde tuo. Insurgit concupiscentia? nega te illi, noli eam sequi: illicita est, turpis est, alienat te à Deo. Noli dare consensionis amplexum, nè plangas partum.*

Digitized by Google

INFRINGUNTUR OBJECTIONES.

I. OSeæ 7. v. 4. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Atqui SS. Patres per clibanum intelligunt cor hominis, & per coquentem Diabolum. Ergò Diabolus eſt cauſa phyſica tentationum.

Rursùs Tren. ultimo. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt:* Undè Gloſs. *Diabolus, qui eſt fornax vitiorum, quotidiè novis concupiſcentiarum incendiis actionibus.*

Et Joann. 3. v. 2. *Quùm Diabolus jàm miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas &c.*

244. Reſpondet Alenſis (in ſum. part. 2. qu. 101. memb. 7.) ad primam, & ſecundam Scripturæ auctoritatem. *Dicendum, quod aliter ipſe homo dicitur incendere cogitationem malam, & aliter Diabolus. Homo enim dicitur incendere, ut qui præbet pabulum igni: Diabolus verò, ut Coadjutor; per hoc enim, quòd videt nos pronos ad aliqua genera peccatorum, illa delectabilia procurat anteponi, ut ex illis inducatur intellectus ad cogitationem de illis, illicito modo: & per hunc modum eſt Coadjutor. Nèc dicitur propriè præbere materiam ipſi igni concupiſcentiæ, vel flatum.* Et paulò ſuperiùs: *Incendere ignem, vèl eſt præbere ipſi igni materiam, vèl flatum? Diabolus igitùr ſi eſt Incenſor, altero illorum modorum incendit: ſed non præbet materiam; quùm materia ſint ipſa deſideria (ipſis enim deſideriis malis nutritur ignis concupiſcentiæ) nèc facit flatum; flatus enim ex aliquâ materiâ intrinſecâ accipitur, & ignem fervere, quaſi reſiſtendo facit.*

Ad 3. reſpondet Albertus Magnus (in Luc. 22. v. 3.) *Intrevit autèm Satanas in Judam; quiâ ſuggerendo, in eo invenit locum malitiæ ſuæ.*

II. D. Auguſt. [4. de Trinit. cap. 12.] ait: *Diabolus ſuæ ſocietati malignos affectus inſpirat.*

Beda [in Act. cap. 5.] inquit: *Diabolus animam in affectum malitiæ tradit.*

D. Iſidor. [de Sum. Bono lib. 1. cap. 5. & lib. 2. cap. 41.] dixit: *Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet.*

Reſpondet D. Thom. [1. 2. q. 80. art. 1. ad 1.] *Dicendum, quòd omnes illæ auctoritates, & ſiquæ ſimiles inveniantur, ſunt referendæ ad hoc, quòd Diabolus ſuggerendo, vèl aliqua appetibilia proponendo, inducit in affectum peccati.*

III. D. Dionyſ. [de Divino Nomine cap. 4.] aſſeruit: *Multitudo Dæmonum omnium malorum eſt cauſa.* Et D. Damaſcen. [lib. 2. cap. 4. ad finem] docuit: *Omnis malitia, & immunditia à Diabolo ſunt inventæ, & excogitatæ.*

Reſpondet D. Dionyſ. Carthuſianus [in 2. ſent. diſt. 21. q. 3.] *Aliquid eſt cauſa alterius duplici modo, putà, directè, & indirectè: Directè, dùm quid recto ordine cauſali operatur, & influit ad eſſe alterius: ſicùt ignis eſt cauſa calefactionis. Indirectè, dùm agens aliquam cauſat diſpoſitionem ad producendum effectum: quemadmodùm ficcans ligna eſt cauſa combuſtionis eorum: Sicque Diabolus eſt cauſa omnium malorum noſtrorum. Atquè hoc modo ſumenda ſunt verba Beati Dionyſii, & Damaſceni; directè verò non eſt cauſa tentationis, & culpæ.*

RE-

Digitized by Google

REFLEXIO.

415. ADversarius noster Diabolus ex perversâ suâ malitiâ, & iniquâ voluntate, intendit dejicere omnes; at *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* (Eccli. 15. v. 14.) Orator est dissertissimus, eloquentissimus, ingeniosissimus ad suadendum malum. *Ego autèm*, dicebat David (Psalm. 37. v. 14.) *tamquàm surdus non audiebam.* Altam excavat vitiorum lacunam; at nèc unum compellere potest ad ruinam; sed ipsemet *incidit in foveam, quam fecit.* (Psalm. 7. v. 16.) Mille habet tentandi artes, laqueos parat, suum expandit rete ad decipiendum, & aucupandum hominem; hic autèm fisus in Domino transit securus, & lætantèr canit: *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra, sicùt passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* [Psalm 123. v. 6.] Irruere videtur in Justum, eique vim inferre, & compellere ad turpia; reipsâ tamèn *Malignus non tanget eum* (1. Joan. 5. v. 18.) Vias ostendit latas, occasiones præbet, offert delectamenta; sed *tenebit Justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem.* (Job. 17. v. 9.) Apparet exteriùs, *dat se figuris, accommodat se coloribus, odoribus se subjicit, infundit se saporibus.* [D. August. lib. 83. qq.] At uno *Nole*, vèl altero verbo: *Vade Satana* (Matth. 4. v. 10.) victus recedit, ac fugit confusus: *Tunc reliquit eum Diabolus* (Matth. 4. v. 11.)

Qui ergò affirmare præsumet, Diabolum posse physicè, & efficientèr tentare; vèl erit Diabolus ipse, qui falsò gloriatur, quasi potens in malitiâ, & prævalens in iniquitate suâ: vèl erit ex patre Diabolo, qui loquitur mendacia. Contrà utrumque psallam cum Regio Prophætâ, (Psalm. 51.) *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate? Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua: sicùt novacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam suprà benignitatem: iniquitatem magìs, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguâ dolosâ. Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terrâ viventium. Videbunt justi, & timebunt, & suprà eum ridebunt, & dicent: Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum: sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate suâ. Ego autèm sicùt Oliva fructifera in Domo Dei, speravi in misericordiâ Dei in æternum, & in sæculum sæculi. Confitebor tibi in sæculum, quià fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniàm bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.*

SE-

SECTIO II.

De Poteſtate Dæmonis ad tentandum, ejuſque Alligatione.

416. EX terminis, aùt malè intellectis, aùt indiſcriminatim acceptis, at incongruè adhibitis, permulti oriuntur errores. Sic Hæretici confundendo verba Scripturæ, ac SS. Patrum, in ſuam detorquent pravitatem. Ità Pſeudo-Myſtici allegant in ſui favorem hunc, vèl illum textum, quem antèoccupati exoptant. Undè D. Hieronymus [lib. 1. de Trinit.] admonet: *Optimus Lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potiùs, quàm imponat: & retulerit magis, quàm attulerit. Nequè cogat id videri dictis contineri, quod antè lectionem præſumpſerit intelligendum.* Nos autèm in materiâ tàm delicatâ, ſubtili, ac perdifficili, quam tractamus, Potentiam naturalem Dæmonis ad tentandum, diſtinguimus à Poteſtate ipſius Dæmonis, utiquè ad tentandum; quamvis enim una ſepiùs confundi ſoleat cum alterâ; reipsà tamen ſecerni debent. Itàque pro rectâ utriuſque intelligentiâ

417. Noto 1. Ex D. Thom. (in 4. ſent. diſt. 24. q. 1. art. 1. quæſtiuncula 2. ad 3.) *Poteſtas propriè nominat potentiam activam, cum aliquâ præeminentiâ.* Undè ex Doctore Angelico, *Potentia* eſt virtus, ſeù vis, aùt facultas agendi: *Poteſtas* verò eſt Dominium, Imperium, Auctoritas, Jus, &c. ideòque Potentia, & Poteſtas non dicuntur ad convertentiam; nàm poteſt quis habere Potentiam, & non Poteſtatem; quamvis dari nequeat Poteſtas ſinè Potentiâ; hæc enim prærequiritur, & præſupponitur ad Poteſtatem; ut mox patebit. Quapropter Poteſtas Dæmonis ad tentandum, aliquid importat, quod non dicit ejus Potentia, utiquè ad tentandum.

418. Noto 2. *Non eſt poteſtas niſi à Deo* [ad Rom. 13.] & meritò; nàm quidquid eſt in creaturis, derivatur à Deo; ut advertit D. Th. [in hunc locum Apoſtoli] conſequenter Dæmon habet à ſe poteſtatem tentandi: Et quamvis D. Paulus ibi loquatur de poteſtate datâ hominibus; attamèn univerſaliter intelligi debet de omnibus creaturis, tùm de Angelis bonis, tùm de malis. Hinc D. Auguſt. [in Pſalm. 100. in fine] ait: *Diabolus nulli nocet, niſi acceperit poteſtatem à Deo.* Et D. Bernard. [lib. de modo benè vivendi ad Sororem cap. 67.] *Quamvis Diabolus ſemper cupiat tentare ſervos Dei; tamèn, ſi à Deo poteſtatem non accipit, non poteſt implere, quod quærit.* Et D. Damaſcen. [lib. 2. cap. 4. de Dæmonibus] *Nullam adversùs quemquam vim, ac poteſtatem habent, niſi ipſis Dei conſilio, ac diſpenſatione concedatur.* At videtur alienum à Divinâ bonitate, quòd hujuſmodi conceſſerit poteſtatem Dæmonibus ad tentandum, & inducendum homines ad malum; nàm dando Dæmonibus hanc poteſtatem, videtur Deus auctor, vèl particeps fieri officii tàm iniqui. Pro qui difficultate potiſſimâ

419. Noto 3. Certum eſt, & proculdubiò, Dæmones non adjuvari ſpecialiter à Deo, ut decipiant, ac tentent homines; ſed tantummo-

Digitized by Google

modò Deus non denegat eis concursum generalem; alioquìn mala Dæmonis operatio tribueretur Deo: quòd est falsum; dicente Apostolo Jacobo [1. v. 13.] *Nemo, quùm tentatur, dicat, quoniàm á Deo tentatur. Deus enìm intentator malorum est: ipse autèm neminem tentat.* At aliundè, Dæmon tentare non potest, nisi habeat potestatem tentandi: quam non à se, sed à solo Deo habere potest; proùt Christus dixit Pilato [Joann. 19. v. 11.] *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper.* Hinc ulteriùs

420. Noto 4. Nomen *Potestatis*, duas habere significationes. Una, quâ indicatur Dominium, Imperium, Jus, Auctoritas, &c. & hujusmodi potestatem habet Superior in inferiores, Prætor in populum, Rex in subditos, Dominus in servos, Pater in filios &c. De quâ potestate dicitur [Lucæ 22. v. 25.] *Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* Altera significatio *Potestatis* est, quâ ostenditur vis, & facultas, seù potentia faciendi aliquid. Sìc dicitur [Matth. 9. v. 8.] *Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* [Marc. 6. v. 7.] *Dabat illis potestatem spirituum immundorum.*

421. Si ergò *Potestas* accipitur, proùt significat, Dominium, Dæmon id ex se nunquàm habuit, nèc habere potest in hominem; ut sana docet Theologia. Quòd verum est, tùm de Potestate morali, quæ dici solet *Directiva*, seù Jurisdictionis: tùm de potestate, quæ appellatur *Coactiva*, seù *physicè activa*, per quam Superior potest aliquid physicè agere in inferiorem, etiàm invitum, inferendo ei aliquod malum, vèl privando bonis. Ratio est, quià homo, ex naturâ rei, non est subjectus Angelis, nèc quidèm bonis; sed soli Deo ejus Creatori, à quo originem habet, & dependentiam essentialem. Quinimò, & ipsi homines inter se non habent hanc naturalem subjectionem, nisi mediâ origine; ut est filii ad Patrem suum: Vèl medio communi fœdere alicujus multitudinis, in quo jàm supponitur consensus voluntarius illius multitudinis.

422. Et quamvis Dæmon, inducendo hominem ad peccatum, & ipsum vincendo, acquirat Jus quoddam in illum, itaùt possit, & debeat de peccatore vindictam sumere; quò circà [Apocal. 12. v. 10.] dicitur: *Nùnc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quià projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri die, ac nocte.* Quatenùs, scilicèt, constantèr exigit jus suum contrà homines peccatores; nihilominùs homo, estò peccat instigante Dæmone, non offendit Dæmonem, sed Deum; quapropter homo ex parte suâ manet reus apud Deum, & non apud Dæmonem; imò Dæmon potiùs est pœnâ dignus, quùm induxerit hominem ad peccandum, quàm dignus Jure, seù potestate puniendi peccatorem.

423. Quòd verò Dæmon fiat Minister pœnæ infligendæ peccatori, oritur ex solo recto ordine Divinæ Providentiæ, & non ex aliquo jure ipsius Dæmonis. Ratio autèm illius Divinæ Providentiæ, est illa, quam insinuat D. Chrysost. [homil. 3. de Patientiâ Job.] *Sicùt interhomines sunt milites, qui honoribus mi-*

Digitized by Google

miniſtrando inſiſtunt: & alii, qui ad pœnas exigendas ſegregantur: ſic ad miniſteria, & hominum diſpenſationes Sancti Angeli; ad malorum verò hominum pœnas poſtulandas, Dæmones tranſmitti. Quià non decet, Deum per ſeipſum vindictam ſumere de peccatoribus. Nèc etiàm decet, Sanctos Angelos hoc exercere miniſterium (ſaltèm ex officio, & ſecundùm legem ordinariam, & maximè in pœnis, quæ ſolùm ſunt ad ſupplicium, & vindictam) hoc enim miniſterium per viliſſimas perſonas ſolet executioni mandari; ideòque convenientiùs fit à Deo per Angelos malos. Quandò igitùr Deus utitur Dæmone, ut Miniſtro ſatellite, ad juſtè puniendum hominem, Dæmon ſolùm habet jus exequendi pœnam à Deo.

424. Nèc ex eo, quià Diabolus vicit primum hominem, acquiſivit jus, aùt dominium in illum, & in ejus poſteros. Ratio eſt, quià homo per peccatum, nèc omninò decedit à poteſtate, & ſervitute Dei: nèc etiàm omninò venit in abſolutam poteſtatem, & ſervitutem Diaboli. Porrò, ille habet abſolutè rem aliquam in ſuâ poteſtate, qui jus obtinet, arbitratu ſuo quolibet modo conſtituendi de re illâ; hoc autèm jus abſolutum in homines, Deus non amiſit per peccatum hominis, nèc Diabolus acquiſivit. Siquidèm *Domini eſt* non modò *Orbis terrarum*, verùm etiàm *plenitudo ejus, & univerſi, qui habitant in eo.* (Pſalm. 23.) ut etiàm explicat D. Auguſt. [lib. 13. de Trinit. c. 12.] Indè fit, quòd Dæmon non poſſit adversùs hominem, niſi quandò, quantùm, & quomodò ei permiſerit Deus: qui æquè abſolutus eſt Dominus ipſorum Dæmonum, ac hominum.

425. Benè verùm eſt, & catholicè dicitur, homines per peccatum, ratione quâdam à ſervitute, & poteſtate Dei, veniſſe in ſervitutem, & poteſtatem Diaboli: quatenùs, ſinè Divinæ Gratiæ præſidiis, quæ per peccatum amiſerunt, ſurgere nequeant à peccato, nèc iſtud vitare; adeòque, quantùm in ipſis eſt, aliquam per peccatum incurſerunt neceſſitatem obſecundandi voluntati Diaboli; modo infrà explicando. Et hâc ratione facti ſunt ſervi Diaboli, proùt notat Auctor Operis Imperfecti [homil. 11. in Matth. 5.] ſic interpretando verba illa v. 25.] *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dùm es in viâ cum eo: nè fortè tradat te adverſarius judici, & Judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris*, idèſt, *Diabolo, tamquàm tortori, ſunt homines adjudicati*; ut loquitur D. Auguſt. [Enchir. cap. 30.]

426. Simùl quoquè deceſſerunt homines à poteſtate, & ſervitute Dei, quatenùs amiſsâ gratiâ, nèc ipſi homines, naturæ ſuæ viribus, poſſunt ſervire Deo in re ipſi maximè grata: nèc Deus poteſt uti hominibus ad talem rem tanquàm bonis ſervis. Ea verò res, quam dicimus Deo maximè gratam, eſt, quòd homines ſanctâ charitate cum Deo primùm arctiſſimè conjuncti, deìn optimis hujus charitatis, aliarumque virtutum officiis, gloriam Deo, ut oportet, tribuant. Id enìm eſt primum, & maximum tributum, quod à ſervis ſuis requirit Deus. Nihilominùs retinet Deus, abſolutè, & ſimplicitèr, ut dicebamus, jus ſuum integrum, & poteſtatem in peccatores. Quià abſolutè, & ſimplicitèr uti poteſt ipſis peccatoribus,

ad

Digitized by Google

ad illud præcipuum charitatis, aliarumque virtutum obsequium; nempè, si eorum immutet animos, dando gratiam, eosque reddat ex injustis justos. At quià ex illâ hypothesi, idèst, quamdiù peccatores manent in statu peccati, nequit Deus uti ipsis ad illud charitatis obsequium; ideò dicimus, peccatores ratione quâdam decessisse à potestate, & servitute Dei. Hanc ob causam, ab ipso Domino Jesu Christo appellatus fuit Diabolus [Joan. 12. v. 31.] *Princeps mundi hujus*; idèst, malorum hominum, qui sunt in mundo; proùt explicat D. August. [tract. 52. in Joann. & in Psalm. 54.] *Nè fortè quùm dixisset Mundi, intelligeret Dæmones esse Rectores Cœli, & Terræ. Mundi dixit tenebrarum harum: Mundi dixit amatorum Mundi: Mundi dixit impiorum, & iniquorum: Mundi dixit, de quo dicit Evangelium: Et Mundus eum non cognovit.*

427. Quoniàm igitùr homines per peccatum fuerunt extrà servitutem Dei; & in servitutem Diaboli; non quidèm aliquo jure ipsius Diaboli, sed solùm jure Dei permittentis homines esse in eo statu; idcircò, ut redimerentur à tali servitute, fuit facienda compensatio; non quidèm Diabolo, sed soli Deo; ut loquitur Nazianzenus [Orat. 2. in Pascha] *Pretium fuit offerendum pro iis gratiæ Divinæ donis, in quibus libertas ab eâ Diabolicâ servitute consistit.* Sic etiàm docuit Apostolus [2. ad Corinth. 3. v. 17.] *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Et [ad Ephes. 5. v. 2.] *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo.* Idque ipsemet Redemptor noster, instante passione, se facturum, & nos erepturum à Potestate Diaboli, expressit illis verbis [Joan. 12. v. 31.] *Nùnc Princeps hujus Mundi ejicietur foras. Et ego, si exaltatus fuero à terrâ, omnia trahàm ad meipsum*; idèst, redimam Deo; ut omnes exponunt Sacri Interpretes.

428. Adhùc tamèn ex hactenùs dictis, non videtur satìs explicatum, quomodò Christus per passionem suam hominem liberaverit à Potestate Diaboli. Quandoquidèm, post Christi mortem, adhùc Diabolus suam exercet Potestatem in hominem, hunc tentando, & etiàm corporaliter vexando. Quinimò Diabolus, plusquàm Christus, regnat in Mundo; proùt experimur in variis sectis, Mahometi, Lutheri, Calvini, aliorumque Hæreticorum, atquè in ipsorum Christianorum iniquitate. Adde, quòd tempore Anti-Christi, Diabolus suam exercebit Potestatem in nocumentum hominum: de quo dicitur [2. ad Thessal. 2. v. 9.] *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.*

429. Verùm ad hæc, & similia facilis est responsio. Certè Dæmon, etiàm nùnc, Deo permittente, potest homines tentare quoàd animam, & vexare quoàd corpus: At remedium est jàm præparatum, quo homines possint se tueri ab hoste maligno: & quidèm illi, qui antè Christi passionem tentati fuère à Diabolo, potuerunt huic resistere per fidem passionis Christi, non adhùc peractæ, sed peragendæ. Quòd autèm Deus permittat Diabolo posse decipere homines, certis temporibus, locis &c. secundùm occultam,

& justissimam judiciorum suorum rationem; semper tamen per Christi passionem est omnibus paratum remedium contrà nequitias Diaboli; etiam tempore Anti-Christi: si autem aliqui tali remedio uti negligunt, nil deperit efficaciæ passionis Christi. Sed pro majori, & faciliori intelligentiâ

430. Notes 5. Quandò dicitur, Christum ejecisse foras Diabolum, non esse intelligendum, statim ejecisse extrà Mundum, sed extrà cor tuum, meum, aliorumque, quos justificat, relinquens Diabolum circum nos: inhiantem quidèm prædæ: sed impotentem deprædari Christianorum animas. Nàm Crucis baculo fuit confracta virtus Diaboli, & nostræ vires innixæ illi ligno, consolidatæ gratiâ Spiritus Sancti, & armaturâ Dei ità circummuniti, ut Adversarius noster *vincere* nos non possit; quantumcumque circumeat ut Leo rugiens; nisi adsit nostræ Voluntatis consensus. Quùm ergò Christus dixerit: *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs*, verum dixit; quià Diabolus jàm superatus, & victus à Christo, nequit nos vincere, nisi velimus.

431. Sed est etiàm verum, quòd Diabolus, cum omni Dæmonum satellitio, projicietur penitùs foras, extrà omnem ditionem Electorum Dei, quandò Christus illam terribilem pronunciabit sententiam: *Ite Maledicti in ignem æternum* &c. Illud igitur, quod prædixit Christus: *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs*, jàm fuit inceptum à Christo passo, & indesinenter perficitur; sed ordine quodam. Primò ejicitur Diabolus foràs, extrà animos justificatos. Secundò, depellitur quotidiè à conatibus suis, per armaturam Dei, quâ nos ipsi Diabolo resistimus. Tertiò, longè abigitur ab animabus Sanctorum dùm transferuntur ad suum, non quidèm Abrahæ (ut olim) sed felicitatis æternæ: Quartò tandèm, per judicium extremum projicietur totalitèr foràs, extrà omnes terminos regionis vivorum, juxtà illud [Psal. 36. v. 9.] *Qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autèm Dominum, ipsi hæreditabunt terram.*

432. Itàque concludendum, quòd per peccatum hominis, Diabolus habuit in illum jus quoddam, nequitèr tamèn usurpatum, & non jure acquisitum, nèc justo titulo adeptum; sic tamèn justè datum super hominem peccantem, ut nèc in homine, nèc in Diabolo, sed in solo Deo esset hujusmodi justitia. Non enim justus est Diabolus, qui tentavit: nequè justus homo, qui contentiendo meruit esse captivus; sed justus Dominus, qui exposuit. Atquè ità Diabolus dicitur habere super homines justam Potestatem, idèst, justo judicio Dei ipsi datam, quamvis usurpatam impiâ, & iniquâ Diaboli voluntate, quatenùs & ipse ab initio homicida, & mendax injustè tentavit, & mendacio talem potestatem acquisivit.

433. Verùm enimverò, quamvis Diabolus non meruerit, at eumdem hominem sibi subjiceret, & promeret; homo tamèn meruit, ut à Diabolo promeretur; quià meruit, ut pro culpâ torqueretur; idquè à nullo alio convenientiùs, quàm à Diabolo, cui suâ sponte consenserat contrà legem Dei; undè consequens est, hominem non posse justè contradicere dominio Diaboli. Ratio est, quià licèt homo ignoraret falsum esse, quod Serpens promisit;

at-

Digitized by Google

attamèn non ignoravit, quòd etiàmsi verum esset, non debuit concupiscere contrà Voluntatem sui Creatoris.

434. Deo autèm justa fuit causa contradicendi Diabolo, qui servum ejus fraudolentèr seducens, nullum habuit jus, aùt meritum, ut hominem justè possideret. Idcircò Deus, si solo verbo hominem liberaret, nulla injuria fieret Diabolo. Ratio est, quià nèc Deus à lege suæ potestatis amisit hominem, quandò permisit eum esse in Potestate Diaboli: sicutì, nèc ipse Diabolus est alienus à potestate Dei, quandò, superbiâ elatus, ad inferos fuit detrusus.

Hactenùs adnotata de Potestate Dæmonis, quoàd primam significationem *Potestatis*, quatenùs, scilicèt, importat Dominium, Jus, Imperium &c. sunt communissima apud omnes Theologos, & captu facillima. At, quoàd secundam significationem, in quantùm *Potestas* dicit vim, facultatem, seù potentiam faciendi aliquid, & impræsentiarum importat Potentiam tentandi, à Deo collatam Dæmoni; non omnes capiunt verbum istud, estque cautè intelligendum. Pro quo

435. Noto 6. Quòd de *Potestate* Dæmonis in hâc significatione acceptâ, discurrere debemus sicutì de potestate hominis ad peccandum: & eo modo, quo inquirimus in Theologiâ: An, & quomodò potestas peccandi sit â Deo; eo ferè modo perscrutari debemus de Potestate Dæmonis ad tentandum; nàm Dæmon, quotiès tentat, totiès peccat. Quo pacto igitùr in homine potestas peccandi sit, vèl non sit à Deo, explicat D. Bonav. [in 2. sent. dist. 44. q. 1.] *Quùm dico potentiam peccandi; duo dico: & dico aliquam potentiam: & dico potentiam ad talem actum ordinabilem. Si igitùr loquamur de potentiâ peccandi, secundùm quòd potentia est; quùm illa potentia sit liberi arbitrii, sic absquedubiò à Deo est. Si autèm loquamur de ordinabilitate illius potentiæ ad peccatum, tùnc dicendum est, quòd sicùt peccatum aliquandò accipitur abstractè, aliquandò concretè; aliquandò enim nominat actionem deformem, aliquandò ipsam deformitatem: sic dupliciter est loqui de illâ ordinabilitate ad peccandum: aùt respectu deformitatis, aùt respectu actionis substratæ. Si respectu actionis substratæ, sic talis ordinabilitas à Deo est; sicut & actio substrata peccati. Si autèm loquamur de ordinabilitate illâ respectu deformitatis, sic, quùm illa deformitas nihìl aliud sit, quàm privatio, et defectus; talis ordinabilitas nihìl aliud est, quàm defectibilitas. Et ideò, sicùt defectus deformitatis non est à Deo, sic nèc talis defectibilitas est à Deo, sed est in ipsâ creaturâ rationali; quià ex nihilo.* Hoc idem, & iisdem verbis scribit D. Thom. [in Epist. ad Rom. cap. 13. lect. 1. & in 2. sent. dist. 44. q. 1. art. 1. in corpore, & alibì] Profectò de his Sanctis Doctoribus Seraphico, & Angelico meritò dici potest illud Ezechielis: [cap. 1. v. 9.] *Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum.*

436. Noto 7. Duplicem in Dæmone Potestatem tentandi: *Physicam*, scilicèt, & *Moralem*. *Physica* est illa, per quam Dæmon, applicando activa passivis per motum localem, exercet actiones physicas, & materiales, ut hominem inducat ad peccandum. Ità commovet intrà

Digitized by Google

trà hominem humores, & spiritus: & extrà offert objecta sensibilia incitantia ad malum; vèl loquendo, suadet ad prava. Hæc autèm potestas est naturalis Dæmoni, & communis etiàm Angelis Sanctis; cum hâc tamèn differentiâ, & proportione, quòd Angeli boni, habent in ordine ad bonàm operationem; Angeli autèm mali abutuntur tali potestate, & ordinant ad malum. Quapropter, hujusmodi *Potestas Physica*, præcisè capta, ut dicit potentiam naturalem, ut sic, est à Deo, tamquàm ab Auctore naturæ.

437. Nèc indè sequitur, Deum esse auctorem mali, ad quod Dæmones inducunt homines; Deus enìm contulit Dæmonibus ejusmodi potestatem physicam, & naturalem; sed non ut eâ abuterentur ad tentandum, & seducendum homines; Sed eo modo, quo Angelis bonis tribuit potestatem ad agendum. Sanè distinguere debemus Potestatem, & Usum potestatis. Omnis quippè Potestas est bona, & sic est à Deo: Usus autèm Potestatis non sempèr est bonus, & consequentèr non sempèr est à Deo. Ratio est, quià Usus potestatis provenit à liberâ voluntate creatâ. Quandò igitùr Usus potestatis est malus, non est à Deo, sed à propriâ Voluntate creatâ, quæ liberè abutitur eâ potestate. Hìnc Dæmonis potestas physica, & naturalis, quâ tentat homines, fuit ipsi collata à Deo; sed iniquus usus hujusmodi potestatis, non est à Deo; sed à perversâ ejusdem Dæmonis Voluntate. Quod totum egregiè expressit Magnus Gregor. [lib. 2. moral. cap. 6., & lib. 18. cap. 3.] exponens illud [1. Reg. 16. v. 15.] *Ecce spiritus Dei malus exagitat te*: ubi ait: *Quomodò Domini est, si malus dicitur? Domini est, quià virtus, & potestas, quam habet, & exercet, bona, & justa est: tamèn voluntas mala, quiâ malè utitur*. Ratio est jàm adducta à Doctore Seraphico; quià, nimirùm, Potestas tentandi, & peccandi, licèt materialitèr capta, sit potestas agendi, & ut sic sit à Deo; formalitèr tamèn capta, non est Potestas agendi, sed deficiendi; & ut sic non est à Deo.

438. Nequè ex eo, quià Deus, post peccatum Angelorum, reliquit eisdem talem Potestatem, imputari debet Deo abusus illius Potestatis. Ratio est, quià non tenetur Deus auferre, aùt impedire omnem defectum creaturæ. Quis enìm Deo hanc imposuit obligationem? Aliundè ex quâ necessitate oritur ille defectus? Oritur quidèm ex malitiâ Dæmonis, ejusque perversâ voluntate; sed voluntas Dæmonis non est tantùm potestas peccandi, sed multò magìs benè agendi: idque habuit à Deo, ac erat Dæmoni faciliùs, & intentum à Deo. Adde, quòd elucet Dei Sapientia, atquè Justitia, quandò occulto, & justo suo judicio, non impedit, sed permittit hujusmodi Dæmonis defectus, & abusus collatæ potestatis; nè dicatur totalitèr auferre Dæmonis libertatem: aliisque de causis, quas retulimus Dissertat. 1. de Permissione tentationum.

439. Noto 8. Quod suprà tetigimus, nimirùm, Deum non juvare specialitèr Dæmones ad malè agendum, sed tantùm eis non denegare concursum generalem: Ex quo sequitur, Dæmones posse (si permittantur à Deo) omnem eorum vim, & potentiam naturalem adhibere ad tentandos, & seducendos

Digitized by Google

dos homines, & ea omnia facere, quæ facere possunt in purâ naturâ considerati; quià post peccatum, ipsorum naturalia in eis integra manserunt, quoàd essentiam, & potentias. Sed facere nequeunt aliquid, quod sit suprà potestatem naturalem Intellectualis naturæ; quià hujusmodi potestas esset supernaturalis, & sic à Deo: & quùm esset ad tentandum homines, Deus esset auctor, seù particeps inducendi homines ad malum. Quod nefas est asserere. Undè D. Thom. [de Potentiâ q. 6. art. 5. & aliis in locis] clarè docet, loquendo de Dæmonibus: *Ad hujusmodi autèm, quæ sunt suprà facultatem Naturæ ipsorum, eis à Deo nulla datur potestas.* Quinimò ex eodem Doctore Angelico [ibid. in principio]. *Sicutì Angeli boni per gratiam aliquid possunt ultrà naturalem virtutem: ità Angeli mali minùs possunt, ex Diviná Providentiá eos reprimente, quàm possint secundùm naturalem virtutem.*

Hæc, de Potestate physicâ Dæmonis ad tentandum, sunt certa apùd omnes Theologos, nèc ab ullo revocantur in dubium. Aliqua tamèn est difficultas in explicandâ Potestate morali Dæmonis, utiquè ad tentandum. Verùm, si distinguamus, facilè erit negotium. Itaquè

440. Noto 9. Quòd *Potestas Moralis* debet subdividi in *Positivam*, & *Privativam*, seù *Negativam*. Appellamus *Potestatem Moralem Positivam* illam, per quam datur aliqua facultas Moralis, vèl consilium, vèl aliqua imponitur obligatio, vèl fit aliquid hujusmodi, ut Dæmon inclinetur, seù ordinetur ad utendum, aùt potiùs ad abutendum Potestate Physicâ, paulo anteà declaratâ. *Potestatem* verò *Privativam*, seù *Negativam* vocamus illam, quæ relinquitur in Voluntate liberâ: cum hoc solo, quòd non impeditur; sed permittitur agere illud, quod alius potest, quamvìs illicitè.

441. Sic declarata *Potestate Morali*, liquidò constat, Deum non concedere Dæmonibus *Potestatem Moralem Positivam*; id enìm repugnat Divinæ bonitati; quùm non possit Deus, vèl approbare factum Dæmonis tentantis hominem, aùt simplicitèr velle illud. Imò, nèc ex intentione directâ illius facti Dæmonis tentantis hominem, potuit Deus velle, ut mali Angeli in hoc aëre versarentur. Ratio est, quià id esset velle malum culpæ ut finem; & talem modum alligationis, seù incarcerationis, ut medium ad illam culpam. Quòd repugnat bonitati Divinæ. Tùm quià, Dæmonum ministerium in tentandis hominibus, est vera culpa, & peccatum; ut omnes asserunt Theologi; quidquid sit, de quo dubitant: An ipsis Dæmonibus illud iniquum ministerium imputari debeat ad novam pœnam. Ideòque nequit Deus velle intentione directâ &c.

442. At *Potestatem Moralem Negativam* tentandi, quæ alio vocabulo dicitur *Permissivà*, dat Deus Dæmonibus. Et hæc est differentia constituenda intèr custodiam bonorum Angelorum, & impugnationem Dæmonum: quòd, custodia bonorum, est per se intenta à Deo; ideòque quidquid ordinatur ad illam, est ex positivâ Dei providentiâ ordinante talem custodiam, & dante omnem potestatem ad illam necessariam, aùt convenientem. Impugnatio autèm malorum Angelorum, quoàd hanc partem, est ex permissione

Di-

Digitized by Google

Divinâ. In quo ſenſu, SS. PP. dicunt, Dæmones non habere poteſtatem in hominem ullam, niſi Deus illam conceſſerit: vèl ut loquitur Damaſcenus [ubi ſuprà] *Niſi ea ipſis Dei conſilio, & diſpenſatione concedatur*; idèſt, utiquè permittendo; nám iſta permiſſio fit magno, & ſecreto Dei conſilio. Vocatur autèm *Diſpenſatio, & Conceſſio*; non quiá Deus diſpenſet, vèl ità licentiam concedat, ut licitè fiat; ſed quiá non impedit, & permittit. Vèl (ſecundùm aliquorum opinionem) fortè Deus concedit, ut á Dæmonibus impunè fiat. Undè D. Cyprianus [in verba illa: *Et nè nos inducas in tentationem*] ait: *Quá in parte oſtenditur, nihìl contrà nos Adverſarium poſſe, niſi Deus antè permiſerit. Et quòd in tentationibus noſtris nihìl Malo liceat, niſi poteſtas indè trahatur.*

443. Quandò igitùr PP. docent, Dæmonem in tentandis, & pugnandis hominibus, non plùs poſſe, quàm ei fuerit deſuper datum, ſeù conceſſum; intelligunt de *Poteſtate Proximá*, quæ omnia includit requiſita ad agendum: & de *Conceſſione Permiſſivâ*, non verò de *Ordinativá*; ut ità dicam: Quòd eſt veriſſimum. Ratio eſt, quiá ſinè Dei providentiá præbente, ſeù offerente concurſum neceſſarium, creatura nihìl agere poteſt: ut autèm Deus ſuum offerat concurſum, vèl non neget, ſaltèm eſt neceſſarium, ut effectum fieri permittat. Et in malis hoc ſufficit, nèc Deus plùs præbet; quiá nèc ipſum decet, nèc plus eſt neceſſarium ad effectum, ut fieri poſſit. Hinc D. Gregor. [lib. 4. moral. cap 4. alias 6., & cap 6. aliás 10.] concludit: *Satanæ voluntas ſemper eſt iniqua; ſed nunquàm poteſtas injuſta; quiá ex ſe voluntatem habet, ſed á Domino poteſtatem.* Idem docet D. Bernard. [in dicto lib. de modo benè vivendi cap. 7.] *Omnis voluntas Diaboli ſemper eſt injuſta; ſed tamèn, permittente Deo, juſta eſt poteſtas ejus.*

444. Indè ſequitur, Poteſtatem Dæmonis ad tentandum, non ſempèr fuiſſe æqualem, eſtò ipſius mala voluntas ſempèr fuerit eadem; quià, nimirùm, plùs in uno tempore, quàm in alio eſt ei permiſſum. Sìc, in lege gratiæ, dicitur ligata Dæmonis Poteſtas, & tempore Anti-Chriſti dicitur ſoluta: non quiá Dæmoni concedatur *Poteſtas Poſitiva*; ſed quià *Permiſſus*, in multa contrà homines laxatur. Id autèm attinet ad ſecundam partem quæſiti, de Alligatione Dæmonis; ideòque

445. Noto 10. Antè primi hominis peccatum, Diabolum etiàm habuiſſe quamdam invadendi Poteſtatem, & quodammodò tentandi hominem; & jám defacto tentavit, ac ſeduxit illum. Sed antè peccatum, homo tentabatur á foris; quiá nondùm erat ſub captivitate Diaboli; & conſequentèr Diabolus non habebat Poteſtatem ad interiora hominis, nempè ad commovendos humores, & ſanguinem hominis, ut in ejus carne excitarentur motus contrarii legi mentis; quùm autèm homo conſenſum præbuit Diabolo, factus eſt ſibimetipſi gravis, Deo contrarius, ſibi derelictus, ablatâ virtute continendi ſub ſe omnia inferiora; indè factus eſt vagus, inſtabilis, infirmus ad operandum; indè Diabolus Poteſtatem accepit, ſeù veriùs uſurpavit, devincens totum Adam, cum omnibus, qui in illo

Digitized by Google

illo erant: indè Hostis malignus notam usurpavit Potestatem, quam non habebat antè peccatum Adæ, nempè, secundùm novum tentandi modum, idèst extrinsecum.

446. Hæc Potestas Diaboli, antè piissimum nostri Redemptoris adventum, erat lata, magna, & fortis super genus humanum; postquàm verò virtus Christi innotuit toti Mundo; illa potestas non fuit totalitèr ablata, sed multùm limitata, debilitata, & ligata; juxtà illud Apocalypsis [cap. 20. vers. & seqq.] *Vidi Angelum descendentem de Cœlo*, idèst, Christum, *habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu suâ*; nimirùm, virtutem insuperabilem. *Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille*, nempè, usquè ad novissimum Christi adventum. *Et misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes* &c.

447. Id totum præclarè expressit D. Bonav. [in 3. sent. dist. 19. q. 13. n. 22.] his Seraphicis verbis: *Diabolus autè passionem Christi habebat duplicem manum, videlicèt, Attrahentem, & Impellentem. Manus Attrahens, erat potestas trahendi ad limbum etiàm justos, & sanctos. Manus Impellens, erat potestas præcipitandi in malum, vèl per fallaciam, vèl per violentiam; quiâ tentabat ut Draco, tentabat ut Leo: Et prima manus, scilicèt, Attractiva, erat tantæ potentiæ, ut nullus ei posset resistere: & hæc fuit ei omninò amputata per passionem. Jàm enim nullum justum potest ad limbum trahere; quiâ per passionem Christi deletum est chirographum peccati Adæ. Manum autèm Impellentem habebat lèvâ fortem, ut magnâ cum difficultate posset quis ei resistere: & idcò in multis regnabat, imò ferè in omnibus; omnes enim vèl superabat per fraudolentiam, vèl per violentiam. Et hæc potestas debilitata est per passionem, per quam lumen veritatis aperitur contrà Diabolicam fraudolentiam, & adjutorium virtutis tribuitur contrà Diabolicam Violentiam. Apparuit autèm lumen veritatis, & interiùs per Divinam inspirationem, & exteriùs per humanam instructionem. Jàm enim ferè omnibus est veritas propalata, & idcò est destructa Idolatria, quæ priùs regnabat. Adjutorium etiàm virtutis tribuitur per gratiæ infusionem, quæ reprimit concupiscentiam: & per Angelicam protectionem, quæ comprimit, & reprimit Potestates adversas: & hoc idem virtute passionis, meritò cujus mittitur nobis Spiritus Sanctus, mittuntur etiàm & ipsi Angelici Spiritus, ut superetur Adversarius. Undè Diabolus supèr omnia abhorret memoriam passionis, & figuram Crucis, per quam sumus à potestate ejus liberati.*

448. Ex hâc doctrinâ Seraphicâ, certissimâ, & catholicâ, possumus facillimè definire, in quo consistat Alligatio Dæmonis ad tentandum hominem, & asserere cum D. Augustino [lib. 20. de Civit. Dei cap. 8.] *Alligatio Dæmonis est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest, vèl vi, vèl dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violentèr, fraudolentèrve fallendo.* Sola remanet difficultas in explicando: quomodò Diabolus possit virtute suâ naturali, violentèr, aùt dolosè seducere homines, in partem suam cogendo violentèr, frau-

fraudolentèrve fallendo? In hoc enim, ex Sancto Præceptore (quem omnes ſequuntur Theologi) conſiſtit Alligatio Dæmonis; proùt etiàm docuit D. Thoma: de Pot. q. 6. art. 5. in corpore] *Angeli mali ſecundùm hoc ligati dicuntur, quòd impediuntur ab illis agendis, ad quæ eorum naturalis virtus ſe extendere poſſet; ſolùm autèm, quùm permittuntur agere Divino judicio, quæ ſecundùm naturam poſſunt.* Proſolutione.

449. Noto 11. & ultimò, quòd in operando voluntariè, ac liberè, duplicem experimur *Impoſſibilitatem*: unam *Phyſicam*, quatenùs nullo modo agere poſſumus, quod velemus; eò quià potentiam phyſicam non habemus ad agendum id, quod cupimus. Alteram *Moralem*, quatenùs poſſumus quidèm operari id, quod volumus; quùm non excedat noſtram potentiam phyſicam; ſed moralitèr non poſſumus, idèſt, ſinè magnâ difficultate: *Frequenti namquè uſu didicimus*; ait D. Anſelm. [cap. 6. Dialog. de lib. arbitr.] *non nos poſſe aliquid, non quid nobis eſt impoſſibile, ſed quià ſinè difficultate non poſſumus.* Undè formalis differentia inter *Impoſſibile Phyſicè*, & *Moraliter*, non eſt, quòd illud nunquàm evenit, hoc autèm interdùm accidere contingit; ſed in præſenti materiâ eſt (ut ſcitiſſimè advertit Suarez) [de Grat. part. 1. lib. 1. cap. 24. num. 31.] Quòd ad primum Impoſſibile, idèſt, Phyſicè, non eſt in agente potentiâ phyſicâ. Ad Impoſſibile autèm moralitèr, non deeſt phyſica potentia; nihilominùs effectus, ſeù objectum, tot poteſt eſſe difficultatibus affectum, ut nunquàm fiat à tali potentiâ uniformitèr, & ſinè defectu; niſi vèl potentiâ juvetur, vèl difficultates tollantur. Et quandò eſt tale iſtud impoſſibile, ut nunquàm à tali cauſa ſic affecta eveniat effectus, dicitur ſimpliciter impoſſibile reſpectu illius. Ratio eſt, quià poſſibilitas abſoluta non dicitur reſpectu cauſæ phyſicæ undè ſumptæ, ſed ut ſpectatæ cum circumſtantiis, ſinè quibus nunquàm ità operabitur. Hæc doctrina Doctoris æmeriti eſt valdè notanda, & à nobis, ac Lectoribus hujus Opuſculi præ oculis ſempèr habenda.

450. Sicàt ergò in operando, illam duplicem experimur Impoſſibilitatem; eodem ferè modo duplicem diſtinguere debemus *Coactionem*, ſeù *Violentiam*: nempè *Phyſicam* unam, alteram *Moralem*. Appellamus *Coactionem Phyſicam* illam, quæ provenit ab extrinſeco, majoris rei impetu, qui repelli non poteſt phyſicè. Ità Gentiles cogunt Fideles thurificare Idolo, aperiendo violentèr, contrà eorum voluntates, ipſorum manum, & huic imponendo thus, ac demùm eamdem manum reſolvendo ſupèr ignem antè Idolum exiſtentem. Vocamus autèm *Coactionem Moralem* illam, quæ provenit á ſuaſione efficaciſſimâ alicujus Oratoris diſſertiſſimi: Vèl à precibus aſſiduis, & ſollicitis: Vèl à minis, ac terroribus: Vèl ab oblatione objecti nimis delectabilis, & permaximè allicientis. Sic Gentiles inducunt Fideles, & cogere dicuntur eos ad Idolatriam: nimirùm, verbis blandis, aùt minacibus: auro, & argento: oblectamentis &c. Ità quoquè intelligitur illud [Lucæ 24. v. 9.] *Et cogerunt illum*; ut notat Eminentiſſimus Hugo [in Geneſ. cap. 34. v. 2.] Exponens violentam, & coactam oppreſſionem.

Divi-

Divinæ; ubi ait: [*Vi opprimens*] *Instans tentatio Diaboli, Violentia appellatur. Sicut in fine Lucæ, instantia precum duorum discipulorum, dicitur Coactio. Nulli enim Diabolus potest inferre violentiam, ad peccandum, nisi prius velit homo. Undè dicunt Dæmones ad animam: Incurvare, ut transeamus.* [Isa. 51.]

Tot usquè adeò præmissa, & prolixè adnotata, nunquàm apud Lectorem consenescere debent; tùm quià apud omnes sunt inconcussa; tùm quià ex ipsis pendet recta hujus Sectionis intelligentia, & legitima sequitur.

CONCLUSIO I.

451. Diabolus dùm erat solutus, nunquàm habuit potestatem physicam, aùt moralem, inferendi homini violentiam absolutam, & physicè cogendi ipsum ad malum; sed tantùm moralitèr cogere poterat. Est de fide contrà Armenos, & Manichæos.

DECERNITUR IN SACRA PAGINA.

ECCLESIASTICI Cap. 15. v. 14. & seqq.

Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appositi tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.

452. *Manus* in Sacra Scriptura significat arbitrium, libertatem, dominium, imperium, potestatem; ut expendens hunc locum advertit Cornel. à Lapide. Nàm, quæ in manu, vèl sub manu habemus, eis pro arbitrio liberè uti possumus, eisque pro potestate dominamur, & imperamus. *Manus* ergò *consilii*, est arbitrium, potestas, & libertas consilii; de iis enim tantummodò consultamus, quæ sunt nostræ electionis, & arbitrii, ut ea pro libito faciamus. Sensus igitur est, quod Deus ab initio creavit hominem naturæ intelligentis, & liberæ: ita ut de ejus ratione, & essentiâ sit libertas arbitrii: quæ per peccatum, vèl aliud quodlibet accidens tolli nequit; adeoùt si ab homine tollas liberum arbitrium, tolles paritèr naturam hominis, & ex homine facies brutum.

453. Ex quo liquet manifestè, Adam mansisse liberi arbitrii, etiàm post peccatum. Justitia namquè Originalis non faciebat Adam liberum; & consequentèr per peccatum amissâ justitiâ originali, non amisit libertatem. Justitia ergò originalis faciebat, ut Adam (idem dicas de ejus posteris) facilius uteretur suâ libertate naturali ad bonum naturale, supernaturalitèr verò ad bonum supernaturale. Itàque quoàd libertatem nunquàm homo devenit in servitutem, aùt potestatem Diaboli, qua posset hostis malignus hominem cogere physicè, & ei violentiam inferre absolutam. Adam igitùr per peccatum amisit tantummodò

modò facilitatem utendi ſuâ libertate, & conſequentèr factus eſt moralitèr impotens ad Dei præcepta ſervanda; ideò Diabolus novam, & fortiorem acquiſivit (veriùs uſurpavit) poteſtatem tentandi Adam, ejuſque poſteros, & cogendi moralitèr ad malum. *Novam*, inquam, quià poſt peccatum potuit, quod priùs non poterat, idèſt, tentare, & vim facere (moralitèr) interiùs. *Fortiorem* verò, quià magnâ cum difficultate, poterit quis ei reſiſtere: in quâ difficultate conſiſtit *Coactio moralis*, ſeù *Violentia ſecundùm quid*

Ità loquuntur SS. Patres hoc in loco D. Auguſt. [de Grat. & liber. arbitr. cap. 2.] citatis prædictis verbis Eccleſiaſtici, ſubdit: *Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tàm multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodò jubet ſi non eſt liberum arbitrium.*

S. Athanaſius, vèl potiùs Anaſtaſius Nicænus [quæſt. in S. Script. q. 16.] ait: *Eſt enim in noſtrâ poteſtate, & libero noſtro arbitrio ſalus noſtra, & interitus; ſicut ſcriptum eſt: Deus ab initio fecit hominem, & dimiſit eum in manu conſilii ſui.* Idem ex hoc loco Damaſcenus docet [lib. 1. Parall. cap. 9.] & alii tuentur PP. ut mox patebit.

Alia quamplurima extant Divina Oracula, quibus noſtra definitur aſſertio: ſed in re certâ ex fide unicus ſufficiet textus allatus.

DEFINIUNT SS. PATRES.

SAnctus Ambroſ. [lib. 1. de Jacob. cap. 3.] *Voluntatium ſervum ſibi Diabolus auctionatur, neminem jugo ſervitutis adſtrictum poſſidet niſi ſe priùs ei voluntatis ære per peccatum vendiderit.*

D. Baſil. Magn. [hom. quòd ſinè Divinâ virtute reſiſtere Satanæ &c.] *Liberum illud, quod in poteſtate hominis eſt arbitrium, in eo ſitum eſt, ut velis, vèl nolis reſiſtere Diabolo.*

S. Bruno [in Pſalm. 111.] *Liberum arbitrium per peccatum originale debilitatum fuit, non ſublatum.*

D. Thom. [in Epiſt. ad Roman. cap. 6. lect. 4.] *Homo quoàd liberum arbitrium rationis remanet liber à coactione; non tamèn ſemper eſt liber ab inclinatione.*

Richard. à S. Vict. [part. 1. tract. 1. de ſtatu inter homin. cap. 3.] *Liberum arbitrium dominium non patitur, nèc pati poteſt: quià violentiam inferre ei, nèc Creatorem decet, nèc creatura poteſt. Totus Infernus, totus Mundus, totus denique militia Cæleſtis exercitus in unum concurrat: unus ex libero arbitrio conſenſus in qualicunque re, invito extorqueri non poteſt.*

Idem [ibid. cap. 13.] *Poteſtatem promerendi, peccando amittere potuit homo; libertatem verò arbitrii, ſicùt nunquàm non habuit; ſic nunquàm non habebit: quià nunquàm qualicunque peccato, vèl pœna amitti, vèl minui poterit: amiſit itaque poteſtatem, non libertatem.*

Idem [ibid. cap. 23.] *Primus libertatis gradus, eſt nulli coactioni ſubjacere: ſecundus, nulli ſubjici debere; tertius verò, nulli penitùs ſubjici poſſe.*

EX-

Digitized by Google

EXPLICANT RATIONES.

454. I. PRimus homo peccando amisit libertatem illam, quam concupivit. Atquì non concupivit *libertatem à necessitate*, sed tantummodò appetiit *libertatem à subjectione*: ergò hanc dumtaxàt amisit. Major est D. Augustini (lib. 14. de Civit. cap. 15.) Min. constat ex Sacrâ Scripturâ; Tùm quià primus homo jàm habuit à principio illam libertatem à necessitate. Adam igitùr appetiendo libertatem à subjectione, factus est servus, & peccati, & pœnæ, & miseriæ, & Diaboli: contraxit inordinationem concupiscentiæ, & pugnam fomitis, atque devenit in captivitatem Diaboli: qui antè illius inobedientiam tentare non poterat, nisi exteriùs; posteà verò, usurpavit potestatem tentàndi hominem adhùc interiùs, & fortiùs; ut suprà adnotavimus. Sempèr tamèn mansit in Adamo *Libertas à necessitate*, quæ est propria libertas moralis ad actus humanos, & necessaria, ut hi sint digni laude, aùt reprehensione, præmio, aùt pœna.

455. II. Si Diabolus jàm solutus potuit, aùt aliquandiù poterit cogere physicè hominem, eique inferre violentiam absolutam, vi trahendo in suam partem, jàm homo non foret homo, sed brutum. Ergò Sequela patet; nàm ad veram libertatem, quâ constituitur natura hominis, requiritur immunitas à coactione. Ratio est, quià ut actus sit verè liber, esse debet sub dominio, seù potestate operantis; qualitèr autèm homo potest esse Dominus illius, quòd contra suam Voluntatem compellitur facere? Undè necessitas coactionis directè evertit, ac destruit fundamentum veræ libertatis: imò tantam cum eâ involvit repugnantiam, ut potentia capax coactionis, esse nequeat libera, non solùm exercitè, & in actu secundo: sed nèc subjectivè, seù in actu primo: idèst, non solùm non operabitur liber, sed neque obtinebit naturam potentiæ liberæ. Et sic semèl posito, quòd homo possit physicè cógi à Diabolo, & violentèr trahi ad mälum; jam homo non esset liber; neque in actu primo; & ità homo non esset homo, sed brutum.

456. III. Diabolus in futuro Christi adventu solvetur, & tunc totis suis viribus, ac suorum sequacium sæviturus erit, *in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis*; proùt prædixit Apostolus (2. ad Thessal. 2. v. 9. & 10.) Nihilominùs tunc temporis tales erunt Fideles, cum quibus ei bellum gerendum erit, quod etiàm vinci tanto ejus impetu, & insidiis non poterunt; quinimò ut notat Medina (in 3. p. D. Thom. q. 49. art. 2.) tàm parentes pro baptizandis parvulis: quàm hi, qui tùnc primùm sunt credituri, firmiores erunt ad credēdum, quod non credebant; & fortiores ad vincendum etiàm Diabolum tunc sic solutum. Ipsemet quoque Anti-Christus *Spiritu suo*, inquit Calmet. (in Dissert. de Anti-Christo art. 5. in fine) *& libertatis arbitrio omninò pollebit: neque eodem, nisi ubi sibi collibitum fuerit, abutetur. Satanæ conatus nullam perditionis filio vim inferent: qui tamèn à Deo perditissimæ suæ voluntati derelinquetur.* Ergò Diabolus, dùm erat

Digitized by Google

solutus antè Redemptoris adventum, & quùm solvetur ultimis temporibus ante novissimum Christi adventum, nunquam habuit, nec habebit potestatem physicam inferendi homini violentiam absolutam, & physicè cogendi ipsum ad malum; sed tantùm moralitèr, idèst, suadendo, alliciendo, suggerendo prava.

Porrò, si Diabolus aliquandiù cogere posset hominem coactione physica ad malum, tùnc homo peccaret; ut supponitur: & non peccaret, quià nemo peccat coactus, & penitùs invitus: & contrarium asserere, est exorbitare à fide.

CONCLUSIO II.

457. ALligatio Diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest ad seducendos homines, ut nèc eos cogat, aut vi trahat moralitèr in suam partem.

Assertio sequitur ex Conclusione primâ, & esse debet communissima apud omnes Catholicos.

CONSENTIUNT SS. SCRIPTURÆ.

LUCÆ 1. v. 68. & seqq.

Benedictus Dominus Deus Israel, quià visitavit, & fecit Redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui... Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. In sanctitate, & justitiâ coràm ipso, omnibus diebus nostris.

Premamus Zachariæ verba, quoniam dulciora super mel, & favum: *Benedictus Dominus Deus Israel.* Laudat Deum ob Verbum jàm incarnatum. *Quià visitavit, & fecit Redemptionem plebis suæ*; idèst, Deus per Messiam fecit inchoativè, seù facere incepit *Redemptionem plebis suæ*, nempè, liberationem totius Mundi à servitute Dæmonis, peccati, mortis, & gehennæ; sub quâ ab Adamo per quatuor annorum millia detentus fuit, & oppressus.

Et erexit cornu salutis nobis. Per catacherin, *Cornu* in Scriptura significat robur, victoriam, gloriam, & consequentèr regnum. Ex quo patet, *Cornu salutis* esse ipsum Jesum Salvatorem, qui salutem robustam, devictis Dæmonibus, attulit Israeli, totique Mundo.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos. Scilicèt, liberationem ab utrâque manu *Attrahente, & impellente* Satanæ, & Ministrorum ejus.

Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti. Quâ misericordiâ, sicutì Patribus nostris promisit Christum venturum, ità stetit

tit promissis, & jàm ipsum exhibuit eorum posteris, ac ipsos etiàm Patres liberabit è limbo, & secum ducet in Cœlum. Atquè ità totalitèr amputabit Diaboli *Manum Attrahentem*.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham Patrem nostrum, daturum se nobis: Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi. Explicat Zacharias, quod in illo jurejurando contineretur, nimirum, fore, ut hoc nobis concederetur, & largiretur beneficium, ut etiàm liberati ab alterâ Satanæ *manu Impellente, sinè timore serviamus Deo*.

458. *Manus enim bis repetita, utramque indicat manum*; ut advertit Pineda [in Job. cap. 31. v. 25.] & ità hostis veterator *manum* perdidit dexteram, seù *attrahentem*, & ligatam habuit sinistram, seù *Impellentem*.

In sanctitate, & justitiâ coràm ipso, omnibus diebus nostris; idèst, *ut serviamus Deo*, non fictè, & simulatè, velùt Hypochritæ coràm hominibus: non in justitiâ carnis, sicutì Pseudo-Mystici; sed serviamus Deo, coràm ipso, & in justitiâ Spiritus. *Venit hora*, ait Joan. [4. v. 23.] *Et nùnc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*. Et quidèm *Omnibus diebus nostris*. Nempè, tám grande beneficium fore perpetuum, ut sinè timore de utrâque manu Dæmonis liberati, omnibus diebus vitæ nostræ, serviamus illi, qui Dæmonem ligàvit, & nos liberos reddidit, ac securos ab ejus insidiis, violentiis, & coactionibus moralibus. Ità D. Bonav. ubi suprà. Maldonatus, Cornel. à Lapide, Tirinus, & alii Expositores hujus loci.

PSALM. 14. v. 4.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus.

Itá Diaboli vires fuere Christi passione debilitatæ, ac extenuatæ, ut tanquàm ad nihilum redactæ fuerint. Undè D. August. [in hunc locum] ait; *Ad nihilum deductus est &c. Ista perfectio est, ut nihil in hominem valeat malignus: & ut hoc sit in conspectu ejus; idèst, certissimè noverit malignum non esse, nisi cum animus á specie sui Creatoris æternâ, & incommutabili, ad creaturæ speciem avertitur*.

D. Bernard. [serm. 72. in Cant.] *Vires Diaboli erunt minimæ quidèm extremiùs nihilò, miseriùs tamèn: non naturâ debilitabitur, sed potentiâ subtrahetur: non peribit substantia, sed transibit hora, & potestas tenebrarum*.

PSALM. 21. v. 21. 22.

Erue à framcâ Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Salva me ex ore Leonis, & à cornibus Unicornium humilitatem meam.

Christus Dominus noster hæc petit, non solùm propheticè in personâ sui, sed etiám deprecativè orat Patrem in personâ membrorum; ut liberet Fideles suos de utrâque

Digitized by Google

que *manu Attrahente, & Impellente*. Molossi tartarei; ut advertit hìc Jacobus de Valentiâ. Et D. Augustinus [serm. 197. de Tempore] inquit: *Hoc totum fratres charissimi, quod tunc in David legimus figuratum, in Domino nostro Jesu Christo cognoscimus esse completum. Tùnc enim & Leonem, & Ursum strangulavit, quandò ad Inferna descendens omnes de eorum faucibus liberavit.* En amputata, & totaliter recisa Manus Attrahens Satanæ. *Denique* prosequitur S. Præceptor, *audi Prophætam ex personâ Domini supplicantem: Erue à framea animam meam, & de manu canis unicam meam. Libera me ex ore Leonis. Et quia Ursus in manu fortitudinem habet, & Leo in ore, in istis duobus bestiis Diabolus figuratus est. Hoc ergò ex personâ Christi dictum est, ut unica ejus Ecclesia de Manu* (supple Impellente) *idèst, de potestate, vel de ore Diaboli tolleretur.*

PSALM. 30. v. 9. & 10.

QUoniàm respexisti humilitatem meam salvasti de necessitatibus animam meam. Nèc conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.

Istud Scripturæ oraculum est luce meridiana clariùs, quo David nostram ostendit assertionem: nèc indiget expositione, nihilominùs audiamus Titelmannum [in hunc locum] *Tu Domine, benignè aspexisti humilitatem, & afflictionem, quâ me premebant Adversarii mei. (Salvasti de necessitatibus animam meam.) Salvam fecisti, misericordiâ motus animam meam de angustiis, & necessitatibus, quibus urgebant me Adversarii. (Nèc conclusisti me in manibus inimici.) Neque concludi me, aut constringi* (coactione morali) *passus es in manibus inimicorum: non me passus es victum, & captivum venire in potestatem* (moralem) *hostibus meis: neque permisisti tentari me suprà id, quod possem, ficque adeò coangustari* necessitate morali) *ut non possim effugere manus Tentatorum; sed fecisti cum tentatione proventum, ut possem sustinere, ut possem exitum habere, & effugere potestatem persequentium. (Statuisti in loco spatioso pedes meos.) Statuisti in loco admodùm lato, & amplo: eduxisti me in latitudinem extrà omnem anxietatem animi, & periculorum angustiam: eduxisti me in libertatem animi, & cordis latitudinem, ut securè possem currere dilatato corde viam mandatorum tuorum.* Sic laudatus Titelmannus describit Dæmonis alligationem, & nostram firmat Conclusionem.

JEREM. 10. v. 23.

QUomodò confractus est, & contritus malleus universæ terræ.

In hæc verba admirationis, prorupit Prophæta, prævidens jàm destructam Potestatem Diaboli, ejusque violentiæ, & coactiones morales penitùs fractæ à Christo, atquè destructæ. Ità explicat Origen. [homil. 3. in Jerem.] *Christus cen-*

Digitized by Google

confregit malleum in deserto, quùm tentatus Dæmonem prostravit: contrivit autèm penitùs in passione.

1. JOAN. 3. v. 8.

IN hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli.

Quæ fuerint opera Diaboli, quæ Salvator noster dissolvit, dùm ligavit manus illius Maligni, indicat D. Dionysius Carthus. [in hunc locum] *Ut dissolvat opera Diaboli, idèst, tentamenta Diaboli auferat, vitia tollat, & ab operibus tenebrarum homines revocet.*

NAHUM. 1. v. 15.

CElebra Juda festivitates tuas: redde vota tua: quià non adjiciet ultrà, ut pertranseat in te Belial: universus interiit.

Invitat Prophæta ad laudandum Dominum, quùm jàm á Christo fuerit ità fortitèr ligatus Diabolus, ut nèc quidèm pertransire possit in populum Dei ad inferendum ei illam coactionem moralem, quam priùs inferebat; nàm *universus interiit.*

Cornel. á Lapide. *Hìc Belial, puta Sennacherib hostis populi Dei, est Diabolus, inquit, S. Cyrillus, & Theophil. quem prostravit, & fugavit Christus.*

DEFENDUNT SS. PATRES.

DIvus August. [in Epist. 107. Vitali Carthaginensi] *ipse mediator intrat in domum fortis, idèst, in hoc sæculum mortalium sub potestate Diaboli; quantùm ad ipsum pertinet, constitutum. De ipso quippè scriptum est, quod potestatem habeat mortis. Intrat in domum fortis in suo dominatu habentis genus humanum: & priùs alligat eum, idèst, ejus coercet, & cohibet Potestatem Potestatis suæ fortioribus vinculis: & sic eripit vasa ejus quæcumque prædestinavit eripere, arbitrium eorum ab ejus potestate liberans, ut illo non impedi: nte, credant in ipsum libera Voluntate.*

Idem [20. de Civit. 8.] *Alligatio Diaboli, non solùm facta est, ex quo cœpit Ecclesia in nationes dilatari; sed etiàm nunc fit, & fiet usque ad terminum sæculi; quiá unicuique Fidelium iste fortis tunc alligatur, quandò ab illo tamquàm vas eripitur.*

Idem [in Psalm. 69.] *Videris, undè videris, quomodò Diabolus biformis est? Leo est in impetu, Draco in insidiis: Leo minatur? inimicus est: Draco insidiatur? inimicus est. Quomodò nos securi? Ecce: fiant omnes Christiani, numquid & Diabolus Christianus erit? Tentare ergò non cessat, insidiari non cessat: infrænatus est, atque illigatus in cordibus impiorum, ne sæviat in Ecclesiam, & tantùm faciat, quantùm vult.*

D. Thom. [in 3. Sent. dist. 19. q. 1. art. 2. in corpore] *Dicendum, quòd potestas Dæmonis in duobus con-*

Digitized by Google

conſiſtit, ſcilicèt, in impugnando, & detinendo devictos. Ex eo autèm, quòd quis impugnatur, nondùm ſervus factus eſt, ſed ex eo, quod victus eſt; ut patet 2. Petr. 2. Devicerat autèm Diabolus totum genus humanum in primis parentibus, & eis dominabatur, dùm eos ad hoc ſecundùm ſuum votum deduxerat, ut nullus paradiſi januam intreiſſet. Devincit etiàm unumquemque ſingulariter, dùm eum ad peccatum inclinat; quià, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Poteſtatem igitùr Diaboli, quâ victor detinet, Chriſtus per paſſionem ex toto amovit, quantum ad ſufficientiam, licet non quantum ad efficientiam; niſi in illis, qui vim paſſionis ſuſcipiunt per Fidem, Charitatem, & Sacramenta. Et per hoc dicitur dominium Diaboli evacuaſſe. Sed poteſtatem, quâ impugnat, non ex toto evacuavit, ſed debilitavit, dùm ipſum hoſtem vicit, & hominibus auxilia multa ad reſiſtendum tribuit: ſicut, Sacramenta, gratiam abundantiorem, & alia hujuſmodi.

D. Bernard. [ſerm. de quadruplici debito] *Non eſt, quod vobis, vel pro vobis timeam á viribus Satanæ, & Miniſtrorum ejus, quùm noverim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera tradictam, & deductam ad nihilum.*

D. Hieronymus [tom. 9. lib. 2. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 4. in verba illa: Nolite locum dare Diabolo] *Poteſtas Diaboli, non in temeritate illius, atque jactantiâ, ſed in tuâ eſt voluntate.*

D. Chryſoſt. [homil. 29. oper. imperfect.] *Fortem Diabolum noſtra negligentia facit, non illius potentia: ligatus eſt; malum quidèm conſilium ſuadere poteſt, cogere autèm non poteſt.*

S. Iſidor. Hiſpan. [lib. 3. de ſummo bono cap. 5. ſent. 12.] *In oculis carnalium Diabolus terribilis eſt: in electorum verò oculis terror ejus vilis eſt. Ab incredulis, ut Leo timetur: à fortioribus in fide, ut vermis contemnitur, atquè repellitur.*

D. Athanaſ. (in vita S. Antonii Abbatis) *Hamo Crucis Diabolus, ut Draco aduncatus à Domino eſt, & capiſtro ligatus, ut Jumentum, & quaſi mancipium fugitivum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omninò Fidelium devorare permittitur. Nùnc miſerabilis, ut Paſſer ad ludendum irretitus à Chriſto, calcaneo Chriſtianorum ſubſtratus gemit. Ille, qui univerſa maria á ſe delcta plaudebat: ille, qui Orbem terrarum manu ſuâ teneri pollicebatur: Ecce à nobis vincitur: ecce me adverſum ſe prohibere non poteſt diſputantem.*

ELUCENT RATIONES.

I. POſt Adæ peccatum, & antè Chriſti adventum, Diabolus, utpotè ſolutus, poterat ſeducere homines, in partem ſuam cogendo violentèr; non quidèm coactione phyſicâ, & violentiâ abſolutâ, ſed tantùm morali; repugnat enim libertati hominis coactio phyſica, ſeù violentia abſoluta; ut fides docet. Ergò ſi ſolutio Diaboli eſt, poſſe cogere moralitèr, conſequentèr ejuſdem alligatio eſt, non poſſe cogere moralitèr. Indè ii Diabolus, poſt Chriſti adventum

poſ-

Digitized by Google

posset adhùc cogere moralitèr, nondùm esset ligatus. Quod nefas est asserere, & errare in fide.

Huic argumento, meo videri, insolubili, Pseudo-Mystici respondent, Diabolum esse certò ligatum; sed ejus alligatio est, non permitti cogere physicè hominis voluntatem, & violentèr trahere in suam partem; juxtá sentẽtiam D. Augustsatìs notam: *Diabolus latrare potest, mordere autèm non potest, nisi volentem.* Cæterùm, hostis antiquus potestatem adhùc habet physicam, atquè moralem cogendi homines, & de facto ipsos cogit; salvâ tamèn hominis volũtate, & vim facit ad malũ.

459. Ejusmodi responsio, appensâ in staterâ Sanctæ Fidei, inventa est minus habens. Siquidèm hi Pseudo-Mystici vel non credunt, Voluntatem hominis non posse cogi, nèc á Diabolo, nèc ab Angelis bonis, nèc ab ipso Deo? proùt sancit Fides Orthodoxa, & docent SS. PP., ac omnes Theologi, cum D. August. (lib. 1. contrà duas Epistolas Pelàgian. cap. 18.) *Nèc ex Dei potentiâ, vèl in malum, vèl in bonum invitum aliquem cogi,* Vèl negant, Diabolum fuisse à Christo jàm ligatum, usquè ad finem Mundi (ut habetur Apocalyp. 20.) Vèl ignorant Diaboli potestatem physicam, & naturalem? Vèl adhùc non didicerunt, quid importet alligatio Dæmonis? Vèl nesciunt quid dicunt? Verùm enìm verò, nemo dicitur ligatus in eo, quod non potest solutus; sed dici debet impotens: Atqui Diabolus nunquàm, & nullo modo potuit, aùt aliquandò poterit cogere physicè, & effectivè hominis voluntatem: idque est Dogma catholicum. Prætereà, *Dæmones secundùm hoc ligati dicuntur, quòd impediuntur ab illis agendi, ad quæ eorum naturalis virtus se extendere posset. Solvi autèm, quùm permittuntur agere Divino judicio, quæ secundùm naturam possunt.* Ità cum D. Thom., August., & aliis PP. sana docet Theologia. Id eòque, quùm Dæmones non possint, nèc quidèm immutare hominis voluntatem; quo pacto eorum alligatio est, non permitti cogère physicè hominis voluntatem? Deniquè, si Alligatio Dæmonis intelligeretur in isto sensu, ejus solutio intelligi deberet, quatenùs Dæmon posset physicè cogere hominis voluntatem; nàm contrariorum eadem est ratio. At id non asserit, nisi Armenus, & Manichæus.

Qualificant responsione m. Non loqui de malo morali, & voluntario; sed malo entitativè, ac involuntario, dùm ajunt, Diabolum adhùc habere potestatem physicam, atquè moralem cogendi homines ad malum; seù ad actum, qui ex suo genere peccatum est.

Sed contrà 1. Diabolus, per passionem Jesu Christi Redemptoris nostri, perdidit totalitèr *Manum Attrahentem*, & fuit ligata altera ejus *Manus Impellens*; quomodò ergò adhùc impellit, imò & compellit ad malum?

Contrá 2. Diabolus cogendo physicè ad actum objectivè malum v.g. ad nefandum cogit etiàm moralitèr voluntatẽ ad consensum; ut infrà ostendemus. Atquì est ligatus nè cogat moralitèr voluntatem; ex probatis, & jàm jàm probandis. Ergò est utiquè ligatus nè cogat ad actum ex suo genere malum.

Contrà 3. etiàm ultrò concesso (quod permulti, tùm intèr antiquiores, tùm intèr recensiores for-

Digitized by Google

titèr impugnant) quòd Diabolus adhùc habeat potestatem physicam ad cogendum ad turpia nostri corporis membra; quomodò defendi potest, quòd habeat utiquè potestatem moralem permissivam? Imò nèc probari potest, quòd aliquandiù, etiàm dùm erat solutus, habuerit hujusmodi potestatem moralem permissivam; quinimò, ex hucusque dictis in omnibus Sectionibus præcedentibus, constat, nunquàm habuisse: & ex dicendis infrà patebit, nèc habere potuisse.

Contrà 4. Adhùc dato, (quod nunquàm erit concedendum) quòd Diabolus antè Christi adventum, & dùm erat solutus, habuisset utramque potestatem, physicam, atque moralem permissivam trahendi violentèr in suam partem, & cogendi effectivè ad prava; quis rationabilitèr, & catholicè opinari potest, adhùc in Maligno, post Salvatoris passionem, manere solutam duplicem illam potestatem? Si Diabolus non fuit ligatus quoàd hanc potestatem, in quo igitùr fuit ligatus? Nèc majorem potestatem physicam & moralem: nèc medium efficacius ad seducendos homines, potuit unquàm habere Diabolus, quàm ipsos cogere violentèr, physicè, & efficacitèr ad actus externos objectivè malos. Ergò in hoc fuit ligatus.

Profectò, si adhùc sumus in *Manu Impellente* Satanæ, imò & in ipsius *Manu Compellente*; ut insaniunt Pseudo-Mystici; certè fuit irrisoria Alligatio Dæmonis; vanum somnium etiam fuit Canticum Zachariæ, & nos inani lætitiâ quotidiè cum illo modulamur: *Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit Redemptionem plebis suæ..... Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.... Ut sinè timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi: in sanctitate, & justitiâ coram ipso, omnibus diebus nostris.* At de hâc re fusiùs in Sect. 4. hujus Dissertationis, tanquam in proprio loco. Prosequamur rationes nostræ positionis.

460. II. Adversarius noster Diabolus in impugnatione, seù tentatione, assimilatur Cani. Ità ex Sacrâ Scripturâ [Psalm. 21. v. 21.] Patribus, Theologis, & Mysticis omnibus. Itàque perpendamus, quid possit Canis solutus, quidque ligatus? Porrò solutus & latrat, & irruit in Viatorem, & facilè mordet; ni cautus incedat: tàmque rabidus, fortis, & atrox esse potest, ut magnâ cum difficultate ab illius morsibus peregrinus se tueri queat. Videamus Molossum alligatum: sæpissimè latrat, quandòque tacet, nonnumquàm dormit. Dum Cerberus sic vinctus manet, quid nocumenti affert, aut afferre potest Viatori? Nihil, omninò nihil; si hic pertransit, tamquàm surdus non audiens: si non provocat ad furorem: si non accedit securitate mortiferâ: si non facit suscitare Canem, qui dormit. Non modo absimili discurrere debemus de Cano Tartareo: Dùm enìm homines, post peccatum, vagi erant, & profugi à Domino; nonnisi magnâ cum difficultate evadere potuissent ab unguibus bestiæ infernalis; quâ de causâ dicebantur coacti moralitèr ad perferendos illius morsus. At postquàm Salvator noster Clementissimus Diabolum vicit, & vinxit, *jam non sumus hospites, & Advenæ, sed cives Sanctorum, & domestici Dei. Quoniàm per ipsum* [Salvatorem] *habemus*

ac-

Digitized by Google

accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. [ad Ephes. 2. v. 18. & 19.] & ut nobiscum gratulatur idem Apostolus [ad Galat. 5. v. 13.] *Vos in libertatem vocati estis fratres*. Sicque imperterriti, tuti, ac securi à minis, & faucibus Diaboli, lætantèr canere possumus: *Liberasti me, Domine, secundùm multitudinem misericordiæ Nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam: de manu quærentium animam meam* [Eccli. 51. v. 4.]

461. Quinimò tempus venit tamdiù expectatum, quo impletum est Davidis vaticinium [Psalm. 103. v. 26.] *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei*. Jám enìm omnis muliercula, parvulus quilibet deridere potest Cerberum Averni servilibus innixum catenis; proùt prædixit Isaias [11. v. 8.] *Et delectabitur infans ab ubere super foramine Aspidis: & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet*. Perbellè S. Athanas. [Orat. de Pass. & Cruce Domini] *Jesus, quùm illusisset morti, nobis eam conculcandam tradidit. Olìm adversarius noster Diabolus, ut Leo circuibat sitiens nostram animam, nùnc autèm cum Dracone conculcatur. Brevi; Dominus conteret Satan sub pedibus nostris: ac jàm tantoperè despectui, ac ludìbrio est, ut, qui in cavernam Aspidum mittet manum, non reformidet*.

CONCLUSIO III.

462. Diabolus est etiàm alligatus, ut non posset fraudolentèr fallere homines; quìn facillimè dignoscatur fraus ipsius.

Positio est D. Augustini, [ubi suprà] & omnium Theologorum.

SPLENDET EX SCRIPTURA.

JOB. 41. v. 23.

Post eum lucebit semita. Hunc locum pandens Pineda ait: *Diabolus post se lucidam semitam, ìdest, non obscura sui vestigia relinquit. Nunquàm enìm ità ad tentandum accedit, vel ex tentatione recedit, quin deprehendi possit*.

Idipsum firmat Labata [Apparat. Concionat. verb. Tentatio propos. XI.] *Se hostis, quùm Diabolus tenebrarum sit, in lucis Angelum transfigurat; sed Divinâ sic ordinante providentiâ, qui prudentèr ejus actiones animadvertit, tentationes esse deprehendit. Sempèr enìm vestigium aliquod fraudis hostilis, hìnc indè deducet. Undè sic de Leviathan, seù Cete magno Deus ipse: Post eum lucebit semita... Per hunc Leviathan Sacri Expositores Dæmonem interprètantur, qui per hujus Mundi pelagus nos tentando incedit, post se lucidam semitam, hoc est, non obscura sui vestigia relinquit. Nunquàm enìm sic fraudem suam tegit, quin deprehendi aliquá viá possit.... Qui rationem suæ salutis habet, facilè fallaciam hujus Angeli lucis, & rationis status deprehendet; nàm Cete hoc magnum semitam lucis post se gerit. Quod qui oculos ad videndum habet, facilè videbit*.

EX SS. PATRIBUS.

DIvus Auguſt. [de Geneſ. ad lit. lib. 11.] *Nèc ſanè debemus opinari, quod Serpentem ſibi, per quem tentaret, perſuaderétque peccatum, Diabolus eligeret; ſed quùm eſſet in illo propter perverſam, & invidam voluntatem decipiendi cupiditas; nonniſi per illud animal potuit, per quod poſſe permiſſus eſt. Nocendi enim voluntas poteſt eſſe à ſuo quoque animo prava: Non eſt autèm poteſtas, niſi à Deo: & hoc abditâ, altâque juſtitiâ; quoniàm non eſt iniquitas apud Deum..... Tentandi voluntatem habet Diabolus; in poteſtate autèm, nèc ut faciat habet, nèc quemodò faciat. Quià permiſſus eſt ergò tentavit, & quomodò permiſſus eſt, ità tentavit. Cui autèm generi hominum prodeſſet, nequè ſciebat, nequè volebat: & eò ipſò illudebatur ab Angelis.*

Titelmann. [in Pſalm. 123.] *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Sit proindè laudatus Dominus Deus liberationis noſtræ auctor, qui non permiſit nos venire in prædam: qui non eſt paſſus capi nos ab Adverſariis noſtris, eoſque nobis prævalere malitiosè, & invidè potentiâ ſuâ, quâ nos cupiebat diſcerpere, dilacerare, & ad mortem uſquè nos perdere [Anima noſtra, ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium] Quemadmodùm paſſer, aut avis quælibet, quæ rete effugit aucupis, evolat libera; ità nos de laqueis, & inſidiis Dæmonum: qui ad modum venatorum, longè, & maximè labore ad mortem perſecuti ſunt animas noſtras; Dei gratiâ liberi evaſimus, ſalvi futuri (quemadmodùm in ſpe filiorum Dei confidimus) in vitam æternam [laqueus contritus eſt] laqueus mortis, in quo per peccata tenebamur impliciti, per Chriſtum Dominum contritus, atque confractus eſt: ſuntque peccatorum vincula per eumdem diſrupta [& nos liberati ſumus] Et nos quicumque in Chriſtum Salvatorem credimus, ſalvati, & liberati ſumus de nexibus mortis, à morte translati ad vitam. Et quùm nobis frequentèr inſidias ponunt, ac laqueos tendunt Tentatores maligni, conterit Deus laqueos illos, noſque liberat, ut non illaqueemur, nequè implicemur in eis; dùm per gratiam ſuam (N. B.) illos nobis latentes demonſtrat: ſicque ſuo ductu pedes noſtros dirigit, ut non involvamur in eis.*

RATIONE, AC EXPERIENTIA.

463. I. ANte Salvatoris noſtri adventum, nunquàm permiſſum fuit Dæmoni ſic latentèr fallere homines, ut deprehendere aliquo modo nequirent illius fraudem. Ergò poſt Chriſti mortem, quâ fuit ligata Satanæ poteſtas, faciliùs dignoſcere poſſumus fraudem hoſtis antiqui. Ant. patet ex tentatione Evæ, de quâ Magiſter Sententiarum [in 2. diſtinct. 21.] ait: *Nè nimis occulta foret fraus illius, quæ caveri non poſſet, & homo ſimùl videretur injuriam pati, ſi talitèr circumveniri permitteret eum Deus, ut præcavere non poſſet: in alienâ quidèm forma permiſſus eſt venire Diabolus; ſed in tali, in quâ ejus me-*

Digitized by Google

malitia facilè posset deprehendi .... Nonnisi ergò per Serpentem tentare permissus fuit Diabolus, ut per illud, quod fortis erat, astutiam Tentantis animadvertere fœmina quiret. Consequentia sequitur à fortiori; quià si antè Christi adventum non fuit permissum Dæmoni sic occultare in tentando astutiam, & insidias, quin hæ facilè dignosci possint à tentatis, multò magis post Salvatoris adventum deprehendi potest Dæmonis actus, & fallacia.

II. Certum est ex fide, Diabolum fuisse alligatum à Christo Domino nostro; Atquì intelligi nequit, in quo consistat hujusmodi alligatio, nisi in sensu à nobis explicato in conclusione. Ergò. Minor patet. Nàm ex Divo Augustino totiès supracitato, & nunquàm satìs laudato [lib. vigesim. de Civit. capite octavo] *Si alligari est, non posse seducere, sivè non permitti: quid erit solvi, nisi posse seducere, sivè permitti?* Sed alligationem poterat Diabolus, sivè permittebatur seducere dolo, & fraude; ut ibidem docet S. Præceptor; Ergò post alligationem non potest, sivè non permittitur, seducere dolo, & fraude; idèst, *per verba, & facta decepteria*; ut explicat D. Antoninus [part. 2. tit. 1. cap. 17. §. 2.]

Confirmatur ex eodem Magno Antistite Hipponensi [de Agone Christi cap. 1. in medio] *Diabolus, quiâ naturam nostram deceperat, dignatus est Unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere; ut de ipsâ Diabolus vinceretur: & quem semper ipse sub se habet, etiàm sub nobis eum esse faceret.* Cui adhæret D. Damascenus [lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 12.] *Verbi Dei incarnatio ob eam causam extitit, ut ex ipsâ naturâ, quæ peccatum admiserat, & ceciderat, & corrupta erat, tyrannum, à quo in fraudem impulsa, fuerat, vinceret, sicque à corruptione vindicaretur.*

464. III. Experientia constat, Dæmonem nunquàm assumere simulachrum corporis humani quoàd omnes partes illi simile; sed saltèm ex pedibus discerni posse, qui sempèr apparent. Sub figura alteriùs animalis; ut observat Petrus Binsfeldus [in tract. de Confessionibus maleficorum prælud. 12.] Alexandr. ab Alex. lib. 4. Genial. cap. 19.] Cælius Rhodiginus [lib. 16. lect. antiquarum.] & ipsæmet testantur Maleficæ, & nos prænotavimus Sect. præced. & quidèm meritò; nàm Divinum Verbum incarnatum, vèl non patitur humanam naturam, tàm sublimatum istud à Dæmone ferre dedecus: vèl si permittit Diabolum assumere humanum schema (quòd rarò accidit) non tamèn sinit illud assumere quoàd omnes partes ei simile. Rationem alteram subdit Suarez [de Angelis lib. 4. cap. 35. n. 5.] *Quià non datur Dæmoni tanta licentia, præsertìm in Ecclesiâ Christi, ad homines decipiendos.* Indè Doctor Emeritus [ibid. cap. 34. n. 7.] concludit: *Verisimile est, ab Angelis Sanctis materia corporum, quæ ab ipsis assumuntur, ex purioribus sumi corporibus, quæ in superiori parte aeris inveniuntur; à Dæmonibus verò ex locis terrestribus, humidioribus, & fortasse immundis, ac cænosis; quià in pœnam suæ malitiæ, & pravæ intentionis, aliud eis non permittitur.* Cui addimus & nos, ex D. Augustino [ubi suprà] *nè dolo, aut fraude fallant incautos*: in hoc enìm consistit Dæmonum alligatio.

AD-

ADVERSIS SATIS.

I. JOb. [41. v. 24.] *Non eſt ſuper terram poteſtas, quæ compâretur ei* (Satanæ) *qui factus eſt, ut nullum timeret.* Homo autèm eſt naturâ fragilis, & per peccatum factus eſt fragilior. Ergò cogi poteſt à Dæmone ad patranda mala.

Confirmatur ex D. Ambroſ. [ad Epheſ. 6.] *Peccata hominum à Diabolo miniſtrari, cujus altitudo grandis, & hominibus impoſſibilis eſt.* Et D. Bernard. [ſerm. 5. in Quadrag.] inquit: *Magnum diſcrimen eſt adversùs Diabolicæ fraudis aſtutias: tàm crebros, imò continuòs habere conflictus: quem nèc videre quidèm poſſumus, & quem nimis aſtutum fecerit, tàm naturæ ſubtilis, quàm longa exercitatio malitiæ ejus.* Quo igitùr modo tàm præpotenti reſiſtere poteſt homo, nè ab illo cogatur ad malum?

Reſpondetur. Verum eſſe, potentiam naturalem Dæmonis, ſeù, poteſtatem phyſicam ipſius, ſuperare naturalem potentiam hominis, eò magis poſtquàm hæc fuit à peccato ſauciata. At falſum eſt, loquendo de ejus poteſtate morali permiſſivâ; *Dæmonis enìm poteſtas* (ut loquitur) D. Auguſt. [ubi ſuprà] *eſt poteſtas ſub poteſtate*, nempè, Dei, qui ſuâ ineffabili providentiâ, ac bonitate temperavit Dæmonis potentiam, & efficaciam: tùm quià *Angelis ſuis mandavit, ut cuſtodiant nos in omnibus viis noſtris.* [Pſalm. 90. v. 11.] Tùm quià *ſcuto circumdabit nos veritas*, ſeù gratia Dei. [ibid. v. 5.] Tùm quià *Chriſtus Crucis patibulum ſubire voluit, ut inimici à nobis expelleret poteſtatem*; ut læta canit Eccleſia. Et habetur [1. Joan. 3. v. 8.] *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*: Homo igitùr potentior eſt Dæmone, ſi velit uti Divinis auxiliis: ſi non provocat Cerberum abyſſi innexum catenis: ſi ad eum non accedit ſecuritate mortiferâ. Undè Lactantius [lib. 2. Inſtit. cap. 15.] ſcribit: *Dæmones nocent quidèm, ſed iis, à quibus timentur, quos manus Dei excelſa non protegit, qui profani ſunt à Sacramento veritatis. Juſtos autèm, idèſt, Cultores Dei metuunt. Cui ergò nocere poſſunt, niſi his, quos habent in ſuâ poteſtate?* Præclarè Beda [lib. 3. in Luc. cap. 8.] *Niſi quis porci more vixerit, nunquàm accipiet in eum Diabolus poteſtatem: aùt ad probandum tantùm, non autèm ad perdendum accipiet.*

Quod ergò S. Ambroſius dixit: *potentiam Dæmonis eſſe impoſſibilem*; idèſt, eſſe impoſſibile homini reſiſtere potentiæ Dæmonis; eſt quidèm veriſſimum, ſi permitteretur Dæmoni totâ ſuâ uti potentiâ contrà hominem, & ſinatur homo Dei auxilio deſtitutus, ſolis ſuis viribus congredi cum illo. At ſub Divinâ providentiâ, & ſummâ ejuſdem bonitate temperante Dæmonis efficaciam, & adjutorium ſuum, cum Angelorum cuſtodiâ homini offerente, non ſolùm poſſibilis, ſed facilis eſt victoria; hìnc S. Doctor [ubi ſuprà] adjecit: *Ideò monet Apoſtolus contrà illum arma Dei ſumere: cujus ſolius virtute ſuperantur, & deſtruuntur omnia machinamenta Diaboli.* Similitèr D. Bernard. [in loco ibid. citato] addit: *Non obſtante impugnatione Dæmonis, in nobis eſſe illum vincere; quià non poteſt*

nos

Digitized by Google

nos invitos dejicere.

II. 1. Petri 5. v. 8. dicitur: *Adversarius vester Diabolus, tamquàm Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Ergò si circuit, & quærit prædam, non est ligatus.

465. R. Imò, quià Diabolus circuit, ideò clarè patet, quòd sit ligatus. Circuit quidèm, sed circà ipatium illud, in quod catena durissima circuire permittit. Planè, si Diabolus foret solutus, non circuiret, sed progrederetur ulteriùs, & ad votum. *Circuit, tamquàm Leo rugiens*; sed vèl solus circuit rabidus: vèl cum Pseudo-Mysticis; etenìm *in circuitu impii ambulant* [Psalm. 11. v. 9.] Audiamus D. Bernard. [in Psalm. 90. v. 13.] *Si meministis, hesterno sermone vitas Dæmonum præsumptionem diximus, & obstinationem. Possumus tamèn, si necessarium judicatis, vias eorum viâ adhùc aliâ investigare. Nam, si omnibus modis eas occultare laborant, multipliciter eas prodit Spiritus Sanctus, multipliciter in Scripturis Sanctis declarat semitas iniquorum. Legimus siquidèm de eis omnibus, quoniàm in circuitu impii ambulant. Psalm. 11. Legimus de eorum Principe, quoniam circuit quærens, quem devoret. 1. Petr. 5. Quod & ipse fateri cogitur in præsentiâ Majestatis: Circuivi, ait Job. 1. terram, & perambulavi eam. Dicimus itaquè vias ejus Circuitionem, et Circumventionem. Qui enìm in circuitu ambulat, proficiscitur quidèm, sed proficit nil. Væ homini, qui sequitur hunc Circuitum.*

III. Psalm. 77. v. 49. David ait: *Misit in eos iram indignationis suæ; indignationem, & iram, & tribulationem; immissiones per Angelos malos.* Ubi Glossa subdit: *Malis hominibus potest Diabolus, ut in suo pecore.*

Apocalyps. 12. v. 13. *Postquàm vidit Draco, quòd projectus esset in terram, persecutus est mulierem.* Ergò adhùc non est ligata potestas Diaboli.

465. Respondet Alensis [in summ. part. 2. q. 10. memb. 1. art. 2.] Has, & similes auctoritates, tùm de alligatione, tùm de solutione Diaboli, intelligi debere in sensu D. Augustin. [lib. 20. de Civit. cap. 8.] *Non dicitur*, ait, *à S. Præceptore Alligatio potestatis Diabolicæ, quià non possit tentare; sed quià non potest tentare in effectu, quantum vult:* Sempèr igitùr Diabolus erit ligatus usquè ad finem Mundi; quià nunquàm permittitur exercere totam tentationem, quam naturalitèr posset. Dicitur autèm interdùm ex parte solutus, quatenùs permittitur exercere aliquam tentationem, majorem, vel minorem, tantam, vel quantam, ubi, quamdiù, & quomodò Deo placuerit; secundùm ordinatissimam suam Providentiam: Sempèr tamèn tentatio, quæcumque illa erit, non æquabitur potentiæ naturali, seù potestati physicæ ipsius Dæmonis; alioquìn foret solutus; sed erit sempèr minor virtute naturali Dæmonis. Sempèr etiàm tentatio, quæcumque erit, minor erit potestate hominis adjuti Divino auxilio. Nam, Deus non dat Dæmonibus potestatem moralèm permissivam tentandi homines supràvires hominum; juxtà fidelem promissionem hominibus factam, quam refert Apostolus [1. Corinth. 10. v. 13.] *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autèm Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis.*

467.

467. Prætereà advertit idem Doctor Irrefragabilis [ibid. q.100. memb.1.art.2.] quòd poteſtas Diaboli dupliciter dici poteſt ligata: Vèl ex parte gratiæ Dei per Chriſtum mediatorem: Vèl ex parte hominum, qui tentantur. Quantum eſt ex parte gratiæ Dei, poteſtas Diaboli eſt magis ligata poſt adventum Chriſti, quàm priùs. Quantum verò ex parte eorum, qui tentantur, in quibuſdam eſt magis ligata: in quibuſdam verò eſt ampliùs ſoluta. Porrò ſunt, etiàm inter Catholicos, qui magnam tribuunt Diabolo poteſtatem: ſunt qui maximam: ſunt qui omnimodam præbent Satanæ poteſtatem ſupèr animas proprias: ſunt quoque alii, qui tale ſuprà ſeipſos concedunt Maligno dominium, quale fortè nèc Gentiles, antè Salvatoris adventum, ſuis conceſſere Diis, ſeù veriùs, Dæmonibus. De his loquitur D. Bernard. [ſerm.4. de Reſurr.] ubi ait: *Sunt, quibus nondùm eſt paſſus Chriſtus*; idèſt (ut idem ſuum explicat effatum) *Quùm Chriſtus pro omnibus paſſus fuerit, & moriendo deſtruxerit potentiam inimici, adhùc ſunt, qui ſe mancipant Diabolo, tamquàm ſi Chriſtus pro ipſis nondùm paſſus fuerit?*

Ad Gloſs. reſpondet D. Antonius de Padua [ſerm. Dominicæ VI. poſt Paſcha] *Dæmones, hominis, quem captivum dicunt, cervici onera gravia imponunt: & tamquàm Bovem, vèl Aſinum ad collum ligatum minando trahunt, & laſſo nullam requiem dant, dùm de peccato in peccatum præcipitant.* Siquidèm Gloſſa clarè loquitur de malis hominibus; ideòque non extendi debet ad bonos.

Ad textum Apocalypſis reſpondet Lyranus: *Perſecutus eſt mulierem, idèſt, Animam. Quià nititur parientes bonum conceptum, quantum poteſt, perturbare.* Et ſanè, *quantum poteſt* poteſtate phyſicâ, & morali permiſſivâ; ſed quià Diabolus cogere non poteſt; ideò contrà ejus voluntatem, mulier illa *peperit maſculum*; ut proſequitur textus allatus: idèſt, peperit Virum, nempè, robuſtum, ac perfectum conceptum.

IV. D. Gregorius [ſupèr Ezechielem] ait: *Antiquus Adverſarius, qui de Cœlo lapſus eſt, invidet, & inſidiari ampliùs incipit: acriores, quàm conſueverat, tentationes admovet; ut plerùmque ſic reſiſtentem animum tentet, ſicùt antè nunquàm tentaverat, quod poſſidebat.*

468. Et. Mentem D. Gregor. nemo poterit meliùs explicare, quàm ipſemet S. Doctor, qui [lib.8. Moral. cap. 3.] ait: *Diabolus ex ſe tentare quoslibet injuſtè appetit; ſed eos, qui tentandi ſunt, prodit tentondi ſunt nonniſi tentari. Deus juſtè permittit.* Quibus verbis Magnus Gregorius confirmat alligationem Diaboli. Quòd autèm antiquus adverſarius, poſt lapſum è Cœlo adhùc tentet, quis audebit negare? quùm enìm dicimus, Diabolum ligatum, non dicimus exterminatum; nàm totalis ejus exterminatio in judicio erit extremo. Quòd deindè magis tentet reſistentem animum, quàm quùm poſſidebat, ſeù quùm non reſiſtebat tentationi & ſuccumbebat Diabolo, eſt veriſſimum: & rationem aſſignat idem S. Doctor [lib.23. Moral. cap.17.] *Diabolus eos pulſare negligit, quos quieto jure poſſidere ſe ſentit.* Idque etiàm docuit D. Antoninus

[part.

Digitized by Google

[part.3. tit.16. cap.10.§.3.] *Ignorant Laici in sæculo quid sit tentatio; quià ità sunt occupati vitiis, & presii occupationibus Mundi, quòd non expectant tentationes, sed eas præveniunt, & Dæmones provocant ad tentandum eos.*

V. Quotidiè experimur varias Diaboli tentationes, sæpissimè vehementes, & interdùm urgentissimas. Quomodò igitùr est alligatus Diabolus?

Respondet D. August. [serm. 197.de tempore] *Si alligatus Diabolus est, quarè tantùm adhùc prævalet? Sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est, tamquàm innexus catenis Canis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui mortiferâ securitate se illi conjunxerit. Jám videte, fratres quià stultus est homo ille, quem Canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates, & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere: latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enìm cogendo, sed suadendo nocet: nèc extorquet à nobis consensum, sed petit.*

VI. Si alligatio Diaboli est non permitti cogere hominem, nèc quidèm moralitèr, ad malum. Ergò nulla erit tentatio violenta. Atquì plurimi Sancti, intèr quos Patriarchæ Franciscus, & Benedictus, passi fuere tentationem violentam, ità quòd eis necesse fuerit, nùnc sese volvere inter spinas, nùnc inter nives, ad extinguendam libidinis vim, & furorem. Ergò si adhùc Diabolus tentat violentèr, nondùm est alligatus, nè moralitèr cogat.

469. R. Distinguo sequelam: nulla erit tentatio violenta, in sensu Pseudo-Mysticorum, concedo; imò nunquàm talis fuit, adhùc dùm Satanas erat solutus: in sensu catholico, & nostræ conclusionis, nego. Non inficimur, tentationes illorum SS. fuisse quidèm violentas; negamus tamèn fuisse absolutè violentas, vèl moralitèr cogentes. Et sanè, quis unquàm Sanctorum graviorem, & violentiorem passus est tentationem quám Sanctus Job? qui à Deo traditus fuit in manu Satanæ, qui cupiebat perdere Virum illum; Nonnè Malignus omnem adhibuit conatum, ut cogeret Job ad iram, ad desperationem, ad blasphemias? Ità planè. At reipsâ omnis nisus Satanæ non fuit sufficiens ad cogendum moralitèr Patientissimum. Rationem affert D. Gregor. [in Job. 2. v. 6.] *Eccè iterùm permissionem verberis comitatur custodia protectionis, & electum suum Divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit: aliâ illius prodit, aliâ protegit. Si enìm totum Job desereret in manu tanti Adversarii, homo quid esset? In ipsâ ergò justitiâ permissionis permiscetur quædam libra pietatis: quatenùs in uno, eodemque certamine, & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itàque adversarii Sanctus Vir traditur; sed tamèn in intimis Adjutoris sui manu retinetur. De illis quippè ovibus fuit, de quibus in Evangelio* [Joann. 10.] *ipsa Veritas dicit: Non rapiet eas quisquam de manu mea, & tamèn expetenti hosti dicitur:* [*Ecce in manu tuâ est*] *Idem ergò in manu Dei, idem in manu est Diaboli. Nàm dicens:* [*in manu tuâ est*] *quùm protinùs adjungit* [*Verumtamèn animam illius serva*] *patenter pius Adjutor*

Digitized by Google

innotuit, quià tenuit, quem conceſſit: & dando, non dedit, quem adverſarit ſui jaculis ejiciens abſcondit. Quid eſt autèm hoc, quod ad Satan dicitur: [*Animam illius ſerva?*] *Quô cnìm pactô ille cuſtodit, qui cuſtodita ſempèr irrumpere appetit?* (N. B. reſolutionem) *ſed ſervare Satan dicitur, irrumpere non audere.*

Verùm enimverò, nonnè Satan irrupit in bona, & corpus Job? & quidèm fortitèr, & inceſſantèr. Nonnè cupiebat etiàm irrumpere in ejus animam? imò ad hunc finem irrupit in corpus ejuſdem. Nonnè in ejus animam irrumpere non poterat? poterat quidem poteſtate phyſicâ, & naturali irrumpere, & cogere moralitèr; id autèm Deus non permiſit, dum ait illi: *Animam illius ſerva.* Voluntatem iniquam habuit Satan, & poteſtatem phyſicam cogendi moralitèr (non enìm alio modo cogere poteſt, ut fides docet) ſed Deus illi denegavit hanc Poteſtatem moralem permiſſivam, ſinè quâ Diabolus irrumpere nequivit in animam Job.

Indè idem Magnus Gregor. [lib. 9. Moral. cap. 46. aliàs 24.] concludit: *Pius Conditor cum viribus flagella moderatur; nè virtutem pœnâ tranſeat, & per aſtutiam, fortium humana infirmitas excidat. Undè & benè per Paulum dicitur: fidelis autèm Deus, qui non patietur vos tentari: ſuprà quam poteſtis; ſed faciet cum tentatione etiam proventum, ut poſſitis ſuſtinere. Niſi enim miſericors Deus cum viribus tentamenta modificet, nullus profectò eſt, qui malignorum ſpirituum inſidias non corruens portet: quià ſi menſuram Judex tentationibus non præbet, eô ipſô protinùs ſtantem dejicit, cui ultra vires onera imponit.*

VII. Intelligi nequit, quô pactô ſit alligata Diaboli poteſtas ad fraudolentèr fallendum, dum veriſſimum ſit, ipſum ſæpè ſe transfigurare in Angelum lucis. Quomodò igitùr cavere poſſumus hujuſmodi fraudem?

470. Reſpondet Gerſon [in Alphab. 18. lit. D.] & cum eo Alenſis [3. part. ſumm. q. 16. art. 4.] hanc movendo quæſtionem: *An Dæmon transformatus in Angelum lucis adorari poſſit ab ignorante, ſinè peccato?* Rſ. negativè. 1. Quià quilibet eſt ſatìs præmonitus per Sacram Scripturam, quòd Angelus tenebrarum transfigurat ſe in Angelum lucis; ideòque tenetur ſuſpendere judicium, & benè diſcutere. 2. Quià habet remedium Orationis, implorando Divinum auxilium, ut agnoſcat veritatem: & certus eſt, quòd Deus non permittet eum decipi; juxtà illud Joan. [15.] *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: idèſt, *quidquid petieritis pertinens ad ſalutem*; ut exponit D. Auguſt. *Dabit vobis*. Undè in caſu, adorans Diabolum ſub mentitâ facie, non excuſatur à peccato; quià omnem non adhibet diligentiam, quam debet. Ità Doctor Irrefragabilis, quem ſequuntur Bartholomæus Sybillæ [in ſpecul. peregrin. quæſtionum. Decad. 3. cap. 2. q. 5.] Meus Fraciſcus Maria Philomarinus [de Divin. revelationibus tract. 1. cap. 2. n. 13.] & alii paſsìm.

Inſtabis. In tentatione Evæ non fuit permiſſum Diabolo, ut ſe transformaret in Angelum lucis, & id permittitur ei poſt Chriſti adventum. Ergò poteſtas Diaboli eſt magis ſoluta nùnc, quàm priùs.

Reſ-

Digitized by Google

Respondet D. Thom. [in 2. sent. dist. 21. q. 2. art. 1. ad 4.] negando consequentiam. *Quamvis homo*, ait Doctor Angelicus: *in primo statu esset fortior; tamen post peccatum factus est cautior, per experientiam mali: undè fraudibus hostis, quas quotidiè experitur, melius resistere novit.* Et hæc est causa, cùr Deus permittat nunc, quod priùs non permisit, idèst, Diabolum assumere speciem Angeli boni.

Concludamus igitùr cum S. Cypriano [lib. 7. Epist. 4. aliàs 77. vèl potiùs 78.] *Diaboli nequitiam pertinacem usquè ad aquam salutarem valere, in baptismo autèm omnes nequitiæ suæ vires amittere.... Cum ad aquam salutarem, atque ad baptismi sanctificationem pervenitur, scire debemus, & fidere, quid illic Diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus Divinâ Indulgentiâ liberatur.*

REFLEXIO.

EStò Diabolus sit fortitèr ligatus, velutì Canis palo: nèc possit nocere, nisi quantùm se extendit catena, seù Voluntas Divina permissiva; adhùc tamèn suâ obstinatâ voluntate, & perversâ malitiâ circuit quærens quem devoret: vèl seducendo per seipsum homines, ut securitate mortiferâ accedant ad eum: vèl eosdem homines decipiendo per amicos suos Pseudo-Mysticos, & hi facient, quod ipsemet Diabolus facere nequit. Uterque decipiendi modus est valdè subtilis, seù veriùs, nimìs astutus, quo etiàm perfectionis studiosi quandòque illuduntur; vèl à Satanâ, aut ab ejus filiis. Utramque detegit D. Bonaventura his verbis.

471. „ Quidam deceptis à se-
„ ductoriis spiritibus, vèl propriis
„ falsis opinionibus, putant sibi ap-
„ parere in visione, vèl ipsum Chri-
„ stum, vèl ejus Gloriòsissimam
„ Genitricem: & non solùm am-
„ plexibus, & osculis, sed & aliis
„ indecentioribus gestibus ab eis
„ demulciri: ut sicùt spiritus ipso-
„ rum interiùs, ità & earo exteriùs
„ sibi congruo oblectationis sensu
„ sensibilitèr demulciatur, & car-
„ nalitèr consoletur. Quod non
„ solùm est falsum, sed etiàm blas-
„ phemia gravis esse liquidò com-
„ probatur: Spiritus Sancti visita-
„ tio, sicùt contrà omnia vitia re-
„ primenda, & detestanda infun-
„ ditur, ità etiàm singularitèr con-
„ trà carnales illecebras opponitur.
„ Et ubi Spiritus munditiæ suo ju-
„ bare resplenduerit, continuò
„ òmnes pravæ voluptatis motus
„ evanescere, & velùt tenebras
„ superveniente lumine disparere
„ necesse est. Hic est primus mo-
dus decipiendi, quem advertit Doctor Seraphicus [de Profectu Religios. lib. 2. cap. 25.]

Secundum modum describit idem Sanctus [ibid. cap. 5.] ut sequitur. „ Tentationes autèm frau-
„ dolentæ, quæ sub specie boni se
„ palliant, licèt quosque rudes, &
„ stultos decipiant, qui nondùm
„ cognoverunt altitudinem Sata-
„ næ, idèst, astutias ejus; tamèn
„ singularitèr perfectis, & benè
„ proficientibus insidiantur. Psal.
„ 141. *In viâ hâc quâ ambulabam,*
„ *obsconderunt laqueum mihi.* Ipse
„ Satan transfigurat se in Ange-
„ lum lucis. 2. Corinth. 11. Si enim

Digitized by Google

„ eis in suâ figurâ, quæ turpis est, „ appareret, horrerent eum, & „ fugerent: si apertè impugnaret, „ resisterent ei, & auxilio Dei fu- „ garent eum, & vincerent; & sic „ nihil apud eos proficeret. Boni „ enim, quià mundi sunt, detestan- „ tur immunda peccata: quià vir- „ tuosi sunt, viriliter contrà omne „ malum repugnant, quod malum „ esse cognoscunt. Venit ergò Sa- „ tanas in specie Angeli boni, quem „ credit à bonis diligi; ut tantò fa- „ ciliùs decipiat eos, quantò bonus „ nuncius putatur, & qui non so- „ leat, nisi bona nuntiare, & sua- „ dere. Bernard. serm. 66. in Cant. „ *Bonus nunquàm, nisi boni simu-* „ *latione deceptus est.* Et ut facilius „ recipiatur ejus persuasio, primò „ sola bona proponit: postea mixta „ malis: tandèm falsa bona, sed ve- „ ra mala: postremò quàm irretie- „ rit eos, & illaqueaverit insolubi- „ liter, apertè caput venenatum „ erigit, & in aperta peccata eos „ dejicit. Sicut Scorpius, qui blan- „ dam faciem habet, sed caudam „ venenosam, quâ occidit. Sic Ga- „ baonitæ simulato peregrino ha- „ bitu deceperunt filios Israel, ut „ parcerent eis, quùm de genere „ hostium erant.

„ Quanti sub specie spiritua- „ lis dilectionis, spirituales fœmi- „ nas frequentaverunt, & oratio- „ num ipsarum obtenta? Ecce „ quanta puritas in tentatione pri- „ mâ, scilicèt, charitas, & devo- „ tio. Postea sequuntur longæ con- „ fabulationes, modò de Deo, mo- „ dò de ipsorum mutuo amore: & „ amorosi aspectus, & munuscula „ pro memorialibus charitatis. Ec- „ ce quomodò mixta sunt jam bo- „ na spiritualis consolationis, & fi- „ delis affectionis, cum malis inu- „ tilis confabulationis, & incautæ „ familiaritatis, & inutili occupa- „ tione cordis circa dilectam. Tan- „ dèm sequuntur falsa bona, sed „ vera mala; scilicèt, amplexus, „ & oscula, tactus manuum, & ube- „ rum, & similia: quæ omnia suspe- „ cta sunt carnalis dilectionis indi- „ cia, & turpis operis præludia. Po- „ stremò impudica succedunt, „ quasi fructus præcedentium, sci- „ licèt, aperta opera iniquitatis.

O utinàm si verba ista tàm San- cti Doctoris, & Mysticæ Magistri, fuissent impressa in cordibus Dire- ctorum spiritualium, & altiùs in- sculpta in pectore cujuslibet mulie- tis, etiàm devotæ! faxit Deus.

SECTIO III.

De Imbecillitate Dæmonis in prælio Tentationum.

Quàm fortis armatus, Sa- tan noster adversarius, *custodiebat atrium suum* mundum: sicut Lupus servat ovile ad devorationem, *in pace erant ea, quæ possidebat*; quià *filios pulsare* „ *negligebat, quos se possidere jure* „ *quietè sentiebat.* [D. Gregor. ubi suprà] *At fortior eo superveniens*, Christus *Dominus fortis, & potens in prælio.* [Psalm. 23. v. 8.] *Qui de- sursum venit, & super omnes est.* [Joan. 3. v. 31.] *Universa arma ejus*, tàm offensiva, quàm defensi- va, *in quibus confidebat, abstulit.* [Lucæ 11. v. 21. & 22.] *Arcum*

con-

contrivit, & confregit arma, & scuta combussit igni. [Psalm. 45. v. 10.] Indè hostis veterator suis denudatus spoliis, quæ tyrannicè possidebat, inermis, & confusus ejectus est foras, & velutì rabidus Canis innexus fuit catenis. Hanc orthodoxam veritatem nemo catholicorum ignorat: non est inter Fideles, qui dubitet de eâ: omnes corde credimus, & ore profitemur illam. Adhùc tamèn *exurgunt Viri mendaces loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* [Act. 5. v. 30.] Hi sunt Pseudo-Mystici hujus ævi, acritèr defendentes, Diabolum adhùc alligatum esse præpotentem, & ità prævalidum ad tentandum homines, ut saltèm aliquandiù, ei resisti nequeant, & succumbere necesse sit. Ad detestandam istorum pertinaciam, & phrenesiam, præsens instituitur Sectio, & ponitur.

CONCLUSIO.

472. IN prælio tentationum, Diabolus est imbecillior homine: tùm in pugnando, tùm in resistèndo.

Assertio supponit hominem Dei auxilio munitum. Est de fide.

CONFLIGUNT SCRIPTURÆ.

JACOB. 4. v. 7.

RESISTITE Diabolo, & fugiet à vobis.

Præcipit Apostolus, ut resistamus Diabolo. Ergò sufficientes, saltèm, habemus vires, quibus resistere possimus. *Quis enìm tàm durus fuit unquàm*; ait Vega [in Concil. Trid. lib. 11. cap. 13.] *tàm crudelis, tàm immanis, ab omni humanitate alienus, Tyrannus, ut ea fuis subditis imperaverit, vèl ab eis exegerit, quæ præstari ab ipsis non potuerunt?* Quod priùs docuerat D. Thom. [in 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 4.] *Deus non est magìs crudelis, quàm homo: sed hominibus imputatur ad crudelitatem, si obligent aliquem per præceptum, quod implere non possit.*

Deindè idem Apostolus, non solùm supponit, nos vires habere sufficientes ad resistendum Diabolo; sed etiàm nos certiores reddit, de imbecillitate hostis antiqui: qui vilis est in prælio tentationum, nèc valens pugnare nobiscum, & diù resistere viribus nostris; undè subdit continuò: *Et fugiet à vobis.* Undè D. Ambrosius [in Luc. 4.] egregiè ait: *Vides Diabolum non esse pertinacem in stadio, cedere solere veræ virtuti? Etsi invidère non desinat; tamèn instare formidat; quid frequentiùs refugit triumphari.*

AD HEBRÆOS 11. v. 33.

OBTURAVERUNT ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castrà verterunt exterorum.

Qui

Digitized by Google

Qui ſunt hi tám robuſti, tàm viriles, tàm potentes? Nonniſi Fideles; teſtatur Doctor Angelicus expendens hunc locum [lect. 7.] Qui in prælio tentationum bellantes cum Diabolo, os ejus obturant; juxtà illud Job [29. v. 17.] *Conteram molas iniqui, & de dentibus illius auferam prædam.* Itèm *extinxerunt impetum ignis*; dùm refrænant concupiſcentiæ impetuoſum motum. *Effugerunt aciem gladii*; idèſt, aciem hoſtis cum gladiis acutis. *Convaluerunt de infirmitate*, in quam concurſi fuerant per peccatum Originale; nùnc autèm robuſti facti ſunt per Chriſtum, qui ſanavit, & ſalvavit eos. *Fortes facti ſunt in bello*, támque prævalidi, quòd *Caſtra verterunt exterorum*; itaùt ſecuri ab incurſibus Diaboli, canere poſſint cum Regio Prophæta [Pſalm. 26.] *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.*

AD PHILIPP. 1. v. 28.

IN nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis vobis autem ſalutis, & hoc à Deo.

D. Ambroſius ly *Terreamini* vertit, *non paveſcentes*. D. Chryſoſtomus autèm ſic legit: *Rectè dixit: Conſternemini, nàm talia, quæ ab inimicis fiunt* (loquitur de Dæmonibus) *territant damtaxàt. Hoc enìm eſt rectè, ac ſolidè perſiſtentium; nàm illi nihìl poſſunt, niſi terrere tantùm.*

MATTH. 13. v. 25.

CUm dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit.

473. Pinctus [in Cantic. Append. tropolog. §. 10. n. 2009.] inquirit: quarè inimicus iſte, qui eſt Diabolus, nocte concubiâ, quùm homines ſomno immergerentur, ſuperſeminavit zizania? Cùr indè ſtatìm abiit? & reſpondet: *Aptà nimirùm hora, ſed Dæmoni timidiſſimo: non vigilantes, nèc oſcitantes, ſed profundo ſomno immerſos audet aggredi. Deindè abiit, illos fugiens, à quibus excitatis ſcit profectò ſe facilè ſuperandum, & quùm ſpecioſa victoria ſit, quæ manifeſtè reportatur; quià fragilis, & ignavus Dæmon, non ut vult, ſed ut poteſt, hoſtem lædit.* Et D. Chryſologus [ſerm. 97.] elucidans hunc locum, ait: *Inſidiator in noctibus latitat, in diebus vigilantes fugit: appetit dormientes. Fortis conflictum petit, provocat palàm ſpectantibus omnibus, & coràm populis vult habere victoriam. Maximum infirmitatis indicium eſt, dormientibus irruiſſe.*

MARC.

Digitized by Google

MARC. 5. v. 9.

ET interrogabat eum: Quod tibi nomen est? & dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.

474. Christus Jesus non ignorabat Dæmonis nomen, interrogat tamèn, ut ex ipsius Dæmonis manifestatione clarescceret Hostis antiqui imbecillitas. Nullâ re magìs declaratur Dæmonis ignavia, quàm dùm ostenditur, non ausus solus congredi cum homunculo, sed ad prælium; imò ad duellum; innumeros secum adducìt commilitones. Satìs appositè Divus Chrysologus [serm. 15.] *Quandò ad duos homines Dæmonia multa, ad unum legionem totam, significat convenisse; hoc ideò facit, ut doceat, cavendos esse Dæmones, non timendos.*

LUC. 13. v. 11.

ECce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem, & octo: & erat inclinata, nèc omninò poterat sursum respicere.

Putabit forsitàn quis, Dæmonem mitiorem, & infirmitatis Spiritum debiliorem vexare, & incurvare mollem mulierculam; at certè, non tàm mitis conditio, quàm metus Dæmonis fuit, solâ infirmitate, & incurvatione torquere fœmellàm. Non fuit Malignus juvenculam delicatam agitare apertè, nè ab ipsâmet orante, aùt à Sacerdotibus adjuvantibus facillimè superaretùr; ideò illud novum, sed ignavum, adhibuit stratagema. *Patebat vulnus, sed auctor vulneris non patebat;* ait laudatus Chrysolog. [serm. 105. in hunc locum]: *languorem videbant cuncti, sed languoris materiam non videbant: erat in aperto pœna, sed in ipsâ pœna carnifex latebat inclusus: corpus aspiciebatur incurvum, sed non aspiciebatur incurvi corporis pondus: in medio civium portabat mulier hostem suum; sed hostem cives, ut propellerent, non videbant. Ars nequissimi spiritus corporis necessitas credebatur; ut prædo callidus teneret captivam dolo, quam tenere viribus non valebat. Diabolus nihil esset, si essent sollicitatores homines, cautiores. Aut quid in homine unquàm prævaluit ille, virtute? nisi arte, mendacio, insidiis, fraude, dolo, nequitia, vitiorum ministerio, furore criminum? Ille voluntates hominum sempèr explorat, & bonas quidèm voluntates refugit: malis autèm voluntatibus obsecundat; ut sit minister scelerum, criminum leno, parasitus ipse vitiorum. Et quià potestate non potest, dominatur turpissimis mentibus turpissima servitute.* His solis verbis D. Chrysologi, quilibet Catholicorum potest imperterritus Pseudo-Mysticos dejicere, ac unicuique ipsorum insaniam exprobrare, & animosè dicere cum Isaia [47. v. 29.] *Ponam circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis.*

Digitized by Google

1. JOAN. 2. v. 13.

Scribo vobis adolescentes, quoniàm vicistis Malignum.

Quid sibi velit Apostolus, & Evangelista Joannes his verbis? declarat D. August. [in hunc locum] *Si Malignus à juvenibus vincitur, pugnat nobiscum: pugnat, sed non expugnat. Quarè, quià nos fortes sumus; an quiá ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inventus est? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non resistit: crucifixus est enìm ex infirmitate, sed vicit ex virtute Dei.*

APOCALYPS. 9. v. 17.

Vidi Equos in visione, & qui sedebant super eos habebant loricas.

Quùm duplex sit armorum genus: alia etenìm sunt defensiva, alia offensiva; cùr hi sessores non muniuntur armis offensivis, sed tantùm defensivis, nempè loricis? hæ namque non vulnerant inimicos, sed aliquâ ex parte corporâ obtegunt præliantium, ne feriantur. *Quià Diabolus, qui Sessor est*; ait Hugo à S. Charo [expendens hunc textum] *vulnerare non potest hominem, nisi volentem. Quasi diceret, non est cur Diabolus muniatur armis offensivis; non enìm in suá situm est potestate, ad libitum quoslibet vulnerare; ndm solùm sibi consentientes, & volentes offendit, & percutit.*

APOCALYPSIS 12. v. 17.

Iratus est Draco in mulierem: & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi: & stetit super arenam maris.

IBID. Cap. 14.

Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris scriptum in frontibus suis.

Draco tartareus pugnaturus cum Fidelibus (qui sunt filii illius mulieris, nempè, Ecclesiæ Catholicæ) *stetit super arenam maris*; Christiani autèm stabant cum Agno, idèst, Christo, *supra montem Sion*; quô pactô igitùr Diabolus bellabit adversùs illos; quùm ii stent *suprà montem*, & ipse stet *super arenam maris*? Cùr non appropinquavit ad collem? Quarè stetit, & non transcendit? Cùr *stetit super arenam*, quæ mobilis est, mollis, ac gracilis, & super eam pugnam instituit? *In petra non stat*; respondet hìc Haymo; *quià in cordibus Sanctorum, quæ nullæ voluptates emolliunt, locum Diabolus nullum invenit: è contrà, in arenâ gressum figit, quià mentes, quas humor carnalis emollit,*

Digitized by Google

lit, inhabitat. Hinc Job. 40. dicitur: Sub umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus.

PSALM. 128.

Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ: dicat nùnc Israel. Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ: etenim non potuerunt mihi. Suprà dorsum meum fabricaverunt peccatores.

Quid his verbis significare voluerit David Rex fortissimus, æquè ac sanctissimus, exponit Titelmannus. „ *Sæpè expugnaverunt me à* „ *juventute meâ*. A' tempore, quo „ vetustate depositâ, renovata est „ mihi juventus mea: ex quo abdicatis vitiis servire cepi Domino „ Deo, frequentèr me oppugnaverunt Dæmones (nam ex vulgato nostro, verbum *expugnandi* pro oppugnatione poni, constat ex Græco in Sixt.) cupientes à rectitudine animum meum „ depellere, castrumque animæ „ meæ devincere. *Dicat nùnc Israel.* Meritò hoc ipsum dicere „ debet, & fidelitèr fateri omnis, „ qui Deo credens, piè in ipso vivere studuerit; nequè enìm mihi „ secundùm personam hoc est peculiare, sed omnibus, qui piè vivere volunt, commune, ut persecutionem multiplicem patiantur. *Sæpè expugnaverunt me.* „ Repetit eadem verbà, & reddit „ rationem, cur sæpè hostes repetierint prælium, sivè pugnam, „ nimirùm, quià nunquàm prævaluerunt. *Etenìm non potuerunt* „ *mihi*; nam si semèl prævaluissent, „ non fuisset opus præliis totiès „ renovatis; ut etiàm advertit hìc „ Bellarminus. Subdit tandèm Regius Vates: *Suprà dorsum meum* „ *fabricaverunt peccatores*. Atquì „ exclamabit aliquis: glorioſa adverso pectore excipiuntùr, quæ „ adversò infiguntur, probrosa denotantur: tergo accepta vulnera onerant, non honorant. *Non* „ *possum*, ajebat Marius ad Romanos, *fidei causâ imagines, nequè* „ *triumphos, aut consulatus majorum meorum ostentare; at si res* „ *postulat, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præterea cicatrices adverso corpore:* „ *hæ sunt meæ imagines, mea nobilitas &c.* [apud Sallust.] Quì ergò vir fortissimus, non tàm adversi corporis, quàm vulnerati „ dorsi exhibet cicatrices? An non „ istæ dedecorosæ? Id planè verum, „ si terga fuerint vulnerata propter invadentis ignaviam insidiantem. Dederat sæpiùs David „ adversum pectus hostibus, qui à „ primâ juventute eum oppugnaverunt; quid indè? quùm apertè non possent inimici, invadunt „ ex insidiis terga Justi: retrò premunt, non opprimunt] Undè „ (concludit laudatus Pinctus „ n. 2011.) non minùs hæ tentationes hostium fragilium Justo glorioſæ, quàm decora repulsio „ apertarum.

Digitized by Google

CONGREDIUNTUR SS. PATRES.

DIvus Gregor. [lib. 5. moral. cap. 17.] *Antiquus hoſtis, ſicùt contrà conſentientes fortis eſt, ità contrà reſiſtentes debilis. Si enim ejus ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi Leo tolerari nequaquàm poteſt: ſi autèm reſiſtitur, quaſi formica atteritur.*

D. Auguſt. [de Verbis Domini ſerm. 28.] *Qui Deo ſe committit, Diabolum non timet.*

S. Hieronym. [Epiſt. 90. de vitâ Malchi] *Nuſquàm Diabolus apertâ fronte ſe prodit.*

D. Bonav. [in 2. ſent. diſt. 6. dub. 3.] *Debilis eſt hoſtis, qui non vincit, niſi volentem.*

Idem [lib. 1. de Perfect. Relig. cap. 2.] *Ipſe Diabolus hoſtis noſter inermis eſt, & ſolis aſtutis ſuggeſtionibus nos impugnat.*

S. Ephrem. [de rectâ vivendi ratione cap. 54.] *Nulla unquàm tentatio ſtrenuum pietatis Athletam offendit.*

S. Iſidor. Hiſpan. [lib. 3. de ſummo bono cap. 5. ſent. 6.] *Diabolus, ſi à nobis ſpernitur, ſine dubio confuſus abſcedit, ſtatimque franguntur tentationis ejus jacula.*

D. Chryſoſt. [in Pſalm. 7. premens verba illa: Et conculcabis Leonem, & Draconem] *Diabolus eſt beſtia multiplex; ſed ſi ſupercrimus, hîc Leo, & Draco erit quaſi luto vilior: & nèc adverſùs nos quidèm dirigit aciem; ſin autèm direxerit, conculcabitur.*

Idem [homil. 4. in Geneſ.] *Videns hoſtis ſpiritualis noſtras divitias, inſanit, & ferocit, & ſicùt Leo rugiens circuit quærens quem devoret. Verùm ſi ſobrii fuerimus nihil prævalebit per gratiam Dei. Talia enim ſunt arma noſtra ſpiritualia, ut nullum telum ab illo emiſſum ad nos pertingere poſſit. Adamante enim ſolidiores Dei gratia nos facit, & (ſi volumus) omninò invictos. Undè ſicùt qui adamantem tundit, nihil adamanti nocet, ſed ſeipſum fruſtrà fatigat: & qui contrà ſtimulos calcitrat, pedes ſuos cruentat: in hunc modum res ſe habent noſtræ cum adverſario ſalutis noſtræ; ſi armis, quæ nobis Spiritus Sancti exhibet gratia nos muniamur; non enim ſicùt ſenſibilia arma corpus grevant, ſed levius reddunt, & expeditius, & robur augent.*

D. Bernard. [ſerm. 13. in Pſal. *Qui habitat.*] referens verba D. Petri cap. 5.] *Adverſarius veſter Diabolus, tanquàm Leo rugiens*; ſubdit: *Rugire iſte poteſt, ferire non poteſt. Rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat ovis Chriſti. Quante minatur! quante exagerat! quante intentat! Non ſimus beſtiæ, ut nos proſternat vacuus ille rugitus. Si enim perhibent, qui talia curioſiùs veſtigaverunt, ad rugitum Leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, nè eam quidèm, quæ adverſùs iſtum ejus totâ animoſitate repugnat: & plerumque ſuperat furentem, quæ non ſuſtinet rugientem. Verè beſtia, verè rationis expers, qui tàm puſillanimis eſt, ut ſolo timore cedat: qui ſolâ futuri exagerationis laboris victus, antè conſligitur, non telo, ſed tubâ proſternitur. Nondùm reſtitiſtis uſque ad ſanguinem, ait ſtrenuus ille Dux, qui Leonis hujus noverat vanum eſſe rugitum.*

Idem [ſerm. 14.] volens confirmare, quæ dixerat ſermone præce-

Digitized by Google

cedente, addit, quòd Diabolus, nèc quidèm rugit tamquàm Leo, quin contrà timidos. *De Leone*, ait, *manifestum est, quòd, nisi ad januam timoris terrificos dat rugitus.*

S. Joann. Climacus [in scala spiritual. gradu primo] *Cum gaudio, & sine metu ad egregium istud certamen accingamur, inimicos nostros nullâ ratione formidantes. Intuentur enim illi, etsi non videantur à nobis, animarum nostrarum vultus; & si illos viderint formidine contrahi, vel immutari, contrà nos acerbiùs armantur; intelligunt enim verè fortissimi timorem nostrum. Magno igitur animo adversùs illos arma accipiamus. Contrà eum enim, qui alacritèr pugnat, nullus oppugnando prævalet.*

S. Macharius [homil. 43. in Luc. cap. 22.] *Velut sarmenta in ignem projecta, facultati ignis resistere nequeunt, sed statim exurantur: ità Dæmones, qui bellum inferre volunt homini Spiritum Sanctum adepto, uruntur, & absumuntur ab igne Divinæ potentiæ; modò homo semper Domino adhæreat, fiduciam, & spem habens in eum.*

S. Antonius Abbas [apud D. Athanasium in illius vitâ] *Christus, tamquàm Dominus, Dæmonibus sentium imperavit, ut nos Diabolo nihil credamus, & vincamus . . . Etiàmsi mortem nobis intentare videantur, ridendi potiùs sunt, quàm timendi; quià, quùm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt . . . Novit teterrimus Coluber ex præcepto Domini, sub Justorum se jacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici . . . . Si alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupidi nos succenderint: si semper omnia manibus Dei committamus, nullus Dæmonum ad expugnandum valebit accedere; magis autèm, quùm munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur . . . . Una ergò est ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis: & animæ Dominum semper cogitantis, jugis recordatio, quæ Dæmonum ludos, quasi fumum expellens, persequetur adversarios potiùs, quàm timebit.*

Riccardus à S. Victore [part. 2. in Cant. cap. 21.] *Homo, quotiès vel motibus cordis carnalibus, vel inimici suggestionibus nesistit, totiès contrà vitia, vel tentamenta sibi robur adjicitur.*

Rupert. Abb. [in 1. Reg. cap. 5. in verba illa: *Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures*] prosequitur: *Qui sunt isti, qui ebullierunt; & terram demoliti sunt mures; nisi maligni spiritus? Justis quidèm contemptibiles, ut mures; peccatoribus autèm terribiles, ut Leones.*

Joan. Tritemius [in prolog. regul. S. Benedicti cap. 2.] *Stet miles Christi, nè pavcat tentari; hostes enim debiles sunt: non vincunt, nisi volentem. Licèt quibusdam intolerabiles* (N.B.) *Diaboli tentationes videantur; tamèn ubi sentit resistentem, facilè debilitatur.*

Idem [in cap. 7. ejusdem regulæ grad. 4.] *Plus lædit Diabolum una oratio, quàm nos ejus offendat tentatio.*

Idem [lib. 1. homil. 10. ad Monachos] *Neminem antiquus hostis tentando potest dejicere, nisi quem invenerit priùs à semetipso defecisse.*

Idem [Epist. 3. ad quasdam Moniales] *Est versuti hostis ista con-*

conditio, ut impetu magis conetur tentare, quàm viribus. Quòd ſi quempiam ſuis iniquis ſuggeſtionibus, in primis motibus fortiter ſenſerit obluctari, confeſtim abſcedit confuſus.

Theodorus Studita [Epiſt.68.] *Timidus eſt Diabolus, reticulus, imbellis; idcòque animoſitate quadam longè abigendus; ut idcircò germanus Chriſti clamet Jacobus: Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis.*

Alia extant Divina Oracula, & PP. teſtimonia, quæ brevitèr percurro, ad oſtendendam vilitatem hoſtis antiqui, ejuſque potentiam in tentationum prælio riſu dignam. Amoſ. 7. v. 9. *Demoliuntur excelſa Idoli.* Legit Hebræa, & Græca *Excelſa riſus.*

Jerem. 10. v. 15. *Vana ſunt, & opus riſu digna: in tempore viſitationis ſuæ diſperibunt.*

Proverb. 28. *Fugit impius, nemine perſequente.*

Ezechiel. 28. v. 19. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.*

Eſther 14. v. 11. *Nè tradas ſceptrum his, qui non ſunt.*

Apocalyps. 17. v. 8. *Mirabuntur inhabitantes terram, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.*

Inſtitutam Sectionem, quoàd auctoritates S. Scripturæ, & SS. PP. claudo verbis Magni Greg. [l 4. Moral. c. 11.] *Ex quo Dæmon benè eſſe perdidit, ad nec eſſe tetendit.* Quod clarioribus notis explicat Haymo: *Diabolus, qui fuit ab exordio ſeculi, in loc Mundo ubique tenuit principatum uſquè ad Adventum Domini, & in cordibus hominum potiebatur poteſtatis imperio. Sed poſtquàm Chriſtus venit, & in ſua morte mortis deſtruxit imperium, abſtulit ei poteſtatem, & ejecit eum foràs. Idcòque jàm non eſt; quia comparatione prioris potentiæ, præſens illius potentia nulla eſt.*

DIMICANT RATIONES.

475. I. PUgna intèr Dæmonem, & hominem, eſt duellum intèr utriuſque voluntates. Atqui voluntas Dæmonis, etſi iniquiſſima ad perdendum hominem, non eſt major voluntate hominis, imò eſt minor, tùm in impugnando, tùm in reſiſtendo. Ergò. Major eſt indubia. Min. probatur. Homo eſt Dominus ſuorum actuum liberi arbitrii, nèc Dæmon poteſt quidquam in voluntate hominis. Prætereà Voluntas Dæmonis, quoàd ſuos actus, poſt lapſum ipſius, fuit ligata, & frænata à Deo: qui *reliquit hominem, etiàm poſt peccatum, in manu conſilii ſui*, idèſt, ſuæ voluntatis; ut ſuprà ſatis demonſtravimus. Ergò Voluntas hominis, quoàd hoc, eſt major Voluntate Dæmonis.

Confirmatur ex D. Thoma [in 2. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 2. ad 1.] ubi clariſſimis verbis ait: *Quamvis poteſtas Dæmonis ſit ſimpliciter major, quàm poteſtas hominis; tamèn quantùm ad aliquid non eſt major, ſcilicèt, quantùm ad actus liberi arbitrii, qui cogi non poſſunt. Quia horum actuum ipſe homo Dominus eſt, & non Dæmon: & ideò poteſt homo tentationi ejus reſiſtere.*

475. II. Tempore Anti-Chriſti ſolvetur Satanas, nimirùm, dabitur ei licentia tentandi electos, & exercendi totam impugnationem, quam naturaliter poteſt; atqui non poterit ità debacchari in illos,

Digitized by Google

illos, ut prævaleat, & superet eos. Nàm ex D. Augustino [lib. 20. de Civit. cap. 8.] *erùnt tunc illustrissimi Sancti, quorum comparatione nos quid sumus?* Ergò si Dæmon solutus non vincet electos, sed ab istis calcabitur; multò minùs jàm ligatus poterit nos impugnare; & nos multò magis poterimus eumdem dejicere.

477. III. Diabolus in isto certamine pugnat solus, & solo rugitu: nobiscum verò pugnant Angeli, qui *in manibus portant nos* [Psal. 90.] Pugnant quoquè Sancti, quibus Deus *dedit potestatem calcandi suprà omnem virtutem inimici* [Lucæ 10. v. 19.] Pugnat Mater, & Virgo potentissima: *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* [Cant. 6. v. 9.] Pugnat ipse Omnipotens: *Deus autèm pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velocitèr.* [ad Rom. 6. v. 20.] Blateret ergò, minetur, & rugiat quantùm potest, quantùm vult adversarius noster Diabolus; quid indè? *Si Deus pro nobis, quis contrà nos?* [ad Rom. 8. v. 13.] Tantummodò simus fortes in bello, & pugnemus cum antiquo Serpente, & accipiemus regnum æternum.

478. IV. Dæmon descendens in arenam cum homine, non rarò alteri sociatur homini amico suo, qui sit ei in auxilium ad pugnandum contrà illum unum, quem debellare desiderat. Ergò Dæmon est infirmior, & imbecillior homine. Consequentia sequitur: quia, si solus non valet oppugnare hominem, est eo debilior. Ant: ostendit experientia, quam adducit D. Gregor. [in suis Epistolis cap. 82.] ubi sic scribit ad Episcopum Costantinopolitanum. *Antiquus enim hostis cor robustum irrumpere non valet, subjectas ei infimas personas quærit, & quasi contrà alta menia scalis appositis ascendit. Sic Adam per subjectam mulierem decepit. Sic beato Job, quùm filios occidit, infimam mulierem reliquit; ut qui ejus cor per se minimè poterat, saltèm si posset, per mulieris verba penetraret.*

Confirmatur ex D. Chrysostomo [homil. 24. oper. imperf.] ubi ponderans verba illa [Joan. 8. v. 42.] *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*; quærit, quid sit exequi Diaboli desideria? & respondet: *Complere, & perficere ea, quæ vellet, & non potest per se Diabolus absolvere.* Indè concludit: *Homo malus pejor est, quàm ipse Diabolus: & arma Diaboli est malus homo. Sicùt enim homo sinè armis non potest aliquid facere contrà hostem; sic & Diabolus sinè homine non valet aliquid contrà Sanctos.*

Idque idem [homil. de Pass] probat, eò quòd Diabolus, quùm mala omnia in Christum intentaret, non anteà voti compos factus est, quàm Judæos secum in scelere, ac Deicidio conspirantes habuerit.

479. V. Quamvis potentia naturalis Dæmonis major sit incomparabilitèr potentiâ naturali hominis; virtus autèm Gratiæ excedit in infinitum virtutem naturæ; ut rectè docuit D. Thom. [1. p. q. 109. per totam] & minima gratia resistere potest cuilibet concupiscentiæ, & toti Inferno. Ex eodem Doctore Angelico [3. p. q. 70. art. 4. in corpore] Ergò homo, suffultus, ut supponitur, Dei auxilio, in agone tentationum potentior est Dæmone; ità ut certus de victoriâ, canere possit cum Regio Prophæta [Psalm. 17. v. 38.

Digitized by Google

v. 38. & ſeqq.] *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadent ſubtùs pedes meos, & præcinxiſti me virtute ad bellum, et ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtùs me. . . . Et comminuam illos ut pulverem antè faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.*

OBJECTIONES ADVERSARIORUM DERIDENTUR.

I. INtelligi nequit, quomodò Dæmon, in prælio tentationum, ſit imbecillior homine, tùm in pugnando, tùm in reſiſtendo; dùm exitus certaminis hujus probet oppoſitum. Vidimus etenim paucos homines, qui non ſuccumbunt in bello tàm acri. Quis ignorat, Diabolum viciſſe majorem hominum partem, nedùm Paganorum, &c. ſed etiàm de Catholicis ipſis quotidiè victoriæ palmam reportare? Hiſtoriæ ſunt in promptu, & quidem innumeræ.

480. R. D. Chryſologus [ſerm. 16. in fine] *Nos, aut vitiis noſtris facimus, ut illi accipiant poteſtatem nocendi: aut virtutibus, ſubjecta nobis Dæmonum colla, Chriſto triumphante calcemus.* Inermis eſt, & imbellis Diabolus ſi nos *non exhibemus ei membra noſtra arma iniquitatis, ſed exhibeamus nos Deo, tamquàm ex mortuis viventes: & membra noſtra arma juſtitiæ Deo.* [ad Rom. 6. v. 13.]

481. Profectò, Diabolus non ſolùm valet expugnare hominem, imò nec impugnare pertinaciter, quin ſecum habeat commilitonem hominem. Indè Magiſter Divinus Chriſtus Jeſus [Matth. 10. v. 17.] nos docuit: *Cavete autèm ab hominibus*; nempè, ab iis, qui ſunt amici, & miniſtri Satanæ: ſignanter verò à fœmellis, quæ à SS. PP. appellantur *Orana, & Inſtrumenta Diaboli.* Undè D. Auguſt. [ſerm. 1. fer. 4. Domin. 2. Quadrag. & in ordine 77.] inquit: *Diabolus ubique inſidiatur homini, ubique congreditur: ſed ubi mulierem invenit, vincit: ubi mulierem non invenit, victus abſcedit.*

Hæc eadem numero verba habet D. Ambroſius [ſerm. 77. in Quadrag.] Hinc eruditiſſimus Andreas Lanfranchi [opuſc. 40. cap. 7. n. 8.] poſt multas rationes, & auctoritates, quibus probat, Dæmonem, ſinè homine, nihil poſſe contrà hominem, concludit: *Quamvis Dæmon ſæpè nos impugnet: ut tamèn expugnet, bos amicos, ut præſtò ſint, implorat; adeoùt percunctanti Dæmonem, cùr quandò nos ſolus aggreditur, ſæpè victus abſcedit? ſit reſponſus: hominem non habeo, qui mittat me in piſcinam: qui miòi prælianti adſit, & ferat opem. Cavendum igitùr nobis eſt magis ab hujuſmodi hominibus, quàm ab ipſo Dæmone.* Itàque argumentum, hoc ſolùm probat, idque hiſtoriæ confirmant.

II. In quocumque prælio, tùm corporali, tùm ſpirituali, ars, & ingenium magis prævalent, quàm vires. Atqui Diabolus hoſtis eſt veterator, verſutus ingenioſiſſimus, & mille habet tentandi artes; homo autèm neſcit hujus adverſarii inſidias, & aſtutias. Ergò ſaltèm dolo, ac fraude Diabolus fortitèr impugnabit, & expugnabit hominem.

482. R. 1. ex SS. Patribus; Ex D. Greg.

Digitized by Google

D.Greg.Nazianzeno [apud D.Damascen.lib. 1.parall.cap. 27.] *Fraudibus iis omnibus parent, qui ad voluptatem propensi sunt.* Ex Magno Gregor. [lib. 9. in registro in dist. 4. cap. 8. Epist. 8. ad Bonum Abb. Monasterii Lirinens.] *Qui super rem sibi creditam vigilat, hostis insidias declinat.* Ex D. Hieronymo [Epist. 1. ad Demetriad.] *Vacuus viator, & nudus, non timet latronis insidias.* Et [in regul. Monach. cap. 27.] *Dei auxilio destitutus, insidiis hostium patet.* Ex D. August. [serm. 2. de Tentatione Abrahæ, aliàs de diversis 14. cap. 3.] *Non enim vident homines Diabolum cum quo pugnant; sed facile habent remedium: seipsos interiùs vincant, ut de illo foris triumphent.*

483. R. 2. Ars magna, & maxima Diaboli astutia hæc est: complere, & perficere per Pseudo-Mysticos, quod vellet, & non potest per se facere; ut ajebat D. Chrysostomus suprà relatus, & lachrymis scribit S. Cyprianus [lib. de Unit. Eccles.] *Quid astutiùs, atque subtiliùs, quàm ut Christi Adventu dejectus, ac prostratus inimicus, videns idola derelicta, & per nimium credentium populum ædes suas, ac templa deserta, excogitaverit novam fraudem, & sub ipso Christiani nominis titulo, fallat incautos; Hæreses invenit, & sic schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, sciuderet unitatem.* Proh dolor! Satanas jam perculsus, & contritus à Christo Domino: armis nudatus, & impotens ad bellandum cum homine: è gremio S. Catholicæ Ecclesiæ pessimos elegit ministros, vaferrimos Pseusto-Mysticos; qui doctrinis peregrinis, doloisque opinionibus abducunt discipulos post se, quos docent, Diabolum præpotentem esse adversarium, atque irresistibilem; ut vitâ desperantes se tradant impudicitiæ. Proh dementia! Proh nefas! *Utinàm* repetam cum Apostolo [ad Galat. 5. v. 12. & 13.] *Utinàm & abscindantur, qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantùm nè libertatem in occasionem detis carnis.*

DUBIUM I.

An statìm ac resistimus Diabolo, hic subitò fugiet à nobis?

484. R. Affirmativè; proùt omnes docent SS. PP. Diabolus enim est Rex Superbiæ; ideòque *instare formidat, quià frequentiùs refugit triumphari*; ut advertit D. Ambros. [in Luc. 4.] & D.Chrysost. [hom. 24. ad populum] ait: *Diabolus, quùm se viderit nihil expedientem, mox obsistit; veritus, nè nobis majorum causa coronarum efficiatur.* Ratio autèm potissima, est Divina promissio nobis facta per Apostolum Jacobum (cap. 4. v. 7.) *Resistite Diabolo, & fugiat à vobis.* Ità etiàm decet ineffabilem Dei providentiam, ac summam bonitatem; quâ Deus permittit tentationes ad nos probandum, & non ad perdendum.

Dices: Non ratò experimur, quòd resistimus Diabolo, qui tamèn non statìm fugit. Et certò datur tentatio, quæ dicitur importuna, seù molesta, & diuturna, quâ Diabolus

bolus non cessat hominem instigare ad malum. Ergò non statìm ac resistimus Diabolo, fugiet à nobis.

485. R. Certa, & infallibilis est sententia relata Apostoli Jacobi; utpotè de fide. Certum quoque putare debemus, quod uno ore fatentur PP., & sacri Expositores, nimirùm, quòd si resistimus Diabolo, mox fugit à nobis; si tamèn quantùm possumus, & debemus, obsistimus Adversario. Quàndoquidèm, non qualis qualis resistentia propulsat Diabolum; sed firma, generosa, & fortis; ut admonet Divus Petrus [Epist. 1. cap. 5. v. 9.] *Adversarius vester Diabolus, cui resistite fortes in fide*. In fide, quasi in radice, Apostolus intelligit humilitatem, spem, charitatem, orationem, cæterasque virtutes; ut in hæc verba Petri adnotat Cornel. à Lapide. Sicùt & ejus Co-Apostolus Paulus [ad Ephes. 6. v. 11.] scribit: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli*. Moxquè hanc præscribit armaturam: *State succincti lumbos vestros in veritate*. Primò superandus est hostis vicinior, & intimus, idèst, comprimenda carnis concupiscentia; hâc enìm *unusquisque tentatur, abstractus, & illectus* [Jacob 1. v. 14.] qui subdit [4. v. 1.] *Undè bella, & lites in vobis? Nonnè ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Secundò: *Et induti loricam justitiæ*, vincendo illicitas rerum temporalium cupiditates: Sicùt enìm Justitia, suum cuique tribuens, omnes quasi complectitur virtutes; sic *lorica justitiæ* totum corpus tegit. Tertiò: *Et calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*. Nempè, depositis vitiosis affectibus, & superfluâ curâ temporalium. Quartò: *In omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Quià sicùt scutum portatur à parte cordis: sic Fides est armatura mentis: & sicutí scuto repellimus ictus hostiles; ità Fidem opponimus falsis Diaboli suggestionibus. Quintò: *Et galeam salutis assumite*. Quæ est spes firma, tàm de Divino auxilio ad resistendum Diabolo, quàm de futurâ victoriâ, & gloriâ ad præmium. Sextò: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Exemplo Jesu Christi, qui sic in deserto fugavit Diabolum, & nos abigere debemus, duobus illis verbis: *Vade Satana*. Septimò: *Per omnem orationem, & obsecrationem, orantes omni tempore in spiritu*. Sanè oratio est armatura potentissima, nedùm ad resistendum Diabolo, sed etiàm ad ipsum debellandum. *Plùs lædit Diabolum una oratio, quàm nos ejus offendat tentatio*. Scitissimè ait Joann. Trithem. [in cap. 7. Regul. S. Benedicti grad. 4.] Octavò tandèm: *Et in ipso vigilantes in omni instantiâ*. Quià promisit Dominus coronam vigilantibus.

486. Itàque, si Diabalus non statìm fugit, ex nostrâ provenit ignaviâ in resistendo. Nàm, si virilitèr, si quantum possumus, si generosè, & sinceriſsimè obsistimus, certò certiùs statìm fugiet Diabolus. Quòd si in bello isto spirituali, homo sopori se dederit, deliciis, & voluptatibus: si nèc vigili statione custodierit cordis sui januas; sua erit culpa, quòd hostis dolosè intret in ejus animam. Undè D. Hieronymus [Epist. 1. ad Heliodor.] sic exprobat hujusmodi ignavos, & dormientes: *Insidiatur hostis, ut ra-*

Digitized by Google

rapiat, & tu frondosæ arboris tectus umbraculo, molles somnos futura præda carpis.

Instabis. D. Cyprianus [Epist. 6.] loquens de hoste humani generis, ait: *Fortiorem magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso, quòd victus est, superantem superare conatur.* Similia habet D. Greg. [lib. 10. Epist. cap. 38., & lib. 3. Moral. cap. 8., & lib. 32. cap. 16.] Ergò Diabolus non subitò cedit homini ei resistenti; imò firmior, & fortior sistit in impugnando.

487. R. D. Cyprian. Gregor. aliosque PP. sic loquentes, arguunt contrà nonnullos, qui putabant, Dæmonem semèl victum recedere totalitèr: ità ut nèc ampliùs rediret ad tentandum illum, à quo fuit repulsus, sed ipsius loco alius substituitur Dæmon impugnator. Pro cujus intelligentiâ, sit

DUBIUM II.

An Diabolus semel victus ab aliquo, iterùm redeat ad tentandum eumdem?

488. FUit sententia Origenis [homil. 5. in Josue] Dæmonem semèl ab aliquo victum, statìm à Lucifero deponi ab officio tentandi, utpotè ignavum, & detrudi perpetuò in Infernum. Verùm hæc assertio est contraria Scripturæ; nàm Matth. [12. v. 44.] *Dæmon victus dicebat: Revertar in domum meam, undè exivi.* Dæmon quoquè, qui tentavit Job, etiàmsi sæpè victus fuerit, non fuit relegatus in Infernum. Undè D. Greg. [lib. 3. Moral. cap. 8.] ait: *Antiquus hostis, quo valentiùs vincitur, eò adhùc ad insidias ardentiùs instigatur.* Et S. Ambros. [lib. 4. in Luc.] de Diabolo, qui victus à Christo, recessit ab illo, inquit: *Postea non tentaturus, sed apertè pugnaturus advenit.* Nèc est aliqua ratio fingendi talem quasi punitionem Dæmonis victi, ut quià desidiosè tentavit, ideò detrudatur in infernum. Profectò, vèl hanc pœnam imponit Deus? & hoc est improbabile; quiá Deus non punit, nisi peccantem contrá ipsum; Dæmon autèm non peccat contrà Deum in eo, quòd remissè tentat; sed potiùs in eo, quòd tentat. Vèl Princeps Dæmoniorum imponeret illam pœnam? Idque est ridiculum: tùm, quià tantam non habet potestatem; quùm solius Dei sit definire tempora reclusionis inferni, aùt permissionis existendi in aere: Tùm quià Princeps tenebrarum hoc modo diminueret suum exercitum, & sic ageret contrà seipsum. Adde, quòd Dæmones non vincuntur ab hominibus proptèr negligentiam ipsorum Dæmonum, sed proptèr gratiam Dei dantis fortitudinem militibus suis. Rejectâ igitùr hâc opinione

489. Respondetur ad quæsitum: Diabolum semèl victum ab aliquo, recedere usquè ad tempus. Ità D. Thom. [1. p. q. 114. art. 5.] & cum eo Doctores omnes.

Patet Lucæ [4. v. 13.] ubi de Satanâ tentante Christum dicitur: *Consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab eo usque ad tempus.*

490. Verùm enim verò, Dia-

Digitized by Google

bolus victus ab aliquo v.g. de Gulâ, poteſt eumdem tentare de alio vitio, putà de Avaritiâ. Sed eumdem, & eodem modo ſe habentem, tentare nequit de eodem vitio. Ratio eſt, quam aſſignat Durandus [in 2. ſent. diſt. 6. q. 4.] quiá, omnis tentans, ſub ſpe alicujus victoriæ tentat; Atquí Dæmon, quantumcumquè perfectè victus ab aliquo quoàd Gulam, poteſt ſperare, quòd vincet eumdem quoàd Avaritiam; nám frequentèr qui non eſt prónus ad unum vitium, eſt proclivis ad aliud. Non poteſt tamèn ſperare, quòd vincet eumdem eodem modo ſe habentem, eâdem tentatione, vèl ſimili; Idem etenìm manens idem, natum eſt eodem modo, ac priùs, reſiſtere. Si tamèn proceſſu temporis mutatur ille, qui fortitèr reſiſtit, quiá nùnc non eſt ità benè diſpoſitus, ut priùs: redire poteſt Diabolus ad tentandum eumdem, & de illo eodem vitio, de quo priùs tentavit; poteſt enìm de eodem, malè diſpoſito ad reſiſtendum, ſperare victoriam.

491. Interdùm verò redit Diabolus ad tentandum eumdem de eodem vitio, de quo ipſe Diabolus fuit victus, ob gloriam, quam victor debet Deo, & ſibimet appropriat; vèl ob alias cauſas, quas dat D. Laurent. Juſtinianus [de interiori conflictu cap. 5.] *Heù! quotiès miles Chriſti brevi tempore luctatur viriliter, inimicos inſequitur, vitia reſecat, prævidet laqueos, atque virtutum reportat trophæum. Fit pro victoriâ lætus, efficitur in pace ſecurus, deponit arma, rigorem temperat, & è ſui languet cuſtodia. Deo autem permittente ſæpè contingit, ut repentè irruentes ſuper ſe ſentiat hoſtes, illiſque ſuccumbat; quoniam non ſicùt decuit, ſuum honorificavit Auctorem, ſed, de ſe præſumendo refrigvit. Quis, oro, ingratus fuit, & ſpiritualibus eſt locupletatus divitiis? Quis, inquam, pro ſibi irrogatis muneribus intumuit, & ſteriit? Comitentur ut plurimùm ſuperbia, & caſus. Dejeciſti eos, inquit Propheta* [Pſalm. 72.] *dùm allevarentur. Hoc utiquè didicerat ex ſe, quemadmodùm alio teſtatur in loco* [Pſalm. 118.] *dicens: Priuſquàm humiliarer, ego deliqui. Quoniám verò antè ruinam exaltatur cor, quicumque ſtare concupiſcit, efficiatur humilis, vigilet in ſe, & timoris ſancti maceriá ſepiat ſe: ſuper ſui cuſtodiâ oculos apertos habeat; ut certantem Diabolum adverſùm ſe in lumine fidei cernere queat.*

492. Ex his liquido conſtat, quòd Diabolus ſemper cedit homini reſiſtenti, & ſubitò fugit uſquè ad tempus. Veruntamèn deſignare nequimus temporis ſpatium, quo redit ad tentandum eumdem, à quo fuit victus; pendet enìm tùm à Deo permittente: tùm à Diabolo tentante: tùm ab homine reſiſtente: tùm ab aliis circumſtantiis. Deus enìm, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, vèl ad majorem ſuam gloriam: vèl ad coronam prætioſiorem certantibus paratam: vèl ut magis, magiſque confundat Tentatorem; aliiſque de cauſis incomprehenſibilibus, ſinit hoſtem tartareum redire ad impugnandum electos. Diabolus autèm, qui mille habet nocendi artes, nunc utitur unâ, nunc aliâ ad expugnandam arcem animæ. Homo verò, ſi animosè, ſi ſeriò, ſi citò, ſi quantùm poteſt, & debet, reſiſtit Diabolo, hic vilior, & tardiùs redit ad pu-

pugnam. Deniquè circumstantiæ tentationis non semper sunt eædem, sed sæpè mutantur: aùt ex parte dispositionum corporalium, vèl spiritualium hominis jàm tentati: aùt ex parte objecti, circà quod tentatur: aùt ex parte loci, temporis &c.

493. Itaquè non inficimur dari Tentationem Importunam, quæ multotiès viginti, aùt triginta, & pluribus duret annis; at non indè sequitur non esse infallibilem Jacobi sententiam: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Siquidèm Adversarius infernalis [ajunt Mysticæ Magistri] est velutì Musca, quæ abacta statìm fugit, sed iterùm, iterùmque, ac denuò redit. Musca igitùr stygia sempèr fugiet; redit tamèn, vèl quià homo perfunctoriè fugat illam: vèl quià se putat securum: vèl confidit in virtute suâ: vèl non dat Deo victoriam &c. Vèl quià Dæmon, qui tentavit, & recessit confusus, non valens irrumpere in hominem illum, vadit, & assumit alios spiritus nequiores se, & regreditur ad bellum cum cohorte scelesti. Vèl aliis de causis jàm relatis.

DUBIUM III.

Quomodò resistere debemus Diabolo, ut fugiat à nobis.

494. ADnotavimus suprà Dub. I. verba D. Petri, & ejus Co-Apostoli Pauli, quibus instruuntur Fideles ad certandum cum antiquo adversario; hìc lubet addere modum, quo eidem resistere debemus, & præscribit D. Dionysius Carthusianus [in verb. D. Jacobi: *Resistite Diabolo, & fugiet á vobis*] ait igitùr Sanctus Doctor: *Porrò Diabolo debemus resistere*: 1. *Spem nostram in Dei adjutorio collocando: nihìl de propriis viribus præsumendo.* 2. *Nosmetipsos in omnibus humiliando, & propriam infirmitatem, imperfectionem, vitiositatem humilitèr recognoscendo.* 3. *Divinæ pietatis subsidium jugitèr invocando.* 4. *Dominicam Passionem cordialitèr, ac frequentèr reminiscendo.* 5. *Quatuor novissima diligentèr, atque assiduè aspiciendo.* 6. *Tantò ferventiùs devotis insistendo exercitiis, quantò acriùs diabolicis impuguamur tentationibus. Sunt & alii modi resistendi quamplurimi. Debemus quippè ritè perpendere, quantis periculis simus expositi: quantis laqueis circumdati: quantá atrocitate, invidentiáque infatigabilitèr à Dæmonibus impugnemur: quantá felicitate nos privare, ad quantam miseriam nos pertrahere conetur. Ex quorum omnium vivaci consideratione debemus semper esse soliciti, custoditi, timorati: ac fortitèr, tamquàm Dei milites, contrà aciem vitiorum, ac Dæmonum præliantes; quàm teste Apostolo* [1. Timoth. 2.] *non coronetur, nisi qui legitimè certaverit.* [*Et fugiet à vobis*] *Videns vos sibi tàm viriliter, ac perseveranter resistere. Qui enìm modis prætactis resistit Diabolo, suis resistentiis tàm virtuosis, ac fervidis, ineffabiliter illum tàm contumacem, ac perversum afflixit, incendit, exagitat.* [*Ideò fugit*] Hæc S. Æstaticus.

Digitized by Google

REFLEXIO.

495. FElix pugna, in quâ homo, Dei gratiâ fortitèr armatus, cum hoste decertat inermi: felicior, in quâ Viator tot cum cœlestibus sodalibus, & quidèm inexpugnabilibus, dimicat contrà adversarium tartareum, qui solus est, atquè dejectus: felicissima, in quâ certò certiùs vincet homo, tantùm si vult. Internam cordis turrem cingit, obsidet, circumvallat Satanas; sed perperàm aggreditur, inanitèr pugnat, si homo dicat, & verè dicat, & constantèr dicat: *Nolo.* Undè D. August. (serm. 12. de Verb. Domini) ait: *Potes aurum perdere, & nolens: potes & domum; bonum autèm, quo bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis.*

Quanta igitùr erit ignavia, si in certamine isto succumbimus? „ Si quis ab adversario in jus vocaretur (exclamat piissimus Thomas Stapleton (in promptuar. moral. Dominica 5. post Epiphaniam) cum discrimine, non fortunarum tantùm, sed & capitis: qui tamèn adversarius nullas vires haberet, sed talis esset, ut solùm fortitèr se illi opponendo, & litem contestando, quilibet vinceret. Quis tám demens, aut ignavus esset, ut sese non opponeret, litemque strenuè contestaretur, ad omnia se responsurum paratum ostendens? Quis tàm ignavus, ut talem adversarium timeat, vel ab eo se vinci patiatur? At Diabolus talis adversarius est: per suas suggestiones, & tentationes in discrimen salutis æternæ nos vocat; sed solâ fide, idèst, solâ oratione fidei Deum invocando, & hoc modo ei resistendo, in fugam conjicimus. Nèc oratione tantùm fidei, sed & signo fidei, signo Crucis Dominicæ, adeòque solâ Nominis Jesu invocatione fugatur. Sic Divus Antonius, Maximus ille & Sanctissimus Eremita, sæpiùs rem expertus, dicere, ac suos docere solitus erat; ut in Vitâ ejus scribit Auctor gravissimus Sanctus Athanasius: *Ad primum, inquit, signum Crucis Dæmones evanescunt: ridendi potiùs sunt, quàm timendi. Quùm enìm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt.*

496. Obmutescant igitùr Pseudo-Mystici, qui *vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* (Psalm. 11. v. 2.) Ponderant tantummodò malitiam, iniquitatem, pervicaciam Dæmonis, qui *factus est, ut nullum timeret.* (Job. 41. v. 25.) Considerant solùm vires naturales hominis, quæ languidæ sunt, debiles, & fractæ; indè arguunt, neminem posse resistere Dæmonis potentiæ. Proh miseri! proh phrænetici! Ignorant Scripturas, seù veriùs, scire nolunt, Homo ex se imbellis est, enervis, & invalidus ad pugnandum cum hoste antiquo; at Deus *pedes Sanctorum suorum servabit.* Proùt gaudens canebat Anna Prophætissa (1. Reg. 2.) nè scilicèt corruant in culpam, nè cadant impulsi ab inimico prævalido. Fortes utiquè sunt adversarii nostri, & impii; sed *& impii in tenebris cõticescent,* [ibid.] nempè, ut dicitur: [Sapient. 17. v. 2.] *Dùm enìm persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanc-*

Digitized by Google

Etæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. Et dùm putant se latere, in obscuris peccatis, tenebrosæ oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati. Discant ergò Pseudo-Mystici, *quiâ non in fortitudine suâ roborabitur vir* [ibid.] Discant, quòd *Dominum formidabunt adversarii ejus* [ibid.] Discant, quòd Altissimus, *& super ipsos* (Pseudo-Mysticos) *in Cœlis tonabit.* Discant tandèm, quòd docuit D. August. [soliloq. cap. 25.] *Sperabam aliquandò in virtute meâ, quæ tamèn non erat virtus. Et quùm sic volui currere, ubi magìs stare credebam, ibi magìs cecidi. Quod magìs credidi posse per me, minus semper potui. Dicebam enìm, hoc faciam, illud perficiam: nec hoc, nec illud faciebam. Aderat voluntas, non erat facultas. Aderat facultas, non erat voluntas, quam de meis viribus confidebam. Nùnc autèm confiteor tibi Domine Deus meus, quiâ non in fortitudine suâ roborabitur vir. Non enìm est hominis velle, quod possit, aut posse quod velit, vel scire quod velit, & possit; sed potiùs à te gressus hominis diriguntur.* Causam dat idem S. Præceptor [17. de Civit. 4.] *Quùm enìm Dominus possidere nos ceperit, profectò adversarius, qui noster fuerat, ipsius fit, & vincitur à nobis, sed non viribus nostris; quiâ non in virtute suâ potens est vir.*

SECTIO IV.

An Deus permittat, Dæmonem vim inferre corporibus nostris, & violenter, ac physicè movere manus, aliaque corporis membra ad actus objectivè malos, turpes &c. nostrâ penitùs renuente Voluntate.

EN scopus nostri Operis. Ad hanc metam collineant Sectiones hactenùs exaratæ. Faxit Deus, ut veritatem sincerè vestigantes, à Spuriorum Mysticorum fallaciis amoveamus mentem. Adsit Christus Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, qui videre cupit intemerata: in quâ, & per quam lucent intelligibilia: Quæ non occidet, nisi nos ab ea occiderimus: *Nàm etiàm Sol iste*, inquit D. August. [in Joann. cap. 35.] *& videnti: faciem illustrat, & cæci: ambobus præsens est, sed præsente Sole, unus absens est. Sic & Sapientia Dei, Dominus Jesus Christus, ubìque præsens est; quiâ ubìque Veritas, ubìque Sapientia.* Et præclarè [lib. 20. Confess. cap. 26.] prosequitur: *Ubique Veritas præsides omnibus consulentibus te, simùlque respondes omnibus, etiàm diversa consulentibus: liquidè tu respondes; sed non liquidè omnes audiunt. Omnes undè volunt, consulunt, sed non semper, quod volunt, audiunt.* Animo igitur sobrio, fide sincerâ, omnique passione sepositâ, hanc pertractare oportet Sectionem, ut veritatem assequamur: *quam, qui videre non potest* (concludit S. Præceptor) [Epist. 112.] *pulsare debet, non ad hominem disputatorem, sed*

ad

ad Deum Salvatorem; ut quod non valet, valeat: ſupplexque illi, qui lumen mentis accendit, accendere, ut intelligat.

CASUS PROPONITUR.

497. „ SUpponitur, pœniten-
„ tem vèl directum,
„ ſivè fœminam, ſivè virum, diù
„ in vitâ ſpirituali exercitatum, &
„ non levibus incrementis in viâ
„ perfectionis provectum: di-
„ viniſque favoribus in ſpiritus
„ contemplatione perceptis, di-
„ tatum: ab humanâ, & præſer-
„ tìm mundiali converſatione ſe-
„ motum: ſanctis lectionibus, &
„ meditationibus vacantem: ſuo
„ Directori apprimè obedientem:
„ frequentiâ Sacramentorum mu-
„ nitum: nullius cultus vanitate,
„ ſed in victus, & veſtitus parſimo-
„ niâ, & modeſtiâ fulgentem: ac
„ cæteris veræ vitæ ſpiritualis ſi-
„ gnis ornatum. Nihilominùs, car-
„ nalis concupiſcentiæ, & ſenſua-
„ litatis ſtimulis ità vehementèr
„ agitari, ut non ſolùm in parte
„ inferiori eos motus, ac turpes
„ patiatur alterationes: ſed inter-
„ dùm, & aliquandò frequentèr
„ propriis actionibus, & tactibus
„ impuris uſquè ad conſummatas
„ effuſiones ſe polluat; quùm ta-
„ mèn anteà ſimiles turpitudines
„ oderit; & immediatè poſt, gra-
„ viſſimo dolore, & pœna corri-
„ piatur: adeoùt vellet ſeipſum
„ præ pœna diſcerpere.

„ In hoc igitùr caſu, à viris
„ fide dignis audivi, plures eſſe ex
„ Directoribus vitæ ſpiritualis, &
„ Myſticæ peritis, qui ſecurè di-
„ cent, eas actiones, & impuros
„ contactus, non eſſe imputandos
„ ad culpam; ſed habendos pro
„ exercitio purgationis paſſivæ,
„ cenſendoſque involuntarios, ſi-
„ vè violentos: & imputandos Dæ-
„ moni animam excitanti. Ex quo
„ ultrò aſſerunt, propter illos mo-
„ tus, & actiones, quantumvis
„ frequentes, non eſſe arcendum
„ pœnitentem à frequentiâ Sacra-
„ mentorum, nec à quotidiano
„ pabulo Euchariſtiæ: nec turban-
„ dos, ſed potiùs ſedandos ſimi-
„ lium conſcientias; aſſecurando
„ illos de non peccato, nèc culpâ
„ in prædictis actionibus, & conta-
„ ctibus: & quòd, ſinè prævia illorum
„ confeſſione, accedant ad Eucha-
„ riſtiam; ut ſic ſcrupulum depo-
„ nant, ſicuti fieri ſolet in aliis
„ ſcrupulis merè talibus.

Hic eſt caſus, quem proponit Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Antiſtes, Dominus D. Franciſcus Palanco Ordinis Minimorum [tom. 1. Theol. de peccabilitate, & impeccabilit. q. 11. á num. 33. fol. mihi 301.] ubi Doctor ille piiſſimus, ac celeberrimus ſingulari zelo, ac perſpicuitate impugnat talium Directorum impudentiam, & errorem intolerabilem. Nos autèm extendimus caſum, non ſolùm ad hominem, qui vi Dæmonis propriis actionibus ſe polluat: ſed etiàm ad illum, qui ab ipſo Dæmone viſibilitèr, aut inviſibilitèr polluitur violentèr, adhùc ſinè ope manuum illius miſerrimi patientis. In utroque igitùr ſenſu quærimus: An Deus permittat Dæmoni vim inferre corporibus noſtris, ac phyſicè movere manus, aliaque corporis membra ad actus objectivè malos, turpes &c. noſtrâ voluntate omninò renuente?

SUB.

Digitized by Google

SUBSTRUUNTUR FUNDAMENTA.

CAsus non habet locum apud eos, qui nullam tribuunt Dæmoni potentiam naturalem physicam motricem; hi namquè omnem de medio tollunt quæstionem; nos autèm ultrò, cum communi Doctorum, concedimus Dæmoni talem potentiam, quæ movere possit physicè, & violentèr, violentiâ quidèm absolutâ, nostri corporis membra, imò & totum corpus: & sanè omninò repugnante nostrâ voluntate, ejusque imperio in contrarium minimè obstante. Id, inquam, concedimus, ut casus locum habeat: ac etiàm ut potiori jure insurgamus contrà Pseudo-Mysticos hujus ævi, qui pervicacitèr sustinent, dari casum propositum.

498. Verùm enimverò, ad deridenda horum deliramenta, Lector Catholicus, & Theologus advertere debet. 1. Quòd in utroque casu, vir, aùt mulier necessitaretur, necessitate quidèm physicâ, ad sentiendam delectationem illam carnalem, quæ naturalitèr, & necessariò insurgeret ex illâ motione externâ sensuali, seù ex confricatione pudendorum, & multò magis ex effusione seminis. Siquidèm *ex tangibili, & tangente resultat inimpedibilitèr sensatio*; ex Philosophiâ: & quidèm in casu, talis sensatio delectabilis, seù tanta voluptas, quâ majorem homo sentire nequit; ut omnes fateri necesse est. Ignis enim concupiscentiæ carnalis accenderetur, & creſceret usquè ad consummationem; & consequentèr usquè ad permaximam delectationem sensualem.

499. Advertend. 2. Hominem in tali deplorabili statu constitutum, necessitari, necessitate quidèm morali, ad consensum in eâ carnis oblectamentâ, & sic ad peccandum moralitèr. Porrò necessitas moralis ad peccandum importat complexum ex sufficientiâ, seù potentiâ physicâ ad bonum: & necessitatem moralem ad malum: cui necessitati morali correspondet impotentia moralis; nàm cuilibet necessitati correspondet impossibilitas. Ità v. g. si necessarium est ægroto sumere medicinam, ut sanetur: impossibile est ipsum sanari, si non biberit medicinam &c. Impotentia verò moralis, quamvis conjungatur cum sufficientiâ physicâ, adhùc tamèn est impotentia simplicitèr dicta; ut advertit Viva [in Prop. 6. damnatâ ab Alexand. VIII. num. 15.] & nos adnotavimus [Dissert. 1. de Tentat. in genere Sect. 3. num. 90.] Videantur, quæ ibi diximus ex Suarez [de Grat. p. 1. cap. 24. n. 31.]

In casu igitùr nostro, Mulier, aùt Vir tot, ac talibus vallatus circumstantiis, redderetur moralitèr impotens ad non consentiendum delectationi carnali. Supponitur enìm, 1. Dæmonem nunquàm cessare á fœda confricatione pudendorum, usque ad seminis fluxum. 2. Appetitum Sensitivum necessariò, & vehementèr inflammari ad libidinem. 3 Patientem sustinentem violentèr illos motus turpes, volentem, nolentem, sentire delectationem veneream, quæ naturalitèr, & inimpedibilitèr oriretur ex eis. 4. Passionem sensualem, & impetuosam debilitare mentem illius patientis, ità quòd Intellectus non satìs applicaret, ut attenderet, & con-

Digitized by Google

& considerarèt, quantum esset necessarium ad resistendum. His omnibus simùl concurrentibus, prout in casu concurrunt, oritur in homine sic tentato quædam moralis impotentia ad resistendum; prout oporteret, constanter: seù necessitas moralis ad consentiendum delectationi venereæ. Ratio est, quia licèt voluntas sit libera, nec cogi possit ab aliquo; physicè loquendo; multum tamèn pendet in usu libertatis à consideratione, & attentione Intellectus, atque ex inferioris appetitus affectione, quæ multùm movet, & post se trahit Voluntatem, & ità cogi potest moraliter; ut dicebamus suprà Sect. 2. n. 444. Videantur Suarez [de Grat. part. 3. cap. 8. n. 16. & 17.] Adde, quòd in casu bonum sensus, seù delectabile esset præsens; imò internum, & intimum: bona autèm rationis præcipua forent futura; quis autèm ignorat, quòd objectum præsens magis movet, quàm futurum? Objectum quoquè sensus est vicinum, propinquum, & affine, imò & pars ejusdem hominis: objectum verò Intellectus est longè remotum, abditum, nèc nisi tenuitèr penetratur. Quùm igitùr Dæmon, in casu, incessantèr moveret, & simùl eodem tempore, tùm interiùs humores aptos ad excitandum concupiscentiæ Vessuvium: tùm exteriùs pudenda, quæ non subjacent imperio rationis, & Voluntatis; quis negare potest, quòd homo ità undique oppugnatus, ut intùs impellatur á semetipso; & foris compellatur à Dæmone; sit moraliter impotens ad resistendum tali tentationi, quâ major excogitari nequit, & in necessitate morali ad consentiendum? Quod, ut meliùs intelligatur

500. Advert. 3. Quòd ex quolibet actu obscœno octo effectus per se oriuntur. Ex D. Thom. [2. 2. q. 153. art. 5.] quos enumerat S. Doctor, nempè; *Cæcitas mentis: inconsideratio: præcipitatio: incostantia: amor sui: tædium Dei: affectus præsentis sæculi: horror, vel desperatio futuri.* Quatuor priores pertinent ad Intellectum; posteriores verò ad Voluntatem; ut benè hìc notavit Cajetanus.

501. Quomodò autèm isti effectus oriantur per se ex actu luxurioso, optimè explicuit Angelicus Doctor [ibid.] *Quandò inferiores potentiæ afficiuntur vehementèr ad sua objecta, consequens est, ut superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus. Per vitiam autèm luxuriæ, maximè appetitus inferior, scilicèt concupiscibilis, vehementèr intendit suo objecto, scilicèt delectabili, propter vehementiam passionis, & delectationis; & ideò consequens est, quòd per luxuriam maximè superiores vires deordinantur, scilicèt, ratio, & voluntas.*

Pergit deindè S. Præceptor, & explicat modum, quo actus Intellectus, & Voluntatis impediuntur à suâ rectitudine. Et quidèm incipiens à cœcitate mentis, ait: *Primò quidèm simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum. Et hic actus impeditur per luxuriam; secundùm illud Daniel.* [13.] *Species decipit te, & concupiscentia subvertit cor tuum; & quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis. Secundus actus est Consilium de his, quæ sunt agenda propter finem. Et hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ; undè Terentius dicit* [*in Eunucho*] *loquens de amore libidinoso* [*quæ res in se*

ne-

Digitized by Google

neque consilium, neque modum utilem habet, ea consilia regere non potest] *Et quantum ad hoc ponitur Præcipitatio, quæ importat subtractionem consilii. Tertius actus est judicium de agendis: qui etiàm impeditur per luxuriam; dicitur enim* [*Daniel.* 13.] *de senibus luxuriosis* [*Adverterunt sensum suum, ut non recordentur judiciorum justorum*] *& quantùm ad hoc ponitur Inconsideratio. Quartus autèm actus, est præceptum rationis de agendo: qui etiàm impeditur per luxuriam: in quantùm, scilicèt, homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, nè exequatur id, quod decrevit esse faciendum. Undè Terentius dicit* [*in Eunucho*] *de quodam, qui dicebat, se recessurum ab amicâ, hæc verba: lachrymula restringet.*

502. Explicat deindè ea vitia, quæ spectant ad Voluntatem, pullulantia ex actibus luxuriosis, scilicèt: Amorem inordinatum sui, quærentis pro fine delectationem: Tædium Dei, ut prohibentis eam delectationem. Amorem præsentis sæculi, pro delectatione illâ non amittendâ: Horrorem futuri; *quià dùm nimìs detinetur carnalibus, non curat pervenire ad spiritualia, sed fastidit.*

Id totum priùs dixerat D. August. [apud P. Adamum Contzen lib. 3. Politic. cap. 13. §. 6.] his verbis: *Libido luxuriæ ità totum corpus interiùs, & exteriùs sibi vindicat, & totum commovet hominem, affectu animi, & appetitu carnis conjuncto, ut sequatur voluptas omnibus corporis voluptatibus major: ad ejus tamèn pervenitur extremum, ut penè omnis acies, & vigilia cogitationis obstruatur.*

503. Et quamvìs D. August., Doctor Angelicus, & alii Patres loquantur de effectibus relatis, proùt oriuntur ex actu obscœno voluntariè patrato, & peccaminoso; nihilominùs negari non potest, quòd etiàm per se pullulant ex actu venereo, qui patitur ab invito; licèt non in gradu tàm intenso, sicùt ii, qui oriuntur ex actu turpi voluntario. Ratio est, quià tactus impudicus, eò vel maximè si fuerit vehemens [etsi involuntarius] est causa per se determinans ad delectationem, & pollutionem: magìs, magìsque si fuerit confricatorius; maximè verò si fuerit assiduus, & continuatus: Idquè proptèr naturalem sympathiam, & connexionem commotionis spirituum carnalium, & delectationis venereæ; ut dicebamus [Differt. 2. de Tentatione Carnis Sect. 1.] ubì plura hâc de re adnotavimus, quæ omninò videnda erunt. In quo sensu dicitur [Eccli. 13.] *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ*; idèst, exponit Hugo & S. Charo: *Ipso tactu; quià macula, vèl malus odor remanet in manu, etiàm ejecta pice.* Rationem assignat D. Thom. [3. p. q. 83. art. 5. ad 1.] *Quià manus est organum organorum.* Et [1. p. q. 76. art. 5. in corpore, & q. 101. art. 3. ad 1.] ait: *Omnes alii sensus fundantur suprà tactum.*

504. Advert. 5. Quemlibet tactum venèreum esse intrinsecè malum; ut omnes fatentur Theologi. Ut autèm id benè percipiatur; sciendum, quòd duobus modis aliquid dici potest intrinsecè malum, seù contrà jus naturale negativum: vèl malitiâ intrinsecâ, & absolutâ, absque alio respectu ad extrinsecum: Ità erit mentiri; quià ex virtute veracitatis, tenetur quilibet jure natu-

Digitized by Google

rali proferre verba consona menti: sic dicendum de Blasphemiâ, Odio Dei, & similibus. Vèl dicitur malum tantummodò respectivè, seù per denominationem extrinsecam à malitiâ, quæ reperitur in aliquo fine malo, ad quem ordinatur. Sic esset reddere ensem furioso, aùt alteri, quem scio velle uti in grave damnum alicujus. Hoc enim diceretur malum, solâ denominatione extrinsecâ, nempè respectu ad homicidium, ad quod à petente gladium ordinatur, vel cujus imminet periculum, si restituatur. Aliis vocabulis, malum malitiâ intrinsecâ, & absolutâ, dicitur malum ex objecto: malum verò ex malitiâ finis &c. dicitur malum ex circumstantiis.

505. Præterea, quæ ex objecto, seù naturâ suâ mala sunt, adhùc distingui solent: aliqua enim opera, sivè interna, sivè externa, ità secundùm se, intrinsecè, & ex objecto sunt mala, ut nullo fine, nullâ concessione, nullâ additâ circumstantiâ, possint fieri bona; quià eorum malitia emanat ab ipsorum substantiâ, secundùm se consideratâ. Ejusmodi sunt [interiora] Infidelitas, Odium Dei; [exteriora] Idolatria, Blasphemia, Mendacium &c. Aliæ verò sunt actiones, quarum malitia non oritur ex eorum substantiâ, secundùm se consideratâ, sed cum quibusdam circumstantijs, quæ adesse possunt, & abesse substantiæ actionum illarum. Hæ actiones, licèt jure ipso naturali, & ex objecto sint malæ; tamèn ex malis effici possunt bonæ; quià circumstantia illa, quæ est necessaria ex parte objecti, ut oriatur malitia, mutari potest, aut voluntate Dei, aut aliâ ratione; prout discurrunt Scholastici.

506. Actus autèm turpis, seu venereus, secundùm se, intrinsecè, & objectivè, est ità malus, ut nullâ ratione, nullâque circumstantiâ cohonestari possit. Idque omnes fateri debemus. Quamobrèm, omnes docent Theologi, non licere cuiquam, ob quemcumque finem, ob quodlibet motivum dare consilium, multominùs invitare aliquem, etsi rationis impotem, ut cum muliere non suâ, etiàm rationis impote, actus habeat turpes; quamvis actibus illis non sint peccaturi, defectu judicii, & libertatis. Nam, actus hujusmodi sunt illiciti ex objecto; ideòque nec facere licet, nec procurare, aut causam esse, neque in se, neque in alio, estò ille alius non sit peccaturus, ob defectum rationis, & libertatis; dicente Apostolo [ad Ephes. 5. v. 3.] *Fornicatio, aut omnis immunditia, non nominetur in vobis, sicùt decet Sanctos.*

507. Verùm, tactus verendorum, quamvis præcisè, seù metaphysicè considerati, ut tactus, nec boni sint, nec mali, sed indifferentes; attamèn moralitèr, & proùt tactus verendorum, sunt ex se intrinsecè, & objectivè mali; nam sunt valdè indecentes, & contrarii honestati naturali; undè *Verendorum* sortiti sunt vocabulum. Tùm quià, ex seipsis sunt valdè provocativi ad Venerem. Tùm quià, secundùm se ordinantur ad delectationem libidinosam, & copulam. Hìnc, etiàm præcisâ quâcumque pravâ intentione tangentis, sunt ex se mali. Undè Cajetanus (2. 2. q. 154. art. 4.) ait: *Actus isti, quatenus secundùm tactus delectabiles sunt, directè, & per se ordinati sunt à naturâ ad concubitum, ut in aliis animalibus natura testatur. Non referre hos actus, ut delectabiles, ad*

suum,

Digitized by Google

suum, quantùm in se est, finem, non aufert illis propriam speciem; quâ propriam speciem habent ex hoc, quòd secundùm se ordinantur ad talem finem: sicùt de seminatione humanâ dictum est, quæ non ex fine OPERANTIS, sed ex fine OPERIS secundùm se specificatur.

Nec ex eò quià tactus hi facti ex rationabili causâ, v. g. medendi, mundandi &c. sunt liciti, indè sequitur, quín sint ex se mali. Profectò in hisce casibus amittunt quidèm turpitudinem moralem; sed turpitudinem retinent naturalem, & ex parte objecti; ut loquuntur Casuistæ. Ex quo igitùr tactus verendorum licitè fieri possunt ex causâ rationabili, solùm infertur, quòd malitia non est annexa speciei illorum [juxtà phrasim D. Thom. 2. 2. q. 154.] ideòque in aliquo casu possunt malitia expoliari: ad differentiam eorum actuum, qui secundùm eorum speciem sunt mali: uti esset Odium Dei, Infidelitas, Mendacium &c. quapropter in omni casu, & circumstantiâ semper retinent malitiam.

508. Adverto 6. Displicere Deo, hominem pollutum, etsi involuntariè, accedere ad purissimum Christi Corpus, absque aliquâ, saltèm displicentiâ illius immunditiæ involuntariæ. Idque patet [Levit. 15. v. 2.] *Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit &c.* Quem locum exponens eruditissimus Calmet, inquit: „ Verùm, harum omnium legum rationem „ nobis exhibet Moyses paulò inferiùs num. 31. ubi ait: Deum „ nolle, quòd ejus populus immunditiis suis ejus Tabernaculum „ fœdet: perindè ac si vellet innuere, Deum à Populo suo, „ quùm sit veluti familia ejus, ejus „ servi, & Sacerdotes, & in castris commoratur, uti in loco „ sancto, & ob ejus præsentiam, „ & Tabernaculum sacro, perfectam exposcere puritatem: & „ nè involuntarias quidèm pati in „ ipso impuritates, quin eum ad „ se expiandum cogat, quasi reum „ peccati contrà reverentiam, quæ „ Majestatis ejus præsentiæ jure „ meritò debetur. Quùm probè „ intellexerimus, voluisse Deum, „ quòd Populus ejus coràm ipso „ viveret, uti Sacerdotes in templo; in his cunctis legibus nihil, „ quod nimis rigidum videri queat, „ invenietur.

509. Indè Sotus [in 4. dist. 12. art. 7. Conclus. 2.] cum Alensi, & aliis ab eo relatis, docet: „ Pollutionem non peccaminosam, „ seú involuntariam, & nocturnam, ex quâdam congruentiâ „ impedire Eucharistiæ sumptionem; tùm propter corporalem „ fœditatem, quæ semper accidit, „ eum quâ, propter reverentiam „ Sacramenti, non decet ad Altare accedere: tum propter evagationem mentis, quæ nocturnam pollutionem subsequitur. „ Undè Carthusiensium mos est, „ & institutum: ut nocte, etiàm „ citrà culpam polluti, manè non „ solùm non celebrent, verùm neque accedant ad gradum Altaris. Hæc laudatus Sotus, qui ibidèm, §. Secundùm argumentum, allegat D. Hieronymum supèr Matth., ubi Doctor maximus ait: *Quod si Achimalech, ut 1. Reg. 21. legitur, noluit Davidi panes sanctos propositionis concedere, nisi certior factus, quòd sui uxores non tetigissent: quantò magis panis, qui de*

Digitized by Google

Cœlo descendit, non potest iis, qui paulò antè conjugalibus vacavere amplexibus, violari, atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus, sed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi sumus, vacare carnalibus oportet, non debemus. Prosequitur idem Sotus: „ At quoniàm „ impedimentum non est de necessitate; ait Gregorius; relinquendum esse eorum judicio. At „ verò, si in ipsâ conjugali operâ „ voluptas dominatur; ut ibidèm „ Hieronymus subdit; tunc prohibeti debent conjuges, nè ad „ Sacramentum accedant. Haùd „ tamèn intelligas, peccatum esse mortale accedere, si non præcessit mortale in opere, cujus „ reatu manet.

510. An autèm accedere ad Eucharistiam involuntariè pollutum, sit peccatum veniale? non decidit præcitatus Sotus; sed videtur inclinare ad partem affirmativam. Alensis verò [4. part. q. 47. memb. 1. art 1. in solutione ad 1.] dit: *Licèt pollutio non fuerit peccatum, displicet tamèn Deo pollutum accedere.* Videatur Gerson de materiâ celebrationis, considerat. 7.

511. Deniquè, idem Sotus, cum Medinâ, Azor. Sylvio [2. 2. q. 154. art. 5.] & aliis Theologis magni nominis, putat, non licere delectari de opere ex se malo, etsi commisso sinè culpâ, v. g. in amentiâ, in somno, aut ex violentiâ illatâ; utì esset pollutio. Quam opinionem Honoratus Tournely [Theol. moral. part. 2. de Peccatis p. 2. cap. 4. art. 2. §. Quæres 5.] vocat veriorem; & rationes dat. 1. Quiâ objectum hujusce delectationis est malum in se, licèt ille, qui nescientèr, aut violentèr posuit, immunis sit à culpâ. Ergò & malum est voluntariè de illo delectari. Probat anteced. 1. Quia opus illud, ex naturâ rei, est difforme rectæ rationi. 2. Quia si malum non esset, liceret illud scientèr velle, & procurare. 3. Quia non licet opus objectivè malum propter bonum finem desiderare; quis enim putat licitum esse Virgini desiderare, ut quùm ipsa erit in somno, aut mentis impos ab aliquo corrumpatur, ut evadat è manibus Tyranni, qui eam corruptam à se abjiciet? 4. Quia damnatæ sunt ab Innoc. XI. Propositiones istæ: 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidèm ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quiâ nimirùm obventura est ei pinguis hæreditas.* Et 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.* Ergò, sicutì non est licitum gaudere de homicidio inculpatè facto, ità nèc de opere objectivè malo, v. g. de pollutione &c.

Hæc autèm obitèr dicta sunt, ut æquâ lance pensitemus, omnem carnalem immunditiam displicere Deo, etiàm involuntariam.

512. Advert. 7. Deum omnia disposuisse fortitèr, suavitèrque, in pondere, numero, & mensurâ: ac statuisse rerum seriem, nexum, & ordinem causarum naturalium, quem Philosophi, ac Theologi appellant *Legem universi*. Quod patet in constantissimo syderum motu, cujus varia phænomena, calculo subducto vel in mille annos prædici possunt. Qui causarum naturalium ordo, seu cursus à nemine immutari potest, nisi à solo Deo Auctore naturæ, cujus nutui, & voluntati omnia obediunt; juxtà illud

[Job

Digitized by Google

[Job 9. v. 7.] *Qui præcipit Soli, & non oritur: & Stellas claudit quasi sub signaculo.* At ipsemet Deus finit causas secundas suos motus agere, & suâ altissimâ providentiâ sese accommodat rebus creatis, & ità suam curam impendit, ut necessariis necessaria, liberis libera media subministret convenientia ad assequendum debitum sibi finem; ut disertè docet D. Dionys. [de Divinis nominibus cap. 4.] *Providentia uniuscujusque naturæ est salvativa: per se mobilia providet, ut per se mobilia, & tota particularia, juxtà proprietatem totius, & uniuscujusque, in quantùm provisorum natura suscipit, totius providentiæ proportionaliter attributas unicuique provisas bonitates.*

513. Ex quo intelligimus, cur Dæmones non eradicent arbores? montes non transferant? non causent fluviorum, marisque inundationem? non prohibeant ventorum vim? vacuum non efficiant? bruta, hominesque non occidant? & non faciant similia, quæ facere possent per motum localem? Quia, scilicèt, quamvis possint secundùm eorum naturalem potentiam, & maximè cupiant semper iniquâ voluntate; nequeunt tamèn, quià eorum potestas est sub potestate, nimirùm, subest voluntati Divinæ, cujus legibus est alligata. Quùm igitur ordo Universi certis Dei legibus sit præfinitus, Dæmones simplicitèr invertere illum non valent: nèc dissolvere nexum rerum: nèc impedire cursum naturæ: nèc alia facere, quæ perturbare possent concentum Universi.

514. Multominùs, quoàd id, quod spectat ad morale, non poterunt Dæmones nèc pervertere, nèc impedire bonum publicum, ejusque regimen. Non quidèm ex defectu virtutis naturalis; sed quià non permittuntur à Deo: Non permittuntur autèm, quià sic exigit suavis Dei providentia, bonum commune, & consuetus vivendi hominum mos. Indè extat opinio, nedùm á vulgo decantata, sed ab ipsis etiàm Doctioribus recepta, quòd Dæmones nocere non possunt Judicibus, qui Deum præ oculis habentes, rectè, ac ritè suo fungantur munere. Undè Nidar [in formicario cap. ult.] inquit: *De publicâ verò justitiâ omnes malefici, qui suprà verbo, & experientiâ testimoniũ dederunt, quòd eò ipsò, quòd per reipublicæ justitiæ officiales capiuntur, statìm omnis maleficiorum enervatur potestas. Undè, quùm sæpè dictus judex Petrus, antè forum Studelein capere vellet per suos famulos, tantus tremor manibus eorum incussus est, & corporibus, & naribus illapsus tàm malus fœtor, ut ferè desperarent, an maleficum invadere auderent: quibus judex ait, securè miserum invadite, quiá tactus justitiâ, omnes vires perdet suæ nequitiæ; prout de facto evenit.* Paulus quoquè Grillandus [de Sortilegiis cap. 9.] quærens: *Quarè Sortilegi incarcerati, & in publicâ custodiâ detenti, non utantur arte suâ?* Respondet: *Deus impedit potentiam Dæmonis in quibusdam, ad observationem Christianæ Fidei; quià aliàs Fides ipsa Christiana paulatìm tota subverteretur, majoremque potestatem videretur habere Diabolus, quàm Deus, & Judex, qui est minister Dei.* Quod priùs docuerat [ibid. cap. 7. §. ad tertium dico] *Dæmones non possunt extendere eorum vires contrà justitiam humanam,*

nam, & eripere captivos de manibus publicæ justitiæ, quòd Deus non permittit. Aliàs sequeretur, quòd Dæmonis potentia esset suprà Divinam: & quòd Justitia omninò periret, & jura omnia subverterentur. Quod Deus nullo modo patitur. Vide Malleum Maleficorum, ubi pluriès id repetitum invenies.

515. Eâdem suavissimâ, & fortissimâ providentiâ, Deus non permittit Dæmoni vim inferre hominibus, hosque cogere ad actiones contrà semetipsos, aut contrà proximum, vel contrà Deum. Posset utique Dæmon, attentâ facultate suâ naturali, compellere homines, ut laqueis sese suspendant: manus injiciant in alios, occidendo, rapiendo &c. violentèr genuflectant ante Idolum, & vi aperiendo eorum manus, ac thus imponendo, manusque tandèm resolvendo super ignem ante Idolum existentem, ut ita thurificarent Simulachro &c. Posset, inquam, Dæmon cogere homines, & violentiam inferre absolutam ad hujusmodi actiones malas; Deus autèm non permittit; ut scitissimè advertit Claudius Guilliaudus Belliacensis [in cap. 4. Matth.] *Satan, ubi filios Dei tentat, non hoc agit, ut ipse illos præcipites ad ruinam suaptè virtute impellat; sed ut ipsi sese ultrò præcipitent. Et præterea non est in manu illius, ut filios Dei violentiâ suâ quòvis impellat. Ut tentet, hoc habet permissu Dei; ut præcipitet non itâ. Hinc est, quòd non ipse desperabundos, vel in foveam abjicit invitos, vel laqueis trahi annectit, vel cultris trucidat; sed tentationibus suis eò ducit, ut sibi ipsis ultrò manum inferant.* Rationem suprà tetigimus, ob bonum, scilicèt, commune, & suavem Dei providentiam. Nam si Deus tantam Dæmoni permitteret potestatem, permagnus aperiretur campus hominibus flagitiosis, qui in criminibus etiam enormissimis ab eisdem patratis, excusationem haberent de peccatis suis, & dicere possent. *Id ego nolo; mihi displicet: invitus facio: Dæmonis violentia me compellit.* Et ita impunè cujusvis generis committerent facinora contrà seipsos, contrà proximum, contrà Deum: nullus convinci posset verè culpabilis: & Justitia punitiva tolleretur de medio. Nè itaque tanta, ac talia oriantur absurda, quæ Religionem, Charitatem, Justitiam, cæterasque everterent virtutes, Deus non permittit Dæmoni vim inferre hominibus, ut, ipsis renuentibus, delicta patrarent. Quâ stantè veritate, delinquentes damnantur ad pœnas sibi debitas; etsi jurejurando affirment ope, & violentiâ Dæmonis deliquisse. Et quidèm meritò, & justè damnantur; quia perjuri sunt, nec aliquo pacto eorum dictis credere debemus; sed potiùs graviori pœnâ puniri debent; proùt jam puniuntur, ut Lex præcipit.

Quùm ergò simus certi, & experientiâ confirmati, Deum non permittere Dæmoni vim inferre hominibus omninò renuentibus ad actiones malas mox prætactas; descendimus ad casum jam propositum, & quærimus: An Deus permittat, Dæmonem vim inferre corporibus nostris, & violentèr, ac physicè movere manus, aliaque corporis membra, ad actus objectivè malos, turpes &c. dùm homo adhùc vigil, & sui compos est: & sanè contra ejus voluntatem prorsùs renuentem: itaùt homo nullo modo, nèc quidèm interpretativè, cen-

Digitized by Google

censeatur consentire? Idquè eveniat, vel immediatè ab ipso Dæmone movente violentèr, & per semetipsum hominis manus, aliaquè corporis membra: vel ab eodem homine coacto à Dæmone ad exercendos illos actus turpes? Quæstio movetur tùm de potentiâ Dei ordinariâ, tùm de extraordinariâ. Ideò

516. Advert. 8. Communissimam illam distinctionem Divinæ Potentiæ, in *Ordinariam*, & *Extraordinarium*. Dicimus *Potentiam Dei Ordinariam*, quatenùs Deus alligatur, vel se accommodat legibus suæ ineffabilis Providentiæ; ut docet Suerez [de Angelis lib. 7. cap. 20. n. 54.] seù, Potentia Dei dicitur *Ordinaria*, quùm non excedit consuetum Providentiæ cursum; juxtá effatum D. August. [lib. 26. contrà Faust. cap. 3.] *Hanc etiàm appellamus Naturam, cognitum nobis cursum, solitumque naturæ.* Undè laudatus Suarez [ibidem lib. 1. cap. 15. n. 7.] advertit, quòd oportet per legem *Ordinariam* intelligere legem fundatam in ipsis rerum naturis: & ità debitam, ut contraria lex, prætèr, vel suprà naturas talium rerum sit. Indè in fine ejusdem numeri concludit: tunc Deum operari potentiâ *Ordinariâ*, quùm operatur secundùm communem cursum: nihil supernaturale, vel modo supernaturali agendo, sed tantùm ut causa ordinis naturalis. Hoc idem ex Scoto docet eruditissimus Mastrius [in 1. sent. disp. 2. q. 4. art. 5. n. 213.] nimirùm, tunc dici Deum operari secundùm Potentiam *Ordinariam*; quandò agit juxtá leges universales jam ab ipso latas, tùm in ordine naturæ, quàm gratiæ.

517. Consequentèr dicimus, Deum operari *Potentiá Extraordinariá*, quandò prætèr, aut suprà, vèl contrà consuetum suæ Providentiæ cursum, seù leges universales ab ipso latas, in ordine naturæ, aut gratiæ aliquid operatur. Hos terminos clarissimè declarat D. Th. [de Pot. q. 6. art. 2. ad 3.] his verbis: *Circá ea, quæ Deus miraculosè facit, talis solet adhiberi distinctio: quòd quædam dicuntur fieri suprá naturam, quædam contrà naturam, quædam prætèr naturam. Suprà naturam quidèm, in quantùm in illum effectum, quem Deus facit, natura nullo modo potest: sicutì forma gloriæ, quam inducet Deus corporibus electorum: & sicùt etiám Incarnatio Verbi. Vèl quià, etsi talem formam possit in aliquam materiam inducere, nonnamèn in istam: sicùt ad causandam vitam natura potens est; sed quòd in hoc mortuo naturá vitam causet, hoc facere non potest.*

518. *Contrà naturam esse dicitur, quandò in naturá remanet contraria dispositio ad effectum, quem Deus producit: sicùt quandò conservavit pueros illæsos in camino, remanente virtute comburendi in igne: & quandò aqua Jordanis stetit, remanente gravitate in eá: & simile est, quòd Virgo peperit.*

519. *Prætèr naturam autèm dicitur Deus facere, quandò producit effectum, quem natura producere potest; illo tamèn modo, quo natura producere non potest; vèl quiá deficiunt instrumenta, quibus natura operatur (sicùt quùm Christus convertit aquam in vinum. [Joan. 2.] quod tamèn natura aliquo modo facere potest, dùm aqua, in nutrimentum vitis assumpta, suo tempore in succum vitæ perdigesta producitur) Vèl quiá est in Divino opere ma-*

Digitized by Google

major multitudo, quàm natura facere conſuevit: ſicùt patet de ranis, quæ ſunt produ&ctæ in Ægypto. Vèl quantùm ad tempus: ſicùt quùm ſatìm ad invocationem alicujus Sancti aliquis curatur, quem natura non ſtatìm, ſed ſucceſſivè, & in alio tempore, non in iſto, curare poſſet: & ſic accidit in miraculo indu&to de Socru Petri. Undè patet, quòd omnia hujuſmodi, ſi accipiatur & modus, & factum, facultatem naturæ excedunt.

520. Advert. 9. Objectum totale, & adæquatum Divinæ Omnipotentiæ, eſſe omne illud, quod non repugnat, aut ex parte ſui, aut ex parte Dei. Porrò Impoſſibile duobus modis eſſe poteſt, idèſt: abſolutè, & in ſe, quatenùs implicat, & repugnat in genere Entis: Alio modo, in quantùm eſt indecens, & imperfectum. Deo autèm non ſolùm eſt impoſsibile quidquid in genere Entis involuit repugnantiam; ſed etiàm, quæ Divinis Attributis ſunt repugnantia; quià hæc etiám involvunt contradictionem, comparata cum Divinis Attributis. Ratio eſt, quià potentia non poteſt exire in actum, niſi ut applicata per voluntatem: atquí voluntas Dei non poteſt velle, niſi juſta, & decentia ſuam Bonitatem &c. & ad hoc eſt naturâ ſuâ determinata quoàd ſpecificationem; ut doctiſſimè advertit Suarez [de Deo lib. 3. cap. 9. n. 21. & latè diſſerit in Opuſcul. Relect. de libertat. Divinâ diſp. 2. ſect. 1. per tot.]

521. Id egregiè declarat noſter Trigoſius [part. 1. q. 5. art. 3. dub. unic.] ex D. Bonav. [in 1. ſent. diſt 42. q. 3.] Duplicitèr poteſt Deus conſiderari reſpectu eorum, quæ dicitur poſſe, vèl non poſſe facere: Uno modo, quoàd potentiam infinitam, abſtrahendo ab ordine Sapientiæ, & Bonitatis, qui ſumitur ex fine intento. Altero modo poteſt conſiderari, quatenùs poteſt operari, non ſolùm potentèr, ſed etiàm ſapientèr, & perfectè. Si conſideretur primo modo, certum eſt, quòd poteſt Deus multa facere, quæ tamen non decent Sapientiam, & Bonitatem ejus, ut fiant. Poterat enìm Deus Mundum creare ſinè Intellectualibus creaturis; tamèn non manifeſtaretur ejus Sapientia, & Bonitas: nec eſſent homines, qui illam publicarent, & prædicarent. Itèm, poterat hominem creare abſquè potentiis animæ, & organis ſenſuum; tamèn hoc non decebat ordini Divinæ Sapientiæ. Secundo verò modo, omnia, quæ Deus facit, neceſſe eſt, ut fiant ſecundùm ordinem Divinæ Sapientiæ, & Bonitatis, ad manifeſtationem ſuæ gloriæ.

522. Impoſſibile autèm poteſt etiàm ſumi duplicitèr: Uno modo, pro eo, quòd Deus, abſolutè conſideratus ſecundùm ſuam potentiam, non poteſt facere; & hoc ſolum eſt, quòd implicat contradictionem: quòd quidèm abſolutè dicitur Impoſſibile. Altero modo dicitur Impoſſibile, quod, licèt in ſe non implicet contradictionem, tamèn fieri non poteſt ſervato ordine Divinæ Sapientiæ, & Bonitatis: ſecundùm quem omnia Deus facit in numero, pondere, & menſurâ. Primum non poteſt Deus; quià illud poſſe, eſt nihil poſſe. Secundum non poteſt; quià illud eſt poſſe inordinatè, contrà ordinem Sapientiæ poſſe. Et quoniàm Deus ſic eſt Omnipotens, ut nihil poſſit, niſi quòd decet ſuam Potentiam, & non deor-

Digitized by Google

deordinat Sapientiam; ideò hæc impossibilia non potest. Ità Doctor Seraphicus.

Hæc adnotata de Deo Opifice, probat etiàm de Deo Permittente: nimirùm, non posse Deum permittere, quod non est permisibile, & non decet Dei Bonitatem, Providentiam &c. permittere, ut clarè patet.

Supèr ista solida, & defossa fundamenta erigitur

CONCLUSIO.

523. IMplicat Deum permittere, quòd Dæmon vim inferat Corporibus nostris, & violentèr, ac physicè moveat manus, aliaque corporis membra, etiàm in vigiliâ, & sinè mentis offuscatione, ad actus turpes, vel ad alios objectivè malos: nostrâ Voluntate omninò renuente. Assertio debet esse theologicè certa; & Opinio contraria est censurâ digna.

DIVINA FATENTUR ORACULA.

1. AD CORINTH. 10. v. 13.

TEntatio vos non apprehendat, nisi humana: Fidelis autèm Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis; sed faciet etiám cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

524. Quùm dixisset Apostolus: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*; idèst, communis, consueta, & more humano: quam facilè vincere poteritis, si velitis: & non Diabolica, nempè, Insuperabilis, seu Irresistibilis; proùt SS. PP. exponunt, & hìc advertunt Cornel. à Lapide, Calmet, aliique sacri Expositores; statím subdit: *Fidelis autèm Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis; sed faciet etiàm cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Prævidit namquè D. Paulus hominum responsionem, quâ se excusare possent, quòd, scilicèt, non est in eorum potestate, ut tentatio sit humana, & non Diabolica; ideò mox addit: *Fidelis autèm Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*; allegans Dei fidelitatem in promissis, quâ Deus se adstrinxit non permittere talem, ac tantam tentationem, cui resistere non possimus. Præclarè Hugo à S. Charo [in hunc locum] *Potest quis dicere: Non possumus, quin nos apprehendat alia tentatio, quàm humana. Imò dicit, poteris: quià fidelis Deus est in promissione, quam promisit per Psalmistam* [*Psalm.* 90.] *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum &c. ... Non ergò vos apprehendat tentatio, nisi venialis, quià potestis.* Et Cornel à Lapide: *Tentatio vos non apprehendat ex parte, & negligentiá vestrâ, nisi humana; nàm ex parte Dei spondeo, quòd Deus, qui fidelis est, sicùt promisit, sic & præstabit, ut non patiatur vos tentari suprà id, quod potestis; hoc est, nonnisi humanâ tentatione tentari vos permittet. Intellige, si èjus gratiam, & opem, ut par est, imploretis; eique cooperamini.*

Digitized by Google

Idem docent alii Expositores, quos videre necesse est Dissert. 1. Sect. 2. ubi plures allegavimus.

525. Ut autèm hæc Apostoli sententia clariùs intelligatur, advertere debemus cum Suarez [Opusc. in Relect. de libertate Divinâ. Disp. 2. Sect. 2. n. 27.] quòd intèr alia attributa Divina, intelligimus (ut modo nostro possimus de Divinis perfectionibus, & actionibus loqui) esse in Deo quamdam eminentem virtutem moralem, quam *Veritatem* appellamus: secundùm quam dicitur Deus esse *summa Veritas in dicendo*; quià fallere non potest. Ex hâc ergò virtute nascitur [ut more nostro loquamur] Deum non posse dicere aliquid se facturum, quin habeat animum, & propositum ità faciendi, sicùt dicit. Rursùs ex eâdem virtute provenit, quòd non possit Deus tale propositum mutare, non solùm ob Immutabilitatem physicam, & realem; sed quià aliàs Divina Assertio non permansisset omni ex parte verâ. Nam, licèt verum esset se habuisse propositum, quùm dicit; tamèn simplicitèr non fuisset verum illud fuisse futurum, quod ille dixit se facturum: Quod repugnat *Primæ Veritati*, non ex speciali aliquâ obligatione inductâ ex vi novæ promissionis distinctæ á proposito, & assertione; sed ex vi, & perfectione ipsius *Primæ Veritatis*. Atque ità fit, ut in simplici Divinâ Assertione, unicâ, & simplicissimâ ratione conjunctâ, & omni imperfectione semotâ, inveniantur omnia, quæ in assertione humanâ, & promissione, tàm simplici, quàm juramento firmatâ, inveniuntur. Ac propterea, Divina assertio, quantumvis simplex, eminentissimè est perfectissima promissio; & obligationem ex debito Fidelitatis, & Veritatis inducit. Hæc ille Doctor emeritus. Qui [ibid. n. 32.] egregiè probat, debitum fidelitatis sinè imperfectione Deo attribuit. Et [ibid. n. 33.] ostendit, Deum, ex vi debiti promissionis, non tantùm dici debitorem sibi, sed etiàm homini. Quod numeris sequentibus luculentèr more suo declarat.

Jam redeo ad verba Apostoli. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod possumus* &c. Atquí hoc non esset verum, si permitteret Dæmoni vim nobis inferre, & violentèr movere manus, aliaque nostri corporis membra ad actus turpes, & ex se malos, nostrâ Voluntate prorsùs contradicente. Ergò &c. Major est de fide. Minorem probo. Illa Dæmonis violentia, negari nequit, quòd sit tentatio: imò non est, qui dubitare possit, eam esse tentationem gravissimam, & quâ major nèc dari, nèc excogitari possit, in genere Luxuriæ. Sed ejusmodi tentatio esset suprá id, quod possumus; supponitur enim, etiàm ab Adversariis, nos resistere non posse violentiæ nobis illatæ à Dæmone; ideòque necesse esset nos succumbere: & consequentèr foret suprà id, quod possumus. Quòd repugnat fideli promissioni Dei.

Audiamus Sacros Expositores hujus textus. Lyran. [*Tentatio vos non apprehendat*] *idest, non ducat vos in consensum, & operationem. Idcò tentari non est malum, sed est virtutis exercitium; si tentationi viriliter resistatur. Propter quod in persona perfecti dicitur: Proba me, Domine, & tenta me.* [*Nisi humana*] *idest, illa tentatio, quæ non potest devitari totaliter ab homine in vitâ*

vitâ præsenti, de peccato veniali; Quòd autèm tentationi, ad peccatum mortale ducenti, valeat homo resistere cum adjutorio Dei, ostendit, dicens [*Fidelis autèm Deus*] *idèst, promissis implendis* [*qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis; quià promisit adjutorium in tentationibus positis, si fideliter recurrant ad ipsum; ideò subditur: sed faciet etiàm cum tentatione proventum*] *vos totaliter adjuvans, ut ipsa tentatio vobis proveniat ad augmentum meriti, per ejus superationem; ideò subditur* [*ut positis sustinere*] *idèst, tentationibus prævalere.* At illa tentatio Diabolica, & absolutè violenta, duceret nos ad peccatum mortale; dum cogeret ad operationem ex se malam.

D. Aug. [in Psalm. 69.] *Regemus eum, de quo dictum est: Custodiat Dominus introitum tuum, & exitum tuum: ut intrans integer, sic exeas integer. Ait enim Apostolus: Fidelis est Deus, qui non vos sinet tentari suprà quod potestis. Ecce habetis ingressum: non dixit, non tentemini; qui enim non tentatur, non probatur; & qui non probatur, non proficit. Quid ergò optavit? Fidelis Deus, qui non vos sinet tentari suprà quod potestis. Audistis ingressum, audite & exitum: sed faciet cum tentatione etiàm exitum, ut positis tolerare.* Dicant nunc Adversarii, quomodò ille, qui intrat integer, sic exibit integer, si vim passus à Dæmone, exibit corruptus?

S. Thom. *Quùm dicit:* [*Fidelis Deus*] *ostendit paratum adjutorium in tentatione. Ubi commendat Deum Adjutorem, qui dat nobis resistendi potentiam: Quod notatur ibi* [*sed faciet cum tentatione proventum &c.*] *Verè Fidelis Deus, qui dat potentiam, nè vincamur: gratiam, ut mereamur: constantiam, ut vincamus. Dicit ergò* [*Fidelis &c.*] *quàsi diceret: vos ad hoc hortor, & moneo, quod potestis* (perpendant hæc verba Pseudo-Mystici) *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* [*qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*] *Quod utique posset Diabolus* (quid clarius?) *si permitteretur; quià non est potestas super terram, quæ ei cõparetur.* [*Job* 41.] *Et* [*Esa.* 40.] *Dat lasso virtutem. Ideò Jacob.* 1. *Omne gaudium existimate, fratres, quùm in varias tentationes incideritis. Augustin. in Psalm.* 61 *circà finem: Qui dat Diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis misericordiam.* [*Proventum*] *inquam* [*ità ut positis sustinere*] *nè deficiatis in luctâ, sed vincatis.* Verba ista clariora luce meridianâ, iis dumtaxat sunt obscura, de quibus prophætavit David [Psal. 57. v. 9.] *Supercecidit ignis* (supple libidinis) *& non viderunt Solem.*

Huic argumento ex auctoritate D. Pauli, diversimodè respondent Pseudo-Mystici. Quidam, aureum annulum habens in veste candidâ, inquit: Apostolum intelligendum esse de Voluntate, quantum ad actus elicitos. Et ità verum est, quòd Diabolus tentare nequit Voluntatem, eam cogendo, & necessitando, ità quòd non possit resistere tentationi: non verò quantùm ad vires, & facultates imperabiles à Voluntate: utì sunt manus, & aliæ vires motivæ, & executivæ, quas Diabolus movere potest irresistibiliter, eas violentèr cogendo.

526. Verùm Doctor iste, qui à longè salutavit Theologiam, à quo hanc didicit expositionem?

Digitized by Google

Non quidèm à SS. PP.; & Sacris Expositoribus; hi enim omnes, nemine excepto, intelligunt verba Apostoli in sensu paulò antè relato. Audiat, quæso, D. Hieronymum, in exponendis Sacris Scripturis Doctorem Maximum, qui [Epist. 103. ad Paulinum] scribit: *Scripturam esse librum signatum sigillis septem, quem etiàm literati aperire non possunt, nisi ille reseraverit, qui habet clavem David.* Ideirco, multùm laudat modestiam Eunuchi Philippo interroganti [Act. 8. v. 30.] *Putasne intelligis, quæ legis?* ingenuè respondentis: *Quomodò possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* Et statim magnâ animi demissione de seipso fatetur: *Ego nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior.* Et infrà ita concludit: *Hæc à me brevitèr perstricta sunt, ut intelligeres, te in Scripturis Sanctis, sinè previo, & monstrante semitam, non posse ingredi.* Mox conqueritur, quòd in omni arte, etiam illiberali, nemò sinè Magistro potest evadere, quod cupit. *Sola, inquit, Scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vindicant: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequàm discant.*

527. Repetamus textum: *Fidelis autèm Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis &c.* Apostolus non dixit: Impossibile est vos tentari suprà id, quod potestis. Nam ex D. Thom. allegato, & aliis PP. posset utiquè Diabolus, si permitteretur à Deo, nos tentare suprà id, quod possumus: idest supra possibilitatem resistendi illi. Supponit ergò D. Paulus, ejusmodi modum tentandi suprà possibilitatem resistendi, esse Diabolo possibilem, & non excedere ipsius naturalem facultatem, at non permitti à Deo, qui Fidelis est in omnibus verbis suis: qui *refugium nostrum est, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* [Psalm. 45. v. 2.]

528. Profectò, permissio faciendi aliquid, supponit in illo, cui permittitur, potentiam illud faciendi; ab aliquo tamèn impeditam; alioquìn quid, & ad quid permitteretur? Undè doctissimus Suarez [de Angelis lib. 4. cap. 27. n. 3.] ritè, ac rectè docet: *Dæmones, propter malitiam suam, cohibiti sunt, nè ad libitum suâ potestate utantur: & ideò, ut sunt sub ordine Divinæ providentiæ, tantùm id possunt facere, quod permittuntur: quandò tamèn permittuntur, propriâ, & naturali virtute id faciunt.* Quod didicit à Doctore Angelico in loco à nobis relato, quùm de Alligatione Dæmonis disseruimus. Hoc supposito tanquàm certo

529. Arguo sic. Modus movendi, seù tentandi Voluntatem, quantùm ad actus elicitos, eam necessitando, seu cogendo ad ipsos actus, usque potestate resistendi, est Diabolo prorsùs impossibilis; ut fides docet contrà Lutherum, & Calvinum. Et solùm est Dæmoni possibilis alius modus tentandi irresistibilitèr; nempè, cogendo vim motivam corporalem ad tactus, & actiones turpes; si ipsi permittatur à Deo. Ergò dum Apostolus testatur: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*; sensus genuinus est, & catholicus, quòd Deus non permittet, aut *non patietur nos tentari*, seù moveri violentèr à Dæmone, quoad vires subordinatas imperio Voluntatis, su-

Digitized by Google

suprà id, quod possumus sustinere; idèst, suprà possibilitatem resistendi: itaùt semper, & in omni casu possimus, si velimus, resistere Diabolo, nè vim inferat corporibus nostris, movendo physicè, & violentèr manus, aliaque corporis membra ad nefanda. Quâ stante resistentiâ ex parte nostrâ, Deus promittit, nec mentiri potest, quòd, etsi Diabolus sit nobis potentior, & minimè obstante nostrâ resistentiâ, posset violentèr movere vires nostras motivas, & executivas ad obscœna; tamèn Omnipotens, Misericors, & Fidelis id non patietur, nec permittet ergà animas fideles. Quæ promissio, non solùm facta est Electis, & Prædestinatis; sed omnibus Deum ritè invocantibus. Ità definit Concil. Trid. (Sess. 24. Can. 9. & Sess. 6. cap. 11.) Quiâ (ut advertit hìc Cornel. á Lapide) Apostolus loquutus fuit Fidelibus, qui erant Corinthi: quorum multi non erant electi, sed aliqui contentiosi, scandalosi, ebrii; ut patet in eâdem Epist. (cap. 11. v. 21.) Imò nemo eorum sciebat se electum, ut posset hanc consolationem sibi appropriare. Videatur laudatus à Lapide.

Alio modo reponit Alius, vestitus veste præclarâ. Certum est, inquit, Dæmonem non posse cogere, seù necessitare, physicè loquendo, Voluntatem nostram; potest tamèn moralitèr. In casu igitùr proposito, Dæmon vim physicè inferendo manibus, aliisque membris corporis nostri, & violentèr cogendo ad actus turpes, & objectivè malos: oriretur necessariò, necessitate quâdam naturali, delectatio sensualis: & ex istâ insurgeret necessariò, necessitate quâdam morali, delectatio Voluntatis, seù voluptas voluntaria. Indè Deus, permittit quidèm illam violentiam physicam; sed eodem temporè præbet Voluntati tale auxilium, quo confortata, possit sustinere, & non cadere in consensum. Hoc modo benè salvatur fidelis Dei promissio, quatenùs *non patietur nos tentari suprà id, quod possumus* interiùs viribus nostris: *Sed faciet etiàm*, gratiâ suâ, quæ semper est parata, *cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*, solâ Voluntate virilitèr, & constantèr contradicente; quamvis ad nostrum exercitium, & majorem utilitatem, ac Dei gloriam, permittat Dæmoni vim physicam inferre corporibus nostris, & violentèr movere manus, aliaque nostri corporis membra ad actus turpes, etiàm usque ad seminis effusionem.

Proh luxuriandi libertas palliata! Oh calliditas ficta! Cautè observavit D. Hieronymus [lib. 6. super Isa. cap. 16.] *Si castum esse me simulo, & aliud est in conscientiâ meâ: habeo, non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris.* Et [lib. 2. super Oseam cap. 8.] *Rarò Hæreticus diligit castitatem, sed amare, si simulat.* Hoc effugio, seù veriùs laqueo istò, Molinosii aucupant fidelium animas, mactant, & perdunt; juxtà illud [Hierem. 5. v. 26.] *Inventi sunt in populo impii insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicùt decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo.* Itàque, contrà horum commentum omninò voluntarium, & chimæricum

Insurgo 1. Apostolus, in textu allato, non distinxit de eo; quod possumus sustinere interiùs, vel exteriùs: nèc de resistentiâ Voluntatis, aut virium corporalium: neque,

de

de tentatione internâ, vel externâ; sed loquutus fuit absolutè, dicendo: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*. Sed non possumus viribus externis resistere Diabolo; quia *non est potestas, quæ comparetur ei supèr terram* [Job. 41.] Ergò Fidelis Deus, non patietur nos tentari suprà id, quod possumus viribus externis.

Insurgo 2. Deus suâ gratiâ, in casu proposito, ita confortaret Voluntatem, ut posset sustinere gravissimam illam tentationem, & nè caderet in consensum; ut ipsimet fatentur Adversarii. At nonnè eadem gratia est sufficiens ad roborandas nostras facultates exteriores, ut possimus insuperabilitèr resistere Diabolo, ac toti Inferno? Ita sanè docent Scripturæ, & PP. omnes. Cùr ergò magnam agnoscunt gratiam erga Voluntatem; & modicam faciunt, imò nullam, erga vires corporales? Audiant D. Petrum, qui [Epist. 1. cap. 5. v. 8.] postquàm monuerit nos: *Sobrii estote, & vigilate, quiâ Adversarius vester Diabolus, tamquàm Leo rugiens circuit, quærens quem devoret*. Et jusserit [v. 9.] *cui resistite fortes in fide*: Mox subdidit [v. 10.] *Deus autèm omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*. Perpendant verba illa, *omnis gratiæ*. Hugo, Catharinus, & Salmeron, apud Cornel. à Lapide (in hunc locum) *omnem gratiam* interpretantur *totam, integram, & perfectam gratiam, ut sit analogæ quantitatis, quâ totum universale ponitur pro toto quanto, putà omne pro integro*. Verùm, si Deus auxilium præberet soli Voluntati, & non extenderet illud ad vires corporales tentati, ejus gratia non esset *omnis, tota, integra, perfecta*. Pergit Princeps Apostolorum: *Modicum passos*. Tigur. *parumpèr afflictos*. At si Deus permitteret, Dæmonem vim inferre corporibus nostris, & violentèr movere manus, aliaque corporis membra ad actus turpes, etiam usque ad pollutionem; non *Modicum passos*, non *parumpèr afflictos* diceremus homines; sed reipsâ, & reverâ maximoperè oppressos. Tandèm concludit D. Petrus: *Ipse perficiet, confirmabit, solidabitque*; idèst, ait Hugo à S. Charo: *Perficiet contrà Mundum: confirmabit contrà Carnem: solidabit contrà Dæmonem*. Aptiùs ad rem nostram, & ad præcludendum Adversariorum effugium, exponunt alii, apud laudatum à Lapide: *Perficiet nos, largiendo voluntatem perfectè, & constantèr volendi: confirmabit voluntatem rem volitam exequendi: solidabit* (N.B.) *dando robur, ipsumque actum exequendi*. En gratia Dei, non solùm diffusa in cordibus nostris, sed & in potentiis executivis: quâ gratiâ possimus, tùm interiùs, tùm exteriùs sustinere Diaboli tentationes: eique resistere, tùm Voluntate, tùm Corporis viribus: itaùt non succumbamus, nequè exteriùs, violentiæ Dæmonis. Quod idem est, ac dicere: si nos, nedùm voluntate constanti, sed & viribus corporis, quantùm possumus, obsistemus Diabolo; quùm Deus sciat figmentum nostrum, & magnam Diaboli potentiam, *non patietur nos tentari suprà id, quod possumus*; nempè, ultrà vires nostras internas, vèl externas. Ideòque dicitur: *Deus omnis gratiæ*; quatenùs

Digitized by Google

nùs ex Co-Apoſtolo Paolo [2. Corinth. v. 9.] *Potens eſt Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus* (etiàm tentationibus) *ſemper* (omni tempore) *omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum*; nedùm bonum formalitèr, ſed etiàm materialitèr, & pro ſubſtrato. Hoc enim eſt Dei proprium, *gratiam dare omnibus affluentèr, & non improperare* [Jacob. 1. v. 5.] In tentationibus verò potare nos lachrymis in menſurâ. [Pſalm. 79. v. 6.]

Inſurgo 3. Si Deus permitteret, Dæmonem vim inferre corporibus noſtris ad turpia &c. teneret tamèn Voluntatem, nè caderet in conſenſum; ſequeretur, quòd promiſſio nobis facta per os Apoſtoli, non eſſet omni ex parte vera. Quod vèl excogitare, eſt á fide exorbitare. Sequela probatur. Verum eſſet, quòd Deus *faceret cum tentatione proventum*, ſeù bonum exitum; ut plures ex PP., & Expoſitoribus legunt; quià Voluntas virilitèr reſiſteret, vinceret, & mereretur victoriæ coronam. At non eſſet verum, quod *Deus non patietur nos tentari ſuprá id, quod poſſumus*; quià jam pateretur, fineret, & permitteret nos tentari irreſiſtibilitèr, & ſuprà vires. Si autèm promiſſio Apoſtoli deficeret quoàd unam partem, deficeret utiquè quoàd omnem partem: quùm utraque pars, imò & omnis pars debet eſſe neceſſariò vera: nec una eſſe poteſt vera, quin alia, & omnis pars ſit quoquè & æquè vera.

530. Et certò, admiſsâ reſponſione Adverſariorum, nulla pars promiſſionis iſtius eſſet vera. Non quidèm prima pars; quià ſupponitur ab Adverſariis, quòd *Deus ſineret nos tentari ſuprá id, quod poſſumus*. Nequè pars ſecunda; quià *Deus non faceret cum tentatione proventum, ut poſsimus ſuſtinere*. Portò, ly *Ut poſsitis ſuſtinere*, refertur ad primam partem promiſſionis: *Non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis*, ſubintelligendo *ſuſtinere*, & continuat ſenſum: *ſed faciet cum tentatione proventum, ut poſsitis ſuſtinere*. Promiſſio igitùr, ſeù propoſitio Apoſtoli, habet ſenſum copulativum; quùm priora verba connectantur cum cæteris: & ſenſus genuinus, catholicus, & unicus eſt, quòd *Deus non patietur* nos tentari ſuprà id, quod poſſumus ſuſtinere; idèſt, tolerare interiùs, & exteriùs: reſiſtere mente, & corpore: non ſuccumbere violentiæ Dæmonis. *Sed faciet cum tentatione proventum, ut poſsimus ſuſtinere*; nempè, ſuperare, & vincere Diabolum, qui vellet inferre vim corporibus noſtris ad nefaria.

Inſurgo 4. Præcipit D. Paulus: *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana*; Sed in caſu admiſſo ab Adverſariis, tentatio, quæ nos apprehenderet, eſſet Diabolica, & non humana, & quidèm contrà noſtram Voluntatem. Ergò D. Paulus præciperet nobis, quod eſt nobis impoſſibile. Min. in quâ eſt difficultas, probatur. Tentatio dicitur Diabolica, & non humana, ſi erit inſuperabilis, ſeù irreſiſtibilis; ut in hoc loco advertit Cornel. à Lapide, aliique Sacri Expoſitores. Atquì caſus ſuppoſitus, eſt, quòd Diabolus nos apprehenderet, vim inferendo corporibus noſtris, manus arripiendo, pudenda attrectando, aliaque corporis membra violentèr trahendo ad ſpurcitias carnales: idque quantumvis Voluntas noſtra fortitèr

Digitized by Google

tèr roborata à gratiâ Dei, resisteret feriò, constantèr, virilitèr; sed frustrà. Ergò in casu ab Adversariis admisso, non obstante quacumque resistentiâ Voluntatis, nos apprehenderet tentatio Diabolica: & consequentèr, quàm Apostolus jusserit: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, vèl præcepit impossibilè: vèl loquutus fuit lusoriè. Utrumque absurdum, vèl horum alterum non admittet, nisi Hæreticus, aut insanus.

531. Intendant igitùr Pseudo-Mystici, & intelligant mentem D. Pauli. Jubet Doctor gentium: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*. Sciebat enim, quòd *militia, seù tentatio est vita hominis super terram* [Job. 7. v. 1.] ideòque evadere non possumus omnem tentationem; præcipit tamèn, ut evadamus Diabolicam: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*. Sed quid est: *Non apprehendat Diabolica*? Quid est evadere Diabolicam tentationem? Nonnè in nostrâ est potestate, nè Diabolus tentet nos? Jam docuit idem Apostolus [ad Ephes. 6. v. 12.] *Non est nobis colluctatio adversùs Carnem, & Sanguinem; sed adversùs Principes, & Potestates, adversùs Mundi Rectores tenebrarum harum*. Et de semetipso ait: [2. Corinth. 2. v. 7.] *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Certò certiùs D. Paulus expertus fuit triplicem tentationem, idèst, à Mundo, à Carne, à Diabolo; igitùr dùm ait: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, per ly *humana*, non intellexit excludere tentationem, quæ procedit à Carne: nequè tentationem, quæ dicitur Diabolica, quatenùs causata, à Diabolo, à quo sumit denominationem; sed ipsam excludit tentationem Diabolicam, nimirùm, tentationem illam, quæ non solùm dicitur, & denominatur Diabolica, quatenùs facta est à Diabolo: sed quæ est in se Diabolica, idèst, pertinax, ostinata, inflexibilis, sicùt est Diabolus, à quo procedit: quæ tentatio appellatur Intolerabilis, & Irresistibilis.

532. Expositio ista utriusque tentationis, humanæ, scilicèt, & Diabolicæ, non est mea, sed Cornel. à Lapide, & aliorum passìm Scripturæ Interpretum. Et quidèm eruitur ab ipsis terminis; nam, *Humanum* Hebraicè dicitur *Hanavah* ab *Hanu*, idèst, facile, tolerabile, disciplinabile. Quinimò allata explanatio concordat cum aliis verbis ejusdem Apostoli [ad Rom. 6. v. 19.] *Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ*: idèst (explicat hunc locum Toletus) *præceptum humanum, & tolerabile impono vobis*. Raymund. Pasqual. *Humanum, hoc est, non excedere nostras vires, nèc onus esse grave, sed moderatum, infirmitati carnis proportionatum*. Cornel. à Lapide: *Sensus est: Ego à vobis, ò Romani Christiani, rem exigo humanam, idèst, æquam, moderatam, & facilem. Similis phrasis est.* [2. Reg. 7. 14.] *Et* [1. Corinth. 10. 13.] nempè, textus, quem præ manibus habemus. Calmet, Est., Hammond., Menoch., D. Chrysostomus: *Humanum dico; Nihil ajo, quod sit difficile, quod nimis sublime; nihil ex vobis peto, quod excedat vires vestras, ope Divinâ suffultas*.

533. Quoàd alium terminum, nempè, *Diabolicum*, derivatur à *Dia*, quod est, *duo*, & à *Bolos*, quod est *morsellus*; ut advertit Doctor egre-

Digitized by Google

egregius Joannes Januensis in suo opere præclaro, quod dicitur Catholicon. *Quasi duplex Morsellus, mordens, scilicèt, animam, et corpus.*

534. Id totum clariùs patet ex verbo *Apprehendat*, quo utitur Apostolus. Nam verbum *Apprehendo* in omnium idiomate (ut videre est apud Calepinum octo linguarum) idem est, ac *attrecto, capio, admetrabo, arripio.* Parcit Apostolus humanæ fragilitati, & secundùm indulgentiam loquens, ait: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*: miseretur tentationis humanæ, seù tolerabilis, superabilis, & resistibilis; sed simùl eâdem loquela vetat tentationem, quæ non sit humana; videlicèt, prohibet tentationem intolerabilem, insuperabilem, irresistibilem: qualis foret tentatio Diabolica, quam somniant Pseudo-Mystici, & nos impugnamus. Verùm enim verò, si daretur casus, quòd Deus permitteret, Dæmonem vim inferre corporibus nostris, movendo physicè, & violentèr manus, aliaque corporis membra ad actus turpes, contrá nostram Voluntatem omninò repugnantem, & Dei gratiâ confortatam prorsùs renuentem; patiens hujusmodi violentiam quid responderet Doctori gentium? Vocem quidèm ardentem extolleret usque ad sydera, & acritèr ipsum exprobraret: Quo jure præcipis: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*; dum omninò invitus, seriò nolens, experior in me Diabolicam? Permittit Deus, quòd Diabolus attrectet meum corpus, capiat membra, trahat manus, arripiat virilia, confricet pudenda usque ad seminis effusionem: & quidèm irresistibilitèr; & Tu jubes, quòd me non apprehendat tentatio Diabolica? Aut Deus injustè, ac tyrannicè permittit: aut Tu jubes impossibilia. Justus autèm, & Sanctus Dominus: ergò Tu in excessu mentis loqueris hiperbole.

En horrens scopulus, in quem incidunt Pseudo-Mystici: quem, ut vitemus, credere firmitèr debemus, Apostolum vera docere, & possibilia præcipere, dùm ait, & jubet: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.* Credere utiquè inconcussè debemus, Deum non permittere ejusmodi tentationem Diabolicam, si nos toto corde, viribus cunctis, tùm internis, tùm externis, illam seriò, & virilitèr respuimus. Idquè efficacissimè probat D. Paulus ratione ineluctabili, & catholicâ, desumpta ex fidelitate Dei, *qui non patietur nos tentari suprà id, quod possumus sustinere.* Promisit Deus, se nos in tribulationibus, ac tentationibus adjuturum; & quidèm milliès in Scripturis: *Fidelis est* in promissis; *faciet cum tentatione proventum*; idèst, græcè, *Evasionem.* Viam nobis aperiet, quâ tam periculosissimæ tentationi resistere valeamus. Vèl, ut cum D. Aug. legunt plures, *Exitum* faciet, ut exeamus è manibus Diaboli violentèr invadentis. *Ut possimus sustinere*, idèst, vincere, & superare hostem tartareum, itaùt non tangat nos; juxtà illam promissionem [Joan. 5. v. 18.] *Malignus non tanget eum*; imò nèc audeat de proximo accedere; secundùm alteram promissionem [Psalm. 90. v. 10.] *Non accedet ad te malum*, idèst, inquit Divus Chrysologus [serm. 71.] Diabolus, qui per antonomasiam dicitur Malus. *Hìc mali malum designat auctorem, hoc est Diabolum.*

535. Non pigeat audire eruditissi-

tiſſimum Velazquez, qui [in Epiſt. ad Philipp. cap. 1. v. 38. adnot. 1. n. 4.] hactenùs expoſitum, firmat egregiè. „ Ineſt quidèm hic ſenſus „ illis Pauli verbis, [1. ad Corinth. „ 10. 13.] *Tentatio vos non apprehendat*. Etenim, ex proprietate „ verbi *Apprehendo*, quod magnâ „ contentione, & impetu alium „ aggredi, ſeù manum in eum injicere ſignificat; ut 1. Reg. 17. 35. „ de Davide Leones dilacerante: „ *Apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam eos*; ſignatè monet Paulus, tàm ſtrenuè, & alacritèr adversùs tentationes oppugnantes eſſe repugnandum, „ ut ipſæ potiùs abſterritæ diſcedant, quàm animos ex ignaviâ noſtrâ ſumentes, tàm proviniè „ ad nos poſſint accedere, ut manus nobis injicere, ſivè nos firmitèr apprehendere valeant . . .

„ Compones hìc verba ad „ ſpeciem diſſidentiæ, quæ de Diabolo bellum in nos movente, Petrus, & Jacobus dixerunt. Sic „ enìm ille [Epiſt. 1. cap. 5. 8.] *Vigilate, quiâ adverſarius veſter Diabolus, tamquàm Leo rugiens circuit, quærens quem deveret*. „ Jacobus verò [cap. 4. 7.] *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*. Ubì „ vides, à Petro Leonem rugientem, á Jacobo fugacem belluam „ appellari. Cui ergò hæc congruunt? Aperio ex naturâ Crocodili, quem ſic depingit Seneca „ [l. 4. quæſt. natural.] *Fugax animal, audaciſſimum timido*. Ecce Diaboli naturam, & artem ab „ Apoſtolis deſcriptas: eſt quidèm „ Leo rugiens, ut inquit Petrus, „ dùm ipſe primò bellum movet, „ & imbellem adverſarium laceſſit, ad morem Crocodili audaciſſimi timido; ideò ſubdit: *quærens, „ quem deveret*, idèſt, dum ipſe „ quærit, & aggreditur; ſed ſimùl *fugax animal*, ſi viriliter, „ ut Jacobus monet, ei reſiſtas. Ità laudatus Velazquez, qui ibi plura congerit ad rem noſtram, quæ brevitatis ſtudio prætermitto; ſed omninò videnda erunt.

Hic eſt ſenſus genuinus textus allati D. Pauli: Sic exponunt Sancti Patres, & unanimitèr docent Catholici Doctores. Qui ſecùs interpretantur, ex ſemetipſis loquuntur; qui autèm loquuntur ex ſemetipſis, inerepantur à Chriſto [Joan. cap. 8. v. 44.] *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere . . . . quùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quiâ mendax eſt & pater ejus. Ego autèm ſi veritatem dico, non creditis mihi*.

EX EPIST. B. JACOBI APOST. Cap. 4. v. 7.

Reſiſtite autèm Diabolo, & fugiet à vobis.

Uſqueadeò hanc ſententiam in omnibus penè Sectionibus, velutì earum Cynoſuram, præ oculis habuimus: jàm congruum erit, ut Syderis tàm micantis vultum propè contemplemur. Projiciamus autèm conſpicilia colorata paſſione aliquâ; alioquìn videntes, non videbimus: procùl à nobis interpretationes; ſiquidèm omne commentum, merum eſſet figmentum in textu iſto, qui nonniſi ſenſum admittit literalem.

336. Quandoquidèm verba Sa-

cræ

cræ Scripturæ propriè, & literalitèr sumenda sunt, quandò propriè, & literalitèr accipi possunt: nimirùm, quandò ex eo, quòd literalitèr accipiantur, nil sequitur contrà fidei, aut morum doctrinam; ut notat Becanus [tom. 1. Opuscul. de Officiis Angelorum n. 9.] Quinimò ex Sixto Senense [Biblioth. Sanct. lib. 3. de usu, & utilitate historicæ, ac mysticæ expositionis] „ Nulla expositio ad probationem „ dogmatum inducta vim habet, „ ac robur, nisi ea, quæ verè, purè, „ & germanè, literæ sententiam „ explicat. Nám, quùm aliæ explanationes sensus intra literæ medullam abditos rimentur, indèque eos ex quibusdam rerum similitudinibus extrahere conentur; facilè ex similium rerum imaginibus falli possunt: præsertim „ quùm hæc spiritualium sensuum „ deductio, & elucidatio, cogitatione, discursu, & inquisitione „ humani generis fiat: quod sæpè „ decipitur, & crebrò in rebus obscuris fingere solet ea, ad quæ „ animus potissimùm est, vel naturâ, vel exercitatione propensior. „ Si enim ipse voluero astruere, „ Sacerdotes potestatem ligandi, „ & solvendi à peccatis, ex mysticâ expositione illius sententiæ „ Christi ad Apostolos: *Solvite eum, & sinite abire* [Joan. 11.] illicò „ respondebit adversarius, id de „ solutione linteorum, quibus Lazarus erat obvolutus, & non de „ solutione peccatorum dictum „ esse. At si idipsum ostendero ex „ auctoritate, & expositione literali ejus sententiæ Christi ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* [Joan. 20.] protinùs acquiescere, & dictis assentiri cogetur. Proindè rectè D Aug. [in Epist. ad Vincent. Donatist.] sic scribit: *Quis autèm non impudentissimè nitatur, aliquid in allegoria positum, pro se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura?* Hieronymus quoque [in 2. comment. supèr Matth. 13.] pertractans de fermento absconso à muliere in farinæ satis tribus: postquám retulit quorumdam expositionem, applicantium parabolam illam ad Trinitatem Personarum, & Unitatem Essentiæ; hæc verba subjungit: *Pius quidèm sensus, sed nunquàm Parobolæ, & dubiæ ænigmatum intelligentiæ, potest ad auctoritatem dogmatum proficere.*

„ Sola igitùr literalis, ad veritatem faciendam, & falsitatem destruèdam, valida est. Quia, „ quùm ex primâ vocum significatione, vel ex vocibus translaticiis, primæ significationi conjunctissimis, hauriatur, cæteris explanationibus patentior est, & „ efficacior. Hæc ille celeberrimus.

Hìnc Magnus Suarez [lib. 7. de Angelis cap. 2. n. 20.] apprimè ait: „ Ex sensu mystico non sumitur efficax argumentum; benè „ verò ex literali. Ità quoque sentiunt omnes Theologi.

Nunc ad sententiam D. Jacobi: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*. Duo, maximi momenti compendiosis verbis, dicit Apostolus; primum, præcipit nobis, ut resistamus Tentatori: *Resistite Diabolo*: aliud, quo nos certiores facit de fugâ Diaboli, si ei resistemus: *Et*

Digitized by Google

fugiet à vobis. Verba iſta ſubtili interpretatione haùd indigent; imò nec alium, prætèr literalem, admittunt ſenſum. Undè, nullus Patrum, nemo Theologorum invenitur, qui auſus fuerit exponere textum allatum in ſenſu myſtico: nec inveniri poteſt Doctor Catholicus, qui ſecùs ſentiat. Profectò eſt ità clarus, ità conſonus aliis Scripturis, Fidei, & moribus, ut nefas putari debeat ipſum intelligere, prætèrquàm verè, & propriè, & literaliter ſonat. Multò minùs licitum erit extorquere illum ex arbitrio, & proprio ductu; id enim foret nodum quærere in ſcirpo, fabricare chymæram, cereum naſum Scripturæ aſſuere, eamque in ſua ſenſa, volentem, nolentem trahere, ac flectere violentèr. Quod meritò Decretum Oecumenici, & Sacroſancti Concil. Trident. (Seſſ.4.de uſu ſacror.libror.) prohibet graviſſimis hiſce verbis: *Prætereà, ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus torquens, contrà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia: cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum: aut etiàm contrà unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam interpretari audeat: etiámſi hujuſmodi interpretationes nullo unquàm tempore in lucem edendæ ſint. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à jure ſtatutis puniantur*. Et D. Hieronymus [in cap. 13. Iſaiæ] ubi ad literam agitur de Babylonis excidio, æquiſſimè taxat eos, qui poſthabito literali ſenſu, ad allegoricos, & myſticos confugiunt, qui cum literali non cohærent, nec ei ſuperſtruuntur. *Audivimus*, inquit, *Medos, audivimus Babylonem & inclytam in ſuperbia Chaldeorum. Volumus intelligere quod fuit, & quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus, ſed quià ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes, lymphatico in Scriptura vagantur errore*.

Itaquè abſque gloſsâ, literaliter, verè, & propriè, ſi obſiſtemus Diabolo, fugiet à nobis. Quænam ergò Diaboli vis corporibus noſtris, cui reſiſtere non poterimus? Quænam ipſius violentia in manus noſtras, aliaque corporis membra, tám abſoluta, ut cogat nos ad actus turpes, ſi non perfunctoriè, ſed ſeriò nolimus? Si nobis omninò contradicentibus, Diabolus fugiet confuſus; quâ ratione opinari licet, quòd nobis prorsùs renuentibus, Malignus adhùc perſiſtit in pugnâ, nec recedit, imò accedit ad confricanda pudenda ad ſeminis uſque effuſionem?

Sanè, quantùm capio, quantùm ſapio, nèc minimam in contrarium invenio rationem, nèc quidèm languidam. Undè arbitror, quod de iis, qui adverſa loquuntur, ait Sapiens [Sap. 2. v. 21.] *Excæcavit illos malitia eorum: & neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ: nec judicaverant honorem animarum Sanctarum . . . Invidiá autèm Diaboli mors introivit in Orbem terrarum: imitantur autèm illum, qui ſunt ex parte illius*.

His reſpondet Director quidam animarum: Paratus ſum mortem

Digitized by Google

tem subire pro defensione veritatis Scripturæ, in quâ Deus locutus est nobis per Prophætas suos, & Apostolos Sanctos. At quædam Filia mea verè spiritualis, pura, sincera, & illibata, jurejurando testatur, se talem à Dæmone pati violentiam absolutam, ut minimè obstante ipsiusmet repugnantiâ virili, & omnimodâ resistentiâ internâ, & externâ, adhùc tamèn patitur carnis fœditates: nùnc à manu Dæmonis in formâ Juvenis pulchri apparentis: nùnc ab eodem invisibili: nùnc à suâ propriâ manu violentèr arreptâ, & contrà suam Voluntatem admotâ ad confricanda pudenda. Perindè dicere necesse est, verba D. Jacobi aliquam pati exceptionem, saltèm in aliquo casu, sed raro.

537. Proh *quanta in uno facinore sunt crimina*! clamabo cum D. Ambrosio [de Virgib. lib. 3.] Loquela istius Directoris eum manifestum facit, quòd ex illis est, de quibus ait Apostolus [ad Titum cap. 1. v. 15.] *Omnia munda mundis: coinquinatis autèm, & infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autèm negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*. Bone Deus! Vir iste magni nominis, assertum mulierculæ anteponit oraculis divinis? Hæsitat in fide, dum fluctuat in verbis Apostoli Jacobi; & minimè dubitat in relatione fœmellæ? Adam certò imitatus, qui plus credidit Uxori, quàm Deo: uterque tamèn, ne contristaret delicias suas, juxtà phrasim D. Augustini. Fidem integram adhibet pœnitenti, & juranti, se traditam esse in manu Dæmonis: & non habet pro certo *Jusjurandum, quod juravit Deus ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis: Ut sinè timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi in sanctitate, & justitiâ coram ipso omnibus diebus nostris*? Quià mulierculæ, quæ naturâ suâ fragilis est ad casum: quæ sæpissimè decipitur, & decipit: quæ veretur proprias fateri spurcitias; quià, inquam, hæc fœmella asserit etiám cũ lachrymis, & extollens vocem Deum appellat, quòd invita, & omninò contradicente, vi compellitur, & violentèr cogitur à Dæmone ad nefanda; ideò dicenda erit Privilegiata, & non potiùs Perjura? *Cœlum, & terra transibunt, verba autèm Dei* (qui loquutus est per Apostolum suum Jacobum) *non præteribunt*. [Matth. 24. v. 35.] Omnibus, & singulis fidelibus, absolutè, & absque exceptione aliquâ, denunciatur prædicta sententia: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*; quo igitùr jure Moderator iste propriam excipit filiam spiritualem? Si hæc regula universalis fallit in istâ pœnitente; cur fallere nequibit in aliâ, & aliâ fœmellâ, imò & in omni fœminâ idipsum perjuranti? Posset utiquè vir aliquis, & omnis vir contestari, quòd per violentiam absolutam à Dæmone ipsi illatam, polluitur, fornicatur, furatur, occidit, aliaque committit scelera, ipsius voluntate prorsùs resistente. Quid ad hæc respondebit Director allucinatus? Recogitet, si fortè invenire poterit evasionem.

Interim Lector Catholicus memor sit doctrinæ, quam Apostolus Paulus [ad Hebr. cap. 6. v. 16. & seqq.] docuit: *Homines enim per majorem sui jurant: & omnis contro-*

Digitized by Google

troversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles (N. B.) *quibus* impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut *anchoram habemus animæ* (iterùm N. B.) *tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis.* Et [cap. 10. v. 22. & seqq.] *Accedamus cum vero corde in plenitudine Fidei, asperси corda á conscientiá malá, & abluti corpus aquá mundá. Teneamus Spei nostræ confessionem indeclinabilem* (*fidelis enim est, qui repromisit*) *Et consideremus invicem in provocationem Charitatis, & bonorum operum.* Absit igitur à mente Orthodoxâ, quòd in aliquo, aut aliquandiù, vèl rarò non verificetur sententia D. Jacobi: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Ea enim est æquè vera, & infallibilis, ac ista: *Deus est unus in essentiá, & trinus in personis*; ut sana docet Theologia. Sicùt ergò nunquam potest verificari oppositum hujus propositionis; ita nèc illius oppositum contingere valet.

538. Prætereà, nefas est asserere, propositionem D. Jacobi esse posse veram quoàd unam partem, & non quoàd aliam; idèst, quòd resistimus Diabolo, & non fugit à nobis. Illa namquè propositio: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*, est absoluta, & universalis; undè si quoàd unam partem deficeret, esset tota, & simplicitèr falsa. Seù, ut logicè loquar, est una propositio Hypothetica copulativa, integrata ex duabus propositionibus Cathegoricis. Explico à simili. Quùm Concilium Tridentinum, & PP. definiunt, *sinè prævenienti Spiritus Sancti inspiratione, ejusque adjutorio, neminem credere posse, sicùt oportet &c.* ita est accipiendum, ut omninò repugnent hæc duo simùl conjungi, scilicèt, aliquem carere inspiratione Spiritus Sancti, & credere sicùt oportet: nequè hìc admittere possumus exceptionem, etiam in aliquo eventu raro. Similitèr, quùm dicitur, neminem posse salvari sinè speciali perseverantiæ dono; absolutè, & simplicitèr intelligendum est repugnantiam inveniri in opposito statu, idèst, quòd aliquis carens perseverantiæ dono, salvetur. Possumus deniquè applicare ad rem nostram frequentem modum argumentandi D. Augustini; nam ex eo, quòd Christus dixit: [Joan. 15. v. 5.] *Sinè me nihìl potestis facere*, inferre solet, nequè plures, nequè unum, nequè per longum, nequè per breve tempus, nequè multum, nequè parum posse sinè Christo facere, quod, nimirùm, ad salutem conferat æternam. Et quia dixit Christus [Joan. 6. v 44.] *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; colligit, nunquam, nequè ullo modo fieri posse, ut aliquis veniat non tractus. Ad hunc modum loquutus fuit D. Jacobus, dum ait: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Undè impossibile est in aliquo casu, etiàm rarissimo, in aliquâ personâ, quæcunque sit illa, in aliquâ temporis differentiâ, verum esse, quòd resistimus Diabolo, & non fugiet à nobis.

Alio modo reponit Doctor quidam jactabundus, sed Falso-Mysti-

Digitized by Google

ſticus. Apoſtolus Jacobus, dum ait: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*, intelligit de reſiſtentiâ internâ, ſeù de reſiſtentiâ Voluntatis, quâ debemus prorsùs, & omninò repugnare, & contradicere Diabolo vim inferens manibus, aliiſque noſtri corporis membris ad actus turpes, nititur noſtrum trahere conſenſum ad delectationem illam carnalem: Idque præcipit D. Jacobus per ly *Reſiſtite*; præcipit enim quod poſſumus; ſed non poſſumus viribus externis reſiſtere Diabolo; *non enim eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram.* [Job. 41. v. 24.] Hoc paritèr modo *Diabolus fugiet à nobis*, idèſt, á noſtrâ Voluntate reſiſtente; ſed non fugiet à noſtro corpore, à noſtris membris, á noſtris pudendis, quæ non ſubduntur imperio Voluntatis, niſi politicè: & conſequentèr pati poterunt Dæmonis violentiam, & abſolutam coactionem, uſque ad ſeminis effuſionem; minimè obſtante quacumque efficaci, & conſtanti Voluntatis reſiſtentiâ.

536. Verùm hæc reſponſio nec caput, nec pedes habet. Quomodò Diabolus fugiet à Voluntate, ſi non ceſſabit à violentiâ, quæ incitare poteſt Voluntatem? Quamdiù enim perſeverarent in membris corporis motus illi turpes; utì eſſent, tactus, & confricatio pudendorum; Voluntas neceſſariò, neceſſitate naturali, perciperet voluptatem carnalem: & cogeretur, neceſſitate morali, ad conſenſum in illam delectationem ſenſualem. Hæc autèm eſt tentatio, & quidèm maxima, quâ Diabolus tentat Voluntatem: hic eſt Diaboli acceſſus ad Voluntatem. Undè eſt abſolutè, & ſimplicitèr impoſſibile, quòd Diabolus non fugiat à membris hominis, nèc deſinat ea movere phyſicè, ac violentèr ad nefaria, & tamèn fugiat à Voluntate hominis. Porrò Diabolus non alio fine moveret manus, aliaque corporis membra ad turpia, niſi ad trahendam hominis Voluntatem ad conſenſum in delectationem carnalem; ipſemet namque Diabolus non eſt capax delectationis venereæ. Quo igitùr pacto intelligi poteſt, quòd Diabolus non ceſſabit à motu, & ceſſabit à fine? ſeù non fugiet à membris corporis, & fugiet à mente? Violentèr, ac indeſinentèr moveat facultates hominis executivas ad ſpurcitias, & eodem tempore quieſcat à ſcopo ſibi præfixo, trahendi Voluntatem ad carnis illecebras? Certò certiùs Doctor iſte vel loquitur paradoxa, dùm ait, Diabolum fugere à Voluntate ei reſiſtente, nèc tamèn fugere à membris corporis; ſed continuò movere illa uſque ad ſeminis effuſionem. Vèl inſanit cum hæreticis, qui putant, Diabolum accedere, & recedere poſſe à Voluntate, hanc immediatè movendo, & phyſicè cogendo, eodem modo, quo movet Corpus. Vèl nèc primis labris guſtavit Philoſophiam, quæ docet connexionem naturalem, & ſimpathiam intèr vires internas, & externas hominis: & quòd Voluptas, & Voluntas unâ diſtinguũtur literâ.

Quòd autèm membra corporis, & ſignantèr virilia, non ſubſint Voluntatis imperio diſpotico: & quòd poſſint á præpotentiori moveri contra Voluntatis imperium; quid indè? ritè ſequitur, quòd Diabolus poſſet virtute ſuâ naturali, ſi permitteretur á Deo, vim inferre Corporibus noſtris; & phyſicè, ac vio-

Digitized by Google

violentèr movere manus, aliaque corporis membra ad actus inhoneſtos: quod negamus Deum permittere; quùm promiſerit per Apoſtolum Jacobum: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*. Nam, tàm impoſſibile eſt, Deum deficere ab iſtâ promiſſione, quàm deſinere eſſe Deũ; teſtante D. Paulo [2. ad Timoth. 2. v. 13.] *Ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt*. Quem locum attingens D. Dionyſ. Areopagita [de Divinis nominibus cap. 8.] ait: *Seipſum negare, à veritate decidere eſt. Porrò Deus veritas eſt, & à veritate cadere, á Deo eſt cadere: at Deus cadere á ſeipſo non poteſt, quià non eſſe non poteſt.* Non tamèn infertur, quòd ſi reſiſtimus Diabolo, quantùm poſſumus, & debemus, fugiet à Voluntate noſtrâ, & non à membris noſtris.

540. Prætereá, ſi Voluntate reſiſtimus Diabolo, fugiet à voluntate; ut fatetur ipſemet Adverſarius. Ergò ſi reſiſtimus corpore, fugiet à corpore. Siquidèm utrobique eadem eſt ratio. Promiſſio quoquè Divina eſt abſoluta, nèc diſtinguit de reſiſtentiâ internâ, aut externâ; imò includit utramque obligationem, quâ tenemur tùm interiùs, tùm exteriùs reſiſtere, quantùm poſſumus, Diabolo, ſi interiùs, ac etiam exteriùs aggredietur nos; ut omnes docent DD. Nequè diſtinguit de fugâ Diaboli, à Voluntate, ſcilicèt, aut à membris corporis. Ergò Diabolus fugiet à nobis, nedùm à Voluntate noſtrâ, ſeù à viribus internis; ſed etiam à noſtris Corporis membris, ſeù à viribus externis. Profectò, ſi Diabolus fugiet tantummodò à Voluntate noſtrâ, & non à Corpore noſtro; quomodò verum erit, quòd fugiet à nobis? Nos enìm corpore, & animâ conſtamus: nec idèm homo eſt duplex homo; alius, ſcilicèt, interior, & alius exterior; ſed anima rationalis, & caro unus eſt homo.

Deniquè Adverſarius Pſeudo-Myſticus, qui Doctoris habet titulum ſinè re, quo jure ſibi uſurpat munus, quod deſurſum eſt, exponendi Sacras Scripturas, ſinè ductu SS. Patrum, ſed cerebro proprio? *Itá nè eſt?* Inſurgit D. Auguſtinus [de utilitate credendi cap. 17.] *Iſtà nè eſt? Nulla imbutus poeticâ diſci, plinâ Terentium Maurum ſine Magiſtro attingere non auderes .... Tum in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, Sancti tamèn divinarumque rerum pleni, propè totius generis humani confeſſione diffamantur, ſinè duce irruis, & de his ſinè præceptore audes ferre ſententiam?* Et Apoſtolus [1. ad Corinth. 12. v. 10. & ſeqq.] *Alii quidèm datur ſermo ſapientiæ.... alii diſcretio ſpirituum.... alii interpretatio ſermonum. Hæc autèm omnia operatur unus, atquè idem ſpiritus, dividens ſingulis proùt vult*. Indè concludit [ibid. cap. 14. v. 28.] *Si autèm non fuerit Interpres, taceat in Eccleſiâ; ſibi autèm loquatur, & Deo*.

541. Sciat igitùr iſte homo quidam, quòd ſententia D. Jacobi: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*, æquivalet huic propoſitioni conditionali: *Si reſiſtitis Diabolo, fugiet à vobis*. Quandoquidèm *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui* [Eccli. 15 v. 14.] & *Certamen dedit illi forte, ut vinceret* [Sap. 10. v. 12.] ideò præcipit per Apoſtolum ſuum Jacobum: *Reſiſtite Diabolo*; poſſumus enìm reſiſtere Diabolo, quùm

ſimus

simus liberi: & resistere debemus; quià *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* [2. ad Timoth. 2. v. 5.] At quià Diabolus (secundùm virtutem suam naturalem) fortior est nobis, & potentior; & consequentèr non valemus viribus nostris eum in fugam convertere; ipsemet Deus promittit nobis resistentibus quantùm possumus ex parte nostrâ, quòd Diabolus terga dabit: *Fugiet à vobis*. Nec patietur nos tentari suprà id, quod possumus sustinere: nec permittet, Diabolum fore pertinacem in pugnâ; sed discessurum confusum, & victum: *Fugiet à vobis*. Et quidèm juxtà mensuram nostræ resistentiæ, nempè, citiùs, aut tardiùs: procùl omninò, aùt non tàm longè fugiet Diabolus; proùt nostra erit resistentia celeris, aut lenta: virilis, aut effœminata.

542. Quandoquidèm, non qualis, qualis resistentia (ut pluries advertimus) fugat Diabolum; sed resistentia fortis: de quâ loquens Co-Apostolus Petrus [Epist. 1. cap. 5. v. 9.] ait: *Resistite fortes*. Verùm resistentia, ut dicatur fortis, plures requirit conditiones. 1. Ut procedat à Voluntate sincerâ, & efficaci: *Uult, & non vult piger. . . Abscondit piger manum suam sub ascellâ, nec ad os suum applicat eam*. [Prov. 13. v. 4. & 19. v. 24.] 2. Statìm, & absquè morâ repelli debet Diabolus: *Nolite locum dare Diabolo* [ad Ephes. 4. v. 27.] 3. Resistentiam comitetur humilitas: *Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me*. [Psalm. 114. v. 6.] 4. In tam urgentissimâ tentatione recurrere debemus ad Deum: *Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me*. [Psalm. 49. v. 15.] 5. Omni sepositâ diffidentiâ evadendi è manibus Diaboli, expectemus magnâ cum fiduciâ auxilium á Domino: *Ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum*. [4. Reg. 17. v. 39.] 6. Constantes in fide, firmitèr, & sinè aliquâ hæsitatione credamus verbis D. Jacobi: *Resistite Diabolo, & fugiet á vobis*. 7. Tandèm alacri animo descendamus in arenam, canendo cum Regio Prophæta [Psalm. 17. v. 31. & seqq.] *Deus meus impolluta via ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se. Quoniám quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Qui perfecit pedes meos tamquám cervorum, & supèr excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti, ut arcum æreum, brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar, donèc deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me dispendidisti*.

Si tali resistentiâ obviam ibimus Diabolo, certum est ex fide, quòd fugiet á nobis. *A nobis*, inquam, nimirùm à mentibus nostris, à Voluntatibus nostris, ab animabus nostris, à manibus nostris, á corporibus nostris, uno verbo, *à nobis*.

Digitized by Google

JOB. Cap. 5. v. 12.

Qui diſſipat cogitationes Malignorum, nè poſſint implere manus eorum, quod cœperant.

543. In hoc judicio, de quo agimus; quùm quæſtio ſit de facto; Job erit teſtis omni exceptione major, & unus pro mille; quià ipſemet quamplurimas paſſus fuit Dæmonis violentias. Teſtatur itaque Vir patientiſſimus, quòd Dominus Deus non permittit, Malignos, idèſt, Dæmones, perficere quod excogitaverant, nempè, vim inferre manibus noſtris, aliiſque corporis membris ad actus turpes: *Diſſipat cogitationes Malignorum, nè poſſint implere manus eorum, quod cœperant.* Hæc enim verba intelligi nequeunt in eo ſenſu, quòd Maligni, ſcilicèt, Dæmones, nequiverint manus implere ſuas eorum, quæ Job poſſidebat: neque ſanitatis ipſius; nam univerſa, quæ habebat Job, ejuſque caro tradita fuere in manu Satanæ; ut legimus in hiſtoria. Hinc ſi *Malignorum* nomine veniunt Dæmones, Job loquutus fuit in ſenſu à nobis allato; ut mox patebit ex Sacris Expoſitoribus.

Pineda [in hunc locum] „Quùm „ abjectis, & humilibus faveat „ Deus, Malignorum diſſipat co„ natus, cogitationes evertit. „ *Maligni* autèm dicuntur in fon„ te à radice *GHARAM*, quòd eſt „ callidum eſſe, aut aſtutum, ver„ ſutum, vafrum ... Congruitque „ nomen *Cognitioni*: quod non „ affert ſimplicem cogitatum, ſed „ excogitationem, inventum, do„ lum animo conceptum, & ma„ chinatum; quod lædere poſſit ... „ Jam ergò diſſipare cogitationes „ Malignorum, erit eorum machi„ nas evertere, eludere dolos, in„ fatuare conſilia .... *Nè poſſint „ implere &c.* Nè poſſint perfice„ re, ad exitum perducere *quod „ cœperant*, quod inſtituerant, & „ excogitaverant. Quarè ſenſus „ erit: Nè poſſint perficere ma„ nus eorum quidquam: nihil con„ ſtans, nihil firmum, nihil diutur„ num ab eis fiat: in nihilum reci„ dant omnes eorum conatus: ex„ vaniſſimis cogitationibus nihil „ ſolidum conſequentur.

VERS. 15.

Porrò ſalvum facit egenum à gladiis eorum, & de manu violenti pauperem.

Pergit Pineda. „Creſcit ora„ tio. Non ſolùm à conſiliis, & ca„ lumniis impiorum Deus eripit „ pauperem, ſed etiam ſi quis vio„ lentus, ideſt fortis, prævalens, „ capiens, conſtringens, oppri„ mens ad comprimendum, & ad „ conſtringendum, & capiendum „ ſe roborans, & confortans: hæc „ enim omnia denotat vox origi„ nalis *Hhazak*, in illum pauper„ rem, & imbecillem manum jam „ injecerat: *De manu* potenti, „ viribus illius extorquet prædam „ Deus. Hæc autèm ereptio, & li„ beratio pauperis *de manu vio„ lenti*, & potentioris, intelli„ gi poteſt, tamquàm de manu ty„ ranni, & hoſtis, per injuriam, & „ vim capere, & retinere vo„ lentis.

VER-

VERS. 22. & 23.

Bestias terræ non formidabis: Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

Hæc verba confirmant, quæ ab initio dicebamus, idèst, Job loquutum fuisse de Dæmonibus, volentibus vim inferre membris nostris ad turpia. Undè laudatus Pineda, in explanatione hujus textus v. 23. n. 8. utitur Psalmo 90., & applicat ad verba Job; sic enim prosequitur, præmens illum Psalmum: „ *Ab incursu* (& Hieronym. à „ morsu) *& Dæmonio meridiano* „ (Caldæus *à turbâ Dæmonum in* „ *meridie grassantium*) Quamvis „ catervatim adversum te conjurent non homines solùm, sed „ Dæmones ipsi, iter tuum impedire non audebunt: quòd si procacitèr, & apertâ vi velint impetum facere; vires suas, brachiumque exeret Potentissimus, „ & districto gladio, pro te adversùs hostes tuos pugnabit, & horrendam stragem edet. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*. Cædet innumerabiles à dextris, & à sinistris: „ lætus contemplaberis prostratos „ hostes, quùm nihil ab illis mali „ acceperis.

Breviùs Glossa ordinar. & Lyranus. „ *Bestias terræ*, Diabolum, „ & complices ejus *non formidabis. Sed cum lapidibus &c.* Electis Ecclesiæ erit societas tua. „ *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi*. Spiritus nequám non impugnabunt te.

Clariùs Hugo de S. Charo. „ *Bestiæ*, idèst, Dæmones, *erunt* „ *pacificæ*; quià etsi tenent, tamèn usquè ad actum pravi operis non superant. Orig. Si quis „ resistit tentationi Diaboli, & non „ succumbit, pacem habet cum eo „ Diabolus.

Contrà insurgit Michael Molinos. *Job, ex violentiâ Dæmonis sa propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces*. Ergò prædicta interpretatio verborum Job, est omninò voluntaria, & inepta. Antecedens probare nititur ex cap. 16. ejusdem libri Job: ubi sic legitur [vers. 12.] *Concludit me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit*, [vers. 14.] *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea*. [vers. 15.] *Irruit me quasi gigas*. [vers. 18.] *Hæc passus sum absquè iniquitate manus meæ, quùm haberem mundas ad Deum preces*.

544. Verùm enimverò, ille spurcitiarum Magister turpissimè extorquet in suum proprium, & reprobum sensum verba purissimi Job. Quis enim Patrum, quis Expositorum, quis Doctorum unquàm sequutus fuit commentum tam nefandum? Nec unum planè allegare potest Catholicum. Omnes quidèm, nemine excepto, antilogiam, seù contradictionem (apparentem) Capit. quinti, & decimi sexti libri Job componunt, & conciliant hâc distinctione: quòd Deus permisit Satanæ vexare corpus servi sui patientissimi; non autèm permisit invadere in ejus animam. Violentiæ verò pertinentes ad carnem, toto Cœlo differunt ab iis, quæ spectant ad spiritum. Indè Orig., Olympiodor.,

dor., D. Gregor., cæterique Sacri Expositores in verba illa Job. [2. v. 6.] *Ecce in manu tuâ est, verumtamèn animam illius serva*; per ly *servare* intelligunt salutem spiritualem animæ. Audiamus Eminentissimum Hugonem (in hunc locum) *quâmodò dicitur Diabolus animam servare, qui è tantùm animas quærit ad perdendum?* (Gen. 14.) *dicitur: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Et. Servare dicitur, quòm tentando superare prohibetur. Dominus igitùr sensum suum custodiendo deserit, & deserendo custodit: alia prodit, alia protegit. Caro data est in manu impii, sed anima est in manu Dei.* (Sap. 3.) *ait: Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.*

Breviùs Calmet. *Animam illius serva. Licet quidèm tibi ucerimis in illum sævire doloribus; at cave, nè illum directè aggrediaris, immittens in illum cogitationes desperationis, blasphemiæ, iræ, impatientiæ. Vide Mainon., Grot., Cocc.*

Expressiùs D. Gregor. Magn. *Ecce iterùm permissionem verberis comitatur custodia protectionis; & electum suum Divina dispensatio custodiendo deserit, deserendo custodit. Alia illius prodit, alia protegit. Si enim totum Job desereret in manu tanti Adversarii, homo quid esset? In ipsâ ergò justitiâ permissionis permiscetur quædam libra pietatis: quatenùs in uno, eodemque certamine, & servus humilis ex oppressione proficiat, & hostis superbiens ex permissione succumbat. Manui itaque Adversarii sanctus Vir traditur; sed tamèn in intimis adjutoris sui manu retinetur. De illis quidèm ovibus fuit, de quibus in Evangelio* (Joan. 10.) *ipsa Veritas dicit:* (*Non rapiat eas quisquam de manu meâ.*) *Et tamèn expetenti hosti dicitur:* (*Ecce in manu tuâ est.*) *Idem ergò in manu Dei, idem in manu est Diaboli; nam dicens:* (*in manu tuâ est*) *quòm protinùs adjungit* (*verumtamèn animam illius serva*) *patenter pius adjutor innotuit, quid tenuit, quem concessit, & dando non dedit, quem Adversarii sui jaculis ejiciens abscondit. Quid est autem hoc, quod ad Satan dicitur:* (*Animam illius serva?*) *Quo enim pacto ille custodit, qui custodita semper irrumpere appetit? Sed* (*servare*) *Satan dicitur irrumpere non audere: sicùt è contrario, Patrem in oratione postulamus, dicentes:* (*Nè nos inducas in tentationem*) *Neque enim in tentationem Dominus inducit, qui semper à tentatione subditos misericorditèr protegit: sed tamen in tentationem quasi ejus inducere, est à tentationis nos illecebra non munire. Et tunc nos in tentationis laqueum non inducit, quòm tentari nos ultrà quam possumus, non permittit. Sicùt ergò Dominus inducere nos in tentationem dicitur, si nos ab Adversario induci patiatur: ità Adversarius* (*servare animam*) *dicitur, quòm hanc tentando superare prohibetur.*

Quàm igitùr perperàm, quàm temerè, quàm longè à Catholico sensu loquutus fuerit Molinos, clarè patet ex iisdem verbis Job ritè perpensis. Sed nè in longiorem protrahamus sermonem, solius Lyrani refero expositionem: (*Conclusit me Deus apud iniquum*) *idest, Diabolum, cui ex ordine suæ sapientiæ concessit potestatem assi-*

gen-

gendi me, (*& in manibus impiorum me tradidit*) *in quantùm ab eis persequi me permisit.* (*Circumdedit me sentibus suis, convulneravit lumbos meos, & effudit in terrâ viscera mea*) *Per hoc designat interfectionem filiorum, qui de lumbis ejus egressi fuerant.* (*Irruit in me quasi gigas*) *idèst, in tantâ fortitudine, quòd quasi nihil virtutis remansit in me.* (*Hæc passus sum absquè iniquitate manus meæ*) *Postquàm Job ostendit suam percussionem multiplicem, hìc consequentèr ostendit suam innocentiam, dicens:* (*Hæc passus sum absquè iniquitate manus meæ.*) *idèst, operis mei, quod per manum designatur, quæ est organum organorum. Hoc autem dixit Job, non ad sui jactantiam, sed ad veritatis declarationem, & amicorum suorum confutationem, qui non poterunt ostendere ex operibus Job præteritis, quòd demeruisset percuti tot, & tantis plagis. Et quìà possent dicere: licèt non possumus ostendere opera tua mala commissa; tamèn illud, quod omisisti Deum colere, tamquàm ingratus de ejus beneficiis, hoc demeruit. Ideò Job excludens hanc objectionem, ait:* (*Quùm haberem mundas ad Deum preces*) *ipsum debitè venerando.*

Aſt non immorandum ad oſtendendam impii Molinos calliditatem; ſat erit fulmen Innocent. XI. quo percuſſit allatam ejus propoſitionem num. 49. Quadrat hic aurea illa ſententia, quam in causâ Pelagii protulit Div. Auguſtinus [ſerm. 2. de verb. Apoſt.] *Indè* (hoc eſt à Sede Apoſtolicâ) *reſcriptâ venerunt, cauſa finita eſt.*

545. Lubet tamèn arguere à fortiori contrà Pſeudo-Myſticos, qui larvatâ facie ſequuntur Molinos. Deus non permiſit, Dæmonem vim inferre corpori Job, & violentèr movere ejus manus, aliaque ipſius corporis membra ad actus turpes. Ergò multò minùs permittit quoàd alios homines. Antecedens eſt deciſum à Sede Apoſtolicâ, quam venerari fatentur, & ipſi Adverſarii. Conſequentia liquet. Quià, ſi id Deus non permiſit in Job, qui erat *Vir*, idèſt, *pugil aptus ad pugnam, & omni virtutum genere armatus*, [*Vir*] *à virore virtutum, in quo fortitudo oſtenditur*; ut reflectit Hugo á S. Charo. *Vir*, inquam, verè magnus, qui virtutem verè maſculam, & animi robur habebat; ut ex D. Hieronymo, Beda, & Philippo Presbytero notat Pineda. Quo igitur pacto permittet in alios, qui homines appellantur, & Viri non ſunt? A quo ex SS. PP. hanc didicerunt doctrinam? Cur iſtud novum tentandi genus Deus permittit noſtris temporibus, quibus homines proniores ſunt ad malum; & non permiſerit ſæculis anteactis, quibus Athletæ Chriſti erant fortiores ad pugnãdum cum Diabolo?

546. Audiant, quæſo, D. Bernardum [Epiſt. 190. ad Papam Innoc.] *Habemus novum de veteri Magiſtro Theologum, qui ab ineunte ætate ſuâ Dialectica luſit, & nunc in Scripturis Sanctis inſanit. Olìm damnata, & ſopita dogmata, tàm ſua, videlicèt, quàm aliena ſuſcitare conatur; inſuper, & nova addit.... Quid in his verbis intolerabiliùs judicem, blaſphemiam, aùt arrogantiam? Quid damnabiliùs, temeritatem, aut impietatem? An non ipſius os loquens talia faſtibus tunderetur, quàm ratio-*

Digitized by Google

tionibus refelleretur? Nonnè omnium meritò in ſe provocat manus, cujus manus contrà omnes? Omnes, inquit, ſic, ſed non ego ſic. Quid ergò tu? Quid melius affers? Quid ſubtilius invenis? Quid ſecretius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit Sanctos, effugerit Sapientes? Aquas furtivas, & panes abſconditos puto apponat nobis iſte.... Dic tamèn, dic quidquid illud eſt, quod tibi videtur, & nulli alteri.... Non enim hoc à Sapiente, non à Prophæta, non ab Apoſtolo, non denique ab ipſo Domino accepiſti. Magiſter gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magiſter omnium ſuam doctrinam fatetur non eſſe ſuam; non enim, ait, à meipſo loquor. Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepiſti. Qui loquitur mendacium de ſuo loquitur: Tibi proindè ſint, quæ tua ſunt. Ego Prophætas, & Apoſtolos audio: obedio Evangelio, ſed non Evangelio ſecundùm Petrum.... Tu nobis condis Evangelium? Quintum Eccleſia Evangeliſtam non recipit.

JUDICIUM SS. PATRUM.

DIvus Ambroſ. [de Paradiſo cap. 2. ante finem] *Accepit quidèm Diabolus tentandi licentiam, ſed non accepit copiam ſubruendi; niſi ſuâ ſponte labatur infirmus affectus, qui ſibi auxilium non norit aſſerſire.*

Idem [lib. 1. de Jacob, & Vitâ beatâ cap. 3.] *Voluntarium ſibi militem elegit Chriſtus, voluntarium ſervum ſibi Diabolus auctionatur: neminem jugo ſervitutis adſtrictum poſſidet, niſi ſe priùs ei Voluntatis ære per peccatum vendiderint.*

D. Auguſt. [de Naturâ, & Grat. cap. 57.] *Poteſt ei cauſæ, quæ ad peccandum allicit, quæcumque illa eſt reſiſti? poteſt planè; nàm in hoc adjutorium poſtulamus: Et nè nos inferas in tentationem.*

Idem [lib. 1. de Nupt., & Concupiſc. cap. 28.] *Qui dicit: jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum; ſi tantummodò concupiſcit, verum dicit: non ſi cordis conſenſione decernat, aut etiàm Corporis miniſterio perficit.*

S. Baſilius [homil. in Pſal. 33.] *Qui Deum, ut adjutorem fortiſſimum credit ſibi adeſſe, nullius vim ſe invadentis pertimeſcit, nec facilè commovetur.*

D. Chryſoſt. [homil. 31. in Geneſ.] *Diabolus neminem cogit, ſed decipit tantum: & quos negligentes videt ſupplantat.*

Beda [lib. 3. ſuper Luc. cap. 8.] *Niſi quis Porci more vixerit, nunquàm accipiet in eum Diabolus poteſtatem.*

D. Bernard. [ſuper Cantic. ſerm. 85. in verbâ illâ Pſalm. 117. *Impulſus everſus ſum, ut caderem*] *Impellit Diabolus, ſed non evertit, ſi quidèm tuum illi negaveris aſſenſum. Habes* [Job. 4.] *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis. Iſte eſt, qui ſtantes in Paradiſo impulit invidus, & evertit; ſed conſentientes, non reſiſtentes. Iſte eſt, qui ſeipſum de Cœlo ſuperbus nullo impellente præcipitavit.... Quibus ſatis claret, quàm ſit homo præcipuus impulſor ſui, qui ſuo, ſinè alieno impul-*

Digitized by Google

pulsu, cadere potest: alieno, absque suo, cadere non potest.

S. Cyrill. Hierosolymitanus [Cathechism. 4. de lib.] *Diabolus persuadere quidem potest volentibus, cogere autem non potest.*

Idem [ibid. de statu hominis in fine] *Potest quidem Diabolus animam incitare, cogere autem, præter Voluntatem omninò non potest.*

Dices: Has, & similes PP. auctoritates esse intelligendas de vi, & coactione ergá Voluntatem hominis; Diabolus enim necessitare nequit nostram Voluntatem ad actus turpes, vel ad alios actus malos. Nam Voluntas erit semper libera, tùm ad imperandos actus turpes, si voluerit: tùm ad eos respuendos, si noluerit. Sed non potest Voluntas impedire Dæmonis violentias illatas ab eo Corporibus, & membris nostris; ideòque cogi potest quantùm ad facultates executivas.

Hanc instantiam pluries confutavimus. Hic tantummodò quærimus ab Adversario: Quùm S. Cyrillus, aliique PP. defendunt, Diabolum persuadere posse volentibus, non autem posse cogere; quid significare, & docere voluerint? Certum est ex fide, Voluntatem à nemine cogi posse; quùm igitur PP. asserunt, Diabolum neminem cogere posse ad malum, sed tantùm hortari posse; jam supponunt exploratam hanc catholicam veritatem quoàd Voluntatem; & consequenter loquuntur de coactione Dæmonis quoàd potentias exteriores hominis. Non quia Dæmon, virtute suâ physicâ, non possit violenter movere manus, aliaque nostri corporis membra ad malum; sed quia Deus id non permittit; juxtà illud Apostoli [1. ad Corinth. 10. v. 13.] *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis.*

Undè doctissimus, & piissimus Nieremberg. [doctrin. ascet. lib. 4. doctrin. 10. cap. 62.] ait: „ Benignus enim Conditor noster „ non dedit hosti nostro posse nos „ vi ad peccatum impellere; quiâ „ tùnc nimis fortis esset contrà „ nos, qui fragiles sumus, & vix „ possemus sinè peccato subsistere: „ sed tantùm permittit mala suadere .... Cùm ergò suadet nobis peccatum, quodammodò exigit à nobis, ut præstemus ei arma nostra, quibus nos occidat: „ vel, ut ipsa arma, quæ ei præstemus, hebetet, & rotundet, ut „ nobis minùs apta, & utilia fiant, „ & minùs acuta, & efficacia ad „ eum per ea impugnandum. Ut, „ quùm immittit nobis cogitationes perversas, & suadet, ut malum faciamus, & loquamur; nonnè quasi apertè videtur homini „ dicere: inermis sum contrà te, „ non habeo undè te lædere possum, nisi tu mihi præstes arma „ tua, ut te vulnerem, & occidam. „ Præsta ergò mihi cor tuum ad „ cogitationes pravas, vel affectiones malas: & linguam ad loquendum iniqua: & manus, & alia „ membra ad operandum malum, „ ad actiones, & alia opera prava, „ quibus lethale vulnus in animâ „ excipias, & gratiam Dei perdas, „ & gloriæ cœlestis merito expolieris. Undè dixit Apostol. ad Rom. 6. *Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.*

Hoc idem præclarè, more suo, firmat Maldonatus [in Luc. 1. v. 74.] li-

librans verba D. Petri [Epiſt. 1. cap. 3. v. 13.] *Quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis.* „ Jubet nos à nobis timere, non „ ab hoſtibus. Nam hoſtis quidèm, „ non ſolùm per Chriſtum debilitatus, ſed victus omninò, atquè „ ligatus eſt. [Apocal. 20. v. 2.] „ Non tam ille in nos invadit, „ quàm ipſi nos in illius manus damus. *Circuit* quidèm tamquàm „ Leo rugiens, quærens quem devoret. [1. Petri 5. v. 8.] Sed ligatus circuit, quales ſolent circumferri Urſi: nec mordere nos poteſt, niſi volentes, & quodammodò provocantes. *Quis*, inquit, „ *eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* [1. Petri 3. v. 13.] Vera eſt Chryſoſtomi ſententia: *Neminem lædi, niſi à ſeipſo.*

Inſtat Myſticus Spurius. Verum eſt, Dæmonem cogere non poſſe ad peccatum; ſed cogere poteſt ad materiale peccati. Quandò igitùr PP., ac Theologi docent, Dæmonem poſſe tantum ſuadere, & non poſſe cogere ad malum, intelligunt de malo pro formali, & non de malo entitativo, ſeu pro ſubſtrato; proùt eveniret, quàm Dæmon vim nobis inferret ad actus objectivè turpes.

547. Hæc inſtantia fœtet quatriduana. Jam pluries, & in omni ferè Sectione diximus, Dæmonem poſſe quidèm, ſpectatâ virtute ſuâ naturali, cogere hominem ad actum, qui genere ſuo eſt malum; id tamèn Deum non permittere, ſi homo reſiſtit quantum poteſt, & debet. Hoc uſqueadeò probavimus, & mox ultrà probabimus. Hoc utiquè [illegible] PP. teſtimonia habemus. Illi Pauli, quem D. Bernard. [illegible] allegatus, aliique PP., Nieremberg., ac cæteri Myſticæ Magiſtri docent, benignum Conditorem Deum non permittere, Dæmonem nos vi impellere ad peccatum; quâ veritate id poſſent aſſerere, ſi Deus permitteret, Dæmonem nos vi compellere ad actum, qui genere ſuo eſt peccatum, uti eſſet actus turpis? Dæmon enim, nos compellendo ad actum turpem, certò certiùs nos impelleret ad peccatum pro formali, ut omnes fateri debent; imò & compelleret (compulſione morali) ad formale peccati, ſeù, ad conſenſum in illum actum turpem; ut oſtendimus ſuprà, & luſiùs oſtendemus infrà. Ergò prorsùs inepta eſt facta inſtantia.

Noſtram reſponſionem confirmat Sylvius [in 1. 2. D. Thom. q. 80. art. 3.] hâc ratione. „ Diabolus, vel ità perturbat facultates interiores, ut liber uſus rationis penitùs tollatur: vel ita, ut „ relinquatur aliquod liberum rationis exercitium? Priori modo „ cogere quidèm poteſt ad actum, „ qui genere ſuo eſt peccatum, „ (quomodò cogit Energumenos „ ad enuncianda verba blaſphema, vel etiam alios actus ex objecto malos) non tamèn ad peccatum; quia tunc deeſt libertas „ arbitrii, ſinè qui nullum poteſt „ committi peccatum. Poſteriori autèm modo (N.B.) nè quidèm poteſt cogere ad actus objectivè malos: ac per conſequens, multò minùs ad peccatum.

Denique Adverſarius benè perpendat verba D. Auguſtini [Lib. 2. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 6.] *Non aſſeramus ſtateras [illegible], ubi examinamus quod volumus, & quomodò volumus, [illegible]*

bitrio nostro dicentes: hoc grave, & illud leve. Sed afferamus Divinam Stateram de Scripturis Sanctis, & in illis appendamus; imò non appendamus, sed appensa à Domino recognoscamus.

ARGUITUR RATIONIBUS.

PRIMA RATIO

Ex summâ Bonitate, & suavissimâ Dei Providentiâ;

548. SUb uno titulo duo comprehendimus Dei Attributa, Bonitatem, scilicèt, & Providentiam. Bonitas enìm est velutì causa, quâ Divina Voluntas cunctis providet rebus. Nam ex Damasceno [lib. 2. de Fide cap. 29.] *Providentia est Voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem suscipiunt.... Et factiva ejus virtus, & contemplativa, & provisiva, bona ipsius Voluntas est..... Igitùr, quid est bonus, providet.*

549. Providentia autèm Dei, & Bonitas respectiva (de quâ loquimur) ità se accommodat rebus creatis, & suam curam impendit, ut necessariis necessariò, liberis verò liberè media subministret convenientia ad debitum finem assequendum; proùt ex D. Dionys. prænotavimus num. 507. In omnibus igitùr, & singulis rebus Providentia Dei est perfectissima; quamvìs non æquè velit, & præfiniat omnia. Siquidèm, perfectio Divinæ Providentiæ non consistit in æqualitate arithmeticâ, sed in geometricâ proportione; nimirùm, quòd unicuique ità providet, ut par est; juxtà capacitatem, aut necessitatem, seu rei perfectionem. In quo sensu, inquit Apostolus [1. Corinth. 9. v. 9.] *Numquid de bobus curæ est Deo?* Non quòd eorum non habeat providentiam, sed quià talem non habet, qualem de hominibus; habet tamèn perfectissimam, idèst, proportionatam tali naturæ, & quasi debitam. Sic ergò dicimus, quòd Deus de omnibus perfectissimam habet Providentiam, non tamèn æqualem.

550. Ex quô intelligimus in Deo virtutem quamdam Justitiæ, quæ respicit convenientem Providentiæ modum, quem Deus debet vel rebus, vel potiùs suæ Bonitati; ex suppositione, quòd voluerit creare res, & gubernare. Quæ convenientia, quamvìs reguletur per Divinam Sapientiam, tamèn fundatur in proportione aliquâ ipsarum rerum intèr se: quæ interdùm accipitur intèr naturam particularem, & proprietatem ejus, vel actionem: aliquandò verò, & principaliùs, intèr unamquamque rem particularem, & bonum, seu Ordinem Universi. Hæc virtus, quæ (ut nostro loquamur modo) inclinat Divinam Voluntatem, ut in suis operibus hanc servet proportionem, & perfectionem, non immeritò vocatur Justitia: licèt enìm, per se sumpta, nunquàm operetur debito proprio Justitiæ, ideòque propria Justitia non sit; attamèn imitatur illam, quùm respiciat aliquale debitum, & proportionem, seu commensurationem rerum intèr se

Digitized by Google

cum bono communi. Quapropter, quia hæc Justitia non est omninò propria, vocamus eam *Justitiam Providentiæ*, seù, Providentialem: & sic etiàm ejus munus significatur. Id paucis verbis comprehenditur [Sap. 11. v. 21.] *Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti.* Sicùt enim est perfectio Divini Intellectus mensuram, numerum, & pondus comprehendere rerum omnium: ita est perfectio Divinæ Voluntatis eadem servare in suis operibus, propter quamdam æquitatem, & proportionem inventam in hâc rerum dispositione.

551. Hæc autèm Justitia Providentialis, non solùm in operibus naturæ particularis, sed & naturæ universalis (ut Philosophi appellant) intercedit. Quandoquidèm, quòd terra sit aquis discooperta, non est debitum naturæ particulari, sed universali. Similitèr, quòd aqua ascendat ad replendum vacuum &c. Quòd si *Moralem* (ut ita dicam) *Providentiam* spectemus, hujus Justitiæ Providentialis est, quòd Deus præcepta imponat hominibus, non solùm recta, & physicè possibilia, sed etiàm illis accommodata, & proportionata, seu moraliter possibilia.

Indè omnes Theologi uno ore proclamant, Deum non solùm non præcipere impossibilia physicè, sed nec universìm impossibilia moraliter; ut ritè advertit Viva [prop. 1. contrà Quesnellum n. 9.] Bartholomæus Durand. [in Fide vindicatâ lib. 1. art. 25. §. 2.] & alii passìm docent. Quibus suppositis, utpotè certis, ex sanâ Theologiâ, sic arguo.

552. Deus non permittit, quod non decet summam suam Bonitatem, & suavissimam Providentiam: atqui hoc evenerit, si permitteret, Dæmonem vim inferre &c. Id probo. In casu proposito, homo ità in arcto deserereturut nolens omninò, & prorsùs repugnans, vigil, & sui compos, violentèr aggrederetur à Dæmone, & vi absolutâ opprimeretur, & cogeretur ad turpia patranda: & sic constitueretur in periculo proximo consentiendi in illam delectationem venereamm, quæ necessariò, & naturaliter oriretur ex tactibus illis, & actibus fœdis. Profectò, homo his vallatus circumstantiis, est moraliter impossibile, quòd non consentiat carnis illecebris, quarum, adhùc nolens, sentit voluptatem; nam id pluris esset, quam picem tangere, & non inquinari ab eâ: ignem abscondere in sinu, & non comburi. Eò vel maximè, quiá motus illi, & tactus turpes essent confricatorii pudendorum, & quidèm per longum tempus, usquè ad seminis fluxum: Quænam ergò summa Dei Bonitas in isto casu miserrimo? Quænam Dei Providentia Suavis? Quænam Dei Justitia Providentialis? Peccaret quidem homo, si ità invasus succumberet; quamvis necessariò, necessitate morali succumberet: puniretur etiàm pœna æterna ob istud peccatum, etsi coactione morali commissum. Hæc autèm involvunt repugnantiam.

553. Confirmatur 1. à Vega [in Concil. Trident. lib. 11. cap 13.] „ Quæ fuit unquàm gens tam barbara: qu's hominum tam stolidus, & st pidus, ut putaret se „ in culpa esse, aut in crimine, „ propter ea, quæ vitare non potest? Quis etiàm tam durus fuit „ unquàm, tam erudelis, tam im-

„ ma-

Digitized by Google

„ manis, ab omni humanitate alie-
„ nus Tyrannus, ut ea ſuis ſubditis
„ imperaverit, vel ab eis exegerit,
„ quæ præſtari ab ipſis non pote-
„ rant? Et certò, Deus, puniendo hominem illum, qui ſuccumberet hujuſmodi tentationi, ut ſupponitur, Irreſiſtibili, durè ageret, & non benignè: non ut Judex (ut ita dicam) terminaret cauſas hominum, ſed tantummodò per potentiam, & dominium abſolutiſſimum. Id autèm non decet Dei Bonitatem, Juſtitiam, Providentiam, Prudentiam &c. proùt docent Scripturæ, & DD. Catholici invehunt contrà Janſenium, primò damnatum ab Innoc. X., & Alex. VII., & iterùm á Clem. XI. Kalendas Auguſti 1705.

554. Confirmatur 2. Deus, utpotè ſummè Bonus, & optimus Proviſor, non permittit aliquod malum, niſi proptèr aliquod bonum ex illo ſequuturum. Atquì permiſſio hujus mali, de quo loquimur, nullum affert bonum; imò plura gignit mala. Ergò. Maj. eſt D. Dionyſ. [cap. 4. de Divin. Nominib.] & D. Auguſtini [Enchir. cap. 10., & 11.] dicentis: *Nec enim Deus Omnipotens, quùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſqueadeò eſſet Omnipotens, & Bonus, ut benè faceret etiám de malo.* [& lib. 3. de liber. arbitr. cap. 100.] *Neque ſineret bonus fieri malè, niſi Omnipotens etiàm de malo facere poſſet benè.* Min. patet; quià nullum aſſignari poteſt bonum, quod ſequatur ex permiſſione hujuſmodi violentiæ Dæmonis; imò quamplurima naſcerentur mala jam relata, & alia, quæ oſtendam infrà.

Reponit Molinoſius. Deus permittit ſcelera: vel ob gloriam ſuam: vel proptèr bonum commune: vel ad utilitatem ipſius Peccatoris. Quoàd primum finem loquitur Apoſtolus, dum ait: [ad Rom. 9. v. 22. & 23.] *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multâ patientia vaſa iræ apta in interitum. Ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ &c.* Secundum finem colligit Div. Ambroſ. [ſerm. 47. de Fide Petri] ex lapſu D. Petri, inquiens: *Deus permiſit lapſum Petri, proptèr Eccleſiæ bonum.* Deniquè de tertio fine D. Auguſtinus [14. de Civit. cap. 13.] ait: *Audeo dicere, ſuperbis eſſe utilem cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant.* Sic in caſu noſtro, eſt valdè conſentaneum Divinæ Bonitati, ac Providentiæ, permittere Dæmoni violètiam nobis inferre ad actus turpes exercendos, tùm ad purgandas animas, quæ paterentur invitè hujuſmodi fœditates, quas toto corde reſpuunt: Tùm ad eas humiliandas; quùm humilitas fundamentum ſit perfectionis, & baſis omnium virtutum: Tùm ad perducendas eas in veram transformationem; quià hoc pacto ſe annihilarent, & unirent Deo.

555. At, quàm ſit putida, & obſoleta ejuſmodi doctrina, enarrent Myſtici. Porrò, quoàd purgationem paſſivam, diſcurrit more Porcorum. Quis unquàm ſe lavit in cœno? Quis è cloacâ purior exivit? Quis in ſentinâ ſordium ſuorum fecit purgationem? Permittit quandòque Deus, ad animas purgandas, Dæmonem ipſis nedùm ſuadere obſcœna, ſed etiàm repræſentare: ità legimus de S. Ca-

Digitized by Google

tharina Senensi, Magdalena de Pazzis, aliarumque plurium Virginum, & SS. Virorum; nunquàm tamèn Deus permisit, nolentibus ipsis mulieribus, aut viris, patrare, aut pati à Dæmone nefaria. Audiamus Mysticæ Magistrum Josephum Lopez Ezquerra [in Lucerna Mystica tract. 6. de purgat. pass. animæ cap. 3. n. 29. & seqq.] „ Ex violentâ passionum motione, involuntariâ membrorum sequitur „ motio: quæ solet esse instantanea, (N.B.) & tantùm inchoativa operis peccaminosi, non verò consummativa. Quòd valdè animadvertendum est..... „ Igitùr, inveniet Magister animas, quas sæpiùs adeò vehemens ira, aut desperatio invadit, quæ ex vehementi passione obcœcatæ, puteum, aut præcipitium adeunt, ut exindè præcipites ruant. Aliæ cultrum, vel gladium, quibus se jugulare possint, quasi furentes accipiunt, & aliquandò in secreto abscondunt, ut tutiùs eis se occidere valeant &c. Tamèn nunquàm ullum vidimus, in hac purgatione consistentem, qui usquè ad consummationem operis peccaminosi perveniret, licèt multos hâc vehementi passione affectos, conspeximus; imò dùm arriperent gladium, quo se occiderent, quùm actu se ferire volebant (N.B.) illicò Deus eorum obcœcatam rationem clarificabat, irrationalemque sedabat appetitum. Tumque illi, quasi à somno excitati, non solùm ab incepto opere cessabant, verùm etiàm eliciebant plures actus contritionis, resignationis, & humilitatis: statimque eos contorquere incipiebat scrupulus, & anxietas, se in hujusmodi motibus peccavisse. Quià, nimirùm, Deus, per sui Divini luminis claritatem, impediendo operis executionem, iterùmque illud auferendo, memoriam tantùm præcipitis actionis in animo relinquebat, ad sui tormentum, & anxietatem: quæ quidèm ei ex defectu luminis provenire dubium non est.

556. „ Ut ergò Director eruditionem capiat, & possit ejusmodi animas consolari; quia afflictis non est addenda afflictio; scire debet, quòd hæc vehementia deordinatarum passionum, licèt interdùm opera Dæmonis fiat, sæpe sæpiùs provenit ex causâ supradictâ, utpotè ex famelicarum passionum præcipiti motu, quo in hâc purgatione appetitus laborat. Et si vera sit purgatio, rarò, aut nunquàm in his, & similibus peccatum lethale committet; ut affirmat Henric. Arpius Theol. Myst. lib. 2. part. 5. cap. 49. Neque (N.B.) ad consummationem operis perveniet.....

557. „ Quartum signum veræ purgationis est, quòd anima ad operis peccaminosi consummationem non accedat; sed dùm ferveſcente furore præceps ruere incipit, illicò lumen illud supradictum irradiat, quo ab opere peccaminoso, & ab insaniâ appetitus resilit. Hactenus laudatus Lopez.

558. Aliud humilitatis effugium est prorsùs inane. Quandoquidèm, permittit Deus, electos suos interdùm cadere in peccatâ, etiam obscœna; ut postmodum propriam agno-

Digitized by Google

agnoſcentes miſeriam, & fragilitatem, humilientur, & cautiùs ſe habeant; undè de ipſis prædeſtinatis dicitur [ad Rom. 8. v. 18.] *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, idèſt*, ſubdit Gloſſa, *etiàm peccata*. Verùm enimverò, lapſus ille imputatur ipſi electo ad peccatum, qui efficitur reus pœna æterna, ſi lapſus fuerit gravis: indè ſuam agnoſcens culpam, ex hâc incitamentum habet, & motivum ſe humiliandi. At in caſu à Molinoſiis invento, homo patiens invitus illas ſpurcitias, non ſe humiliaret, ſed elevaret ſe ſuprà ſe, imò & ſuper alios, & diceret cum Phariſeo [Luc. 18. v. 11.] *Non ſum ſicùt cæteri hominum: Raptores, Injuſti, Adulteri*. Inſaniunt enìm dicentes, quòd Deus non permittit, Dæmonem haſce inferre violentias fœdas, niſi animabus perfectis; quinimò non omnibus animabus perfectis, ſed aliquibus: itaùt talis anima, quæ talia pateretur nefanda, foret privilegiata, & prædilecta à Deo.

559. Hanc ſceleratam Adverſariorum dementiam magìs confutare poſſumus ex iis, quæ habet Doctor emeritus Suarez [in 3. part. D. Thom. tom. 2. diſp. 3. Sect. 5.] ubi poſtquám probaverit, Virginem Deiparam fuiſſe immunem á peccato originali; ita ſibi objicit: „ Dicet aliquis, potuiſſe hoc permitti ad majorem Virginis humilitatem. Sed ſi hæc ratio eſſet valida, potiùs veniale, quàm originale peccatum permittendum fuiſſet; quúm enim illud magìs voluntarium eſt, eò magìs ad humilitatem conferre poteſt. Deindè illa ratio ad utrumque eſt inefficax; quià (N.B.) perfectior „ modus obtinendi, ſeu exercendi „ humilitatem, eſt, quandò id fit „ ex perfecto lumine, & cognitione, quàm ſi fiat ex alicujus mali „ experientiâ. Quod humilitatis „ genus perfectiſſimum in Chriſto „ fuit, & illum Beatiſſima Virgo „ imitata eſt: & ideò non indiguit „ peccato, proptèr humilitatis „ perfectionem. Hæc ſana tanti Doctoris doctrina applicari poteſt ad caſum propoſitum à quolibet, qui innocens eſt manibus, & mundo corde. Deus enìm, nedùm humilitatis, ſed & Puritatis eſt amator, ac zelotes: odio habet non ſolùm actum formalitèr turpem, ſed turpitudinem ipſam, ſeù entitatem fœdam: proùt prænotavimus ſuprà. Undè D. Bonav. [de Perfect. Religioſ. lib. 2. cap. 75.] ait: *Spiritus Sancti viſitatio, ſicùt contrà omnia vitia reprimenda, & deteſtanda infunditur, ità etiàm ſingularitèr contrà carnales opponitur. Et ubi Spiritus munditiæ ſuo jubare reſplenderit, continuò omnes pravæ voluptatis motus evaneſcere, & velùt tenebras, ſuperveniente lumine, diſparere neceſſe eſt.*

560. Deniquè procùl ſit à fidelium mente, quòd Seductor ille ſubdit; nempè, quòd Deus permittit illas violentias ad perducendas animas in veram Dei transformationem. Profectò, ſi velimus, ut debemus, loqui catholicè, ea Molinoſa transformatio verè, & propriè foret Diabolica: & omni cum veritate dicere poſſet Molinoſius: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Spiritus immundus. Siquidèm ex Apoſtolo [ad Galat. 5. v. 22. 23.] *fructus ſpiritus eſt, Charitas, &c. Continentia, Caſtitas.* Et [ad Epheſ. 5. v. 3.] *Omnis immunditia*

non

Digitized by Google

non nominetur in vobis, ſicùt decet Sanctos, & [ad Tit.1. v.15.] *Omnia munda mundis*. Deus enim habitat in puritate, mundis ſe conſpiciendum præbet, & cum incontaminatis caſtum init connubium; undè D. Antonin. [part.4.tit.4.de Temperant. cap.6. §.1. ſub fine] ait: *Puritas in creaturâ rationali eſt Deo gratiſsima: in quâ, tamquàm in ſuo conſimili, congaudet, & quieſcit.* Et Hugo à S.Charo [in Cant. cap.2.] *Maximè intèr lilia puritatis ſatiatur, & delectatur Sponſus Chriſtus, & aſpectu pulchritudinis, & odore ſuavitatis, & tactu lenitatis*. Hinc Myſticæ Magiſtri, ordinariè conſulunt, ut ii, qui ex illuſione nocturnâ immundam habent carnem, ſe abſtineant à perceptione SS. Euchariſtiæ. Nam ex Caſſiano [lib.2.de Spiritu fornicat. cap.22.in fine] *Mens dum dormiens adhùc imaginum viſione deluditur, noverit ſe, necdùm ad integram perfectionem caſtitatis decoctam*. Et in lege veteri prohibitum fuit, nè immundi tangerent munda.

Te igitùr, benigniſſimè Lector, quem verum puto myſticum, & ſanum Doctorem, rogo cum Apoſtolo [1. Timoth. 1. v. 3. & ſeqq.] *Ut denuntiares quibuſdam, nè aliter docerent. Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide. Finis autèm præcepti eſt Charitas de corde puro, & conſcientiâ bona, & fide non fictâ. A' quibus quidam aberrantes, converſi ſunt in vaniloquium. Volentes eſſe legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: Scimus autèm, quiâ lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus..... Hoc præceptum commendo tibi, ut milites in illis bonam militiam. Habens fidem, & bonam conſcientiam: quam quidam repellentes, circà fidem naufragaverunt: Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander* (dic tu Pſeudo-Myſtici) *quos tradidi Satanæ, idèſt, excommunicavi, ut diſcant non blaſphemare*.

SECUNDA RATIO.

Ex communi bono Reipublicæ humanæ.

561. IN convivio ſeptem Sapientum, quamplurima ii Philoſophi enunciarunt Apophtegmata, ut Reſpublica perennis ſit, benè inſtituta, & optimè compoſita. Solon omnibus ſolertior, ac peritior, ait: [apud Stob. ſerm.41. de Republicâ] *Reipublicæ optimus ſtatus is mihi eſſe videtur, Democratiam in eam ſervare, maximè in quâ injuriarum auctorem ad jus trahunt, accuſant, & puniunt: non minùs illi, qui injuriam paſſi non ſunt, quàm is, qui paſſus eſt*. Et quidèm jure meritò id docuit; nam ſecundùm Macrob. (apud Theatr. Vitæ humanæ verb. Juſtitia) *De Juſtitiâ veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas: omneſque emanant virtutes*. Ipſa quoque Reſpublica Catholica enervaretur,

Digitized by Google

retur, & corrueret, nisi justitiâ firmaretur. Undè Tertull. (lib. 2. contrà Marc. 13.) inquit: *Tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quòd impunè contemneret? Quis custodiret, quod sinè periculo amitteret? Legis mali viam latam, & multò frequentiorem: nonnè omnes in illam laberentur, si nihil in illâ timeretur?* Profectò major pars mortalium sufflammatur libidinis æstu, & agitatur passionum furiis: sola Justitia punitiva temperat Veneris ardorem, & frænat iræ violentiam. Nisi Justitia gladium vibret in sontes, Respublica turbatur à facinorosis, pervertitur à perversis, innumeraque inundant mala, per quæ socialis vitæ commoda vertuntur in ærumnas. Hinc Sapiens [Eccles. 8. v. 11.] *Quiá non profertur citò contrà malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* E converso, si vigeat rigor Justitiæ punitricis, subsident pœnarum metu, qui alioquin ad maleficia manus haberent expeditas. Indè Apostolus (ad Rom. 13. v. 4.) ait de Principe Sæculari, sed Catholico: *Non sinè causá gladium portat: Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Ubi Calmet subdit: *Ut eos tueatur contrà iniquorum sententiam: ut fidem, publicamque tranquillitatem conservet: ut perditorum hominum conatus inhibeat. Sinè Principum, & Magistratum auctoritate, quid fiet de legibus, libertate, bonâ fide, negotiatione, imò & ipsâ Religione?*

562. Jam ad casum nostrum. Semèl admissa Pseudo-Mysticorum opinione, quòd Deus permittat Dæmoni vim inferre manibus nostris, aliisque corporis membris ad patranda turpia; quæ, & quanta committerentur, admitterentur, foverentur scelera in Republicâ Christianâ? Certocertiùs innumera, & quidèm omnia impunita. Volens enim, & intendens nequitèr vivere, suæ carnis spurcitias, rapinas, homicidia, aliaque flagitia his excusaret mendaciis: *Ego nollem voluntate. Corde non consentio. Mihi displicet. Invitus ago, & compulsus à Dæmone.* Ad quid ergò Lex Civilis, aut Ecclesiastica, Divina, aut Naturalis; si homines, ad excusandas excusationes in peccatis, allegarent Dæmonis violentias ad Fornicationes, Adulteria, Stupra, Neces, Furta, & quæcumque alia dira, & atrocia delicta? Unusquisque nostrum piè credere deberet eorum excusationibus. Sed quid indè? Nec Dominus servum infidelem, nec Pater filium inobedientem, nec Maritus uxorem adulteram, nec Judex Reum arguere posset, & jure punire; nam, quisque delinquens promptum daret responsum, & quidèm ineluctabile: *Dæmoni imputatur, si malè egi. Ego restiti voluntate, dum manus patrarunt mala: sed meæ facultates externæ subsunt Dæmonis imperio; ideò adhùc viriliter nolens, coactus sum deservire tyranno tartareo, & exequi ea, ad quæ me compulsit hostis antiquus.* His excusationibus quisque inobediens Deo, & hominibus, fronte obscœna simul, & elata *lætaretur cum malè fecerit, & exultaret in rebus pessimis.* (Prov. 2. v. 14.) dicens: *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* (Eccli. 5. v. 6.) *Deum non timeo, nec hominem revereor* (Luc. 18. v. 4.).

Veh, igitùr, mundo! veh generi

neri humano! veh Animabus! veh Corporibus! veh Ecclesiæ! veh Fidelibus! veh Justis! veh Peccatoribus! veh omnibus, si Deus permitteret, Dæmonem totam exercere Potentiam, & Tentationem, quam naturaliter posset, cogendo violenter potentias executivas hominis ad actus ex se malos. Quæ in materiâ Luxuriæ (ut alia prætereamus scelera in cunctis generibus) non committerentur horribilia? Viri etenim, & mulieres, aut per veram Dæmonis violentiam: aut sub ejus prætextu, omnes possent pertransire Libidinis species, non minùs in domibus privatis, sed in publico foro; Nemò etenim posset eos justè punire. Indè nulla foret via ad pudicitiam servandam: nulla clausura pro tuendo Virginitatis voto: nèc ipsum matrimonium certum esse posset de prole legitimâ. Quapropter, nèc Pater teneretur alere filios; nesciret enim, an sui fuerint: nèc filii tenerentur honorare Patrem; quià ignorarent eum: nèc distinguere possemus legitimos, & naturales à notis, & spuriis; & consequenter, vel nullum, vel omnes promiscuè promovere, & admittere deberemus ad Ecclesiasticas dignitates. Quæ autèm, & quanta sint hæc, & alia hujusce generis inconvenientia, & absurda in Republicâ humanâ, & Catholicâ, patent lippis, & tonsoribus.

563. Hìc recurrunt argumenta, quibus D. Augustin. [Epist. 246. aliás 243.] Fatum impugnat: *Illud noveris, omnes leges, atquè omnia instituta disciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, & supplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus administratur, & regitur, penitùs labefactari, atquè subverti: nihilque in eis justitiæ remanere, nisi voluntas sit causa peccandi.* Vis hujus argumenti, non solùm expugnat fatalem Syderum necessitatem, sed & Dæmonis violentiam ad malum ex objecto. Nam S. Præceptor loquitur de exitiis, quæ opere complentur, & à potentiis patrantur externis; genus etenim humanum nonnisi quoàd actus externos subditur legibus humanis, seù præmiis, suppliciis &c. Nec aliqua excogitari potest disparitas, cur D. Augustini argumenta convincant de necessitate proveniente ab Astris, & non de coactione Cacodæmonum. Siquidèm utraque cogeret ad animarum ruinam: utraque per amplum panderet campum ad scelera omnia: utraque *ignosceret* culpis quibuslibet: utraque tolleret de medio omnem justitiam. *Qui hæc negaverit* (dicam cum D. Chrysost.) [in Psalm. 4.] *perindè facere, ac si quis meridie quærat Solem videre, & dubitet de luce.*

564. Confirmatur 1. Deus non permittit Dæmoni suam naturalem exercere potentiam, adjuvando maleficos, & maleficas, ut evadere possint, quandò sunt in carceribus. Ità Grillandus [de Sortilegiis cap. 9. §. Secunda Ratio] apud Malleum Maleficarum [tom. 2. part. 2. fol. mihi 445.] Et rationem assignat: „ Nè aliqui Judices, & Officiales „ curiosi, forsan videntes aliqua si- „ gna manifesta liberationis eo- „ rum, invitarentur ad prosequen- „ dam illorum professionem. Et „ hoc est, quod dixit S. Augustin. „ [lib. 3. de Trinit., & 10. de „ Civit. Dei.] Et S. Thom. [in „ tract. q. prim. part. q. 5. in tit. „ de

Digitized by Google

„ de Miracul., & Canoniſtæ in „ cap. *Nec mirum* 29. q. 5.] quòd „ Deus impedit potentiam Dæ„ monis in quibuſdam, ad obſer„ vantiam Chriſtianæ Fidei; ut la„ tè diximus &c. Quià aliàs Fides „ ipſa Chriſtiana paulatim tota „ ſubverteretur: majoremque po„ teſtatem videretur habere Dia„ bolus, quàm Deus, & Judex, qui „ eſt miniſter Dei. [diſt. 11. q. 3. „ *Nemo contemnat &c.*] Imò tunc „ Deus reſiſtit Dæmoni, & illius „ vires comprimit; per ea, quæ „ notat S. Auguſt. &c.

565. Confirmatur 2. Dæmon poteſt naturaliter, potentiâ ſuâ cognitivâ, intelligere quodcumque intelligibile cauſatum: & per conſequens, poſſet naturaliter cognoſcere cordium cogitationes, & myſteria gratiæ, ex quò ſunt poſita in effectu: proùt jam de facto cognoſcunt Angeli boni; nam eorum naturalia remanſerunt integra: Ex D. Dionyſ., quem omnes ſequuntur Theologi. Verùm, hoc intereſt inter Angelum bonum, & malum; quòd malus, per ſubtractionem concurſus generalis, impeditur nè videat animæ cogitationes, & internas affectiones: Angelo autèm bono non denegatur hujuſmodi concurſus. Ità D. Auguſt. [lib. 2. de Eccleſ. dogm. cap. 83.] Scotus [in 4. diſt. 10. q. 8. ad 3. principale.] Et [diſt. 45. q. 4. ad 2. principale.] Impediuntur tamèn á Deo, nè videant cordis ſecreta; quiá ſecùs multa forent incommoda in Republicâ Intellectuali, ſi propriæ cogitationes, & affectiones hominum paterent omnibus Angelis; tùm bonis, tùm malis; ait Becanus [in ſum. part. 1. q. 10. de Naturâ Angelorum num. 3. in fine] Atquì eadem, & majora ſequerentur abſurda in Republicâ humanâ, ſi Deus permitteret Dæmoni, vi compellere ad turpia, & alia facinora; ut per ſe patet, & hactenùs oſtendimus. Ergò &c.

566. Confirmatur 3. Eſtò licitum ſit, manum, teſticulos, aut quodvis aliud membrum ſibi amputare, ubi ad vitam tuendam ſit neceſſarium; nunquàm tamèn licitum erit procurare pollutionem, etſi mediis, ac pharmacis aliàs licitis: nèc id cohoneſtari poteſt aliquo bono fine, quamvis ad vitam conſervandam ſit omninò neceſſarium. Ita DD. omnes apud Sanchez [de Matrimonio lib. 10. diſp. 17. n. 16.] ubi, poſtquàm communem tradit rationem, eamque validiſſimis confutat rationibus; tandèm egregiè concludit. „ Atquè ita legiti„ mam rationem eſſe cenſeo, cur „ in nullo eventu, & ubi ad vitam „ tuendam neceſſarium eſſet, li„ ceat ſeminis effuſionem procu„ rare: Quia adeò vehemens in „ ſeminis emiſſionem delectatio „ ſentitur, ut illam [teſte Abulenſ. „ cap. 5. in Matth. q. 184. ad pri„ mum] homines tamquàm ſum„ mum bonum proſequantur, illi„ que velutì ſuæ felicitati adhæ„ reant. Quarè ob id natura in „ omni eventu ipſius adminiſtra„ tionem homini denegavit; eâ „ enim, in aliquo caſu conceſſâ, „ (N.B.) evidentiſſimum ſubeſſet „ periculum, ut homo paſſione li„ bidinis excœcatus, paſsìm ſibi „ perſuaderet, cauſam effundendi „ juſtam adeſſe; atquè ita ſemen „ prodigeret: indèque fornicatio„ nes, adulteria, aliaque innume„ ra luxuriæ vitia adversùs com„ munem bonum pullularent. Qui-

Digitized by Google

„ bus, ut obviaret, Natura meritò, „ ac jure optimo prædictam administrationem negavit, non obstante vitæ Individui periculo, „ quæ bono communi cedere debet, illique postponenda. Non „ sic autèm contingit, concessa „ cæterorum membrorum, ob totius bonum, administratione; „ dolor enim maximus, ex ipsorum „ amputatione consurgens, coërcebit à necessariâ, nedùm à prodigâ ipsorum administratione. „ Undè concludo, legitimam rationem, cur pollutio voluntaria „ sit vitium contrà naturam, esse, „ quia adversatur generationi, ad „ quam natura semen destinavit: „ non autèm ea est legitima, cur „ in nullo eventu permissa sit; sed „ quia omninò est denegata homini seminis administratio, extrà „ matrimonii copulam, ob bonum „ commune, ad occurrendum periculis, ex eâ administratione „ concessâ, orientibus.

Eâdem utitur ratione eruditissimus Viva ad impugnandam propositionem 18. proscriptam ab Alex. VII. „ Non debuit enim natura, propter bonum alicujus privati, in aliquo raro casu (N.B.) „ permittere hanc defensionem „ immoderatam, quæ innumeris „ dedibus ansam daret: quùm quilibet ex passione facilè sibi persuadeat, judicem esse infensum. „ Ad eum modum, quo non debuit natura fornicationem permittere pro illo raro casu, in quo „ aliquis putaret, bonâ prolis educationem non esse defuturam: „ eò quòd quilibet, æstro passionis „ percitus, facilè sibi suaderet, „ quòd hìc, & nunc bonæ educationis proli esset perspiciendum; „ & sic luxuries ubiquè debacharetur.

Et in propos. 49. damnatâ ab Innoc. XI. ait: „ Mollities bono totius generis humani repugnat per hoc, quòd disperdatur „ id, quod est ordinatum ad hominis generationem: etsi ea liceret, pauci onera matrimonii „ subirent. Et num. 17. subdit: „ Quandò tamèn actio aliqua in „ nullâ circumstantiâ est juxtà dictamen rationis; ut odium Dei, „ blasphemia, perjurium, mendacium; tunc, non solùm Deus „ nequit in præceptis naturalibus, „ á quibus istæ actiones prohibentur, dispensare; sed nequè poterit illas actiones, materialitèr „ sumptas, permittere, ut licitè „ fiant, aut præcipere: hujusmodi „ autèm est mollities, & quodvis „ peccatum luxuriæ contrà naturam. Rationi enim dissonat, ut „ mox ostendimus, quòd per illas „ ratio subjiciatur sensui, & in „ præjudicium (N. B.) totius generis humani disperdatur semen, quod est institutum ad propagationem speciei humanæ; „ etiamsi id fieret ad propriæ vitæ „ conservationem. Ergò non solùm nequit in eis Deus dispensare, sed nequè poterit ratione „ supremi dominii efficere, ut licitè fiant. Sicùt nequit ratione „ supremi dominii efficere, ut quis licitè peieret, aut blasphemet.

567. Stante hac sanâ doctrinâ ab omnibus Theologis receptâ, sic arguo. In mollitie (voluntariè, aut violentiâ Dæmonis patratâ) disperderetur id, quod est ordinatum ad bonum totius generis humani. Ergò sicuti Deus naturæ Auctor ritè prohibuit, nè ullo unquam casu, etsi

etsi raro, licita sit effusio seminis humani: eâdem ratione coërcet Dæmones, nè humanam impediant generationem, dispergendo hominis semen, cogendo nolentem &c. idque ob bonum commune.

568. Confirmatur 4. Semèl admissâ Pseudo-Mysticorum dementiâ, nempè, quòd Deus in aliquo casu rarissimo permittat, Dæmonem vim inferre manibus, aliisque nostri corporis membris ad spurcitias patrandas; cur hoc idem non sentimus de furtis, rapinis, homicidiis, incendiis, & aliis omnibus flagitiis, quæ vergunt ad Reipublicæ humanæ perniciem? Certò, non plùs virtutis requiritur in Dæmone ad compellendum hominem ad cætera facinora, quàm ad mollitiem. Nec est assignabilis disparitas, cur Dæmonis potentia sit ligata à Deo, nè compellat invitos ad reliqua scelera, & sit soluta in genere luxuriæ. Quinimò potiori jure dicere debemus, in hâc materiâ tam delectabili, tam lubricâ, tam periculosâ, magìs, & fortiùs esse ligatum Diabolum, quàm in cæteris. Tùm quia, eadem, & majora incommoda, & absurda orirentur in Republicâ humanâ, si Dæmon violentiam inferret ad turpia, quàm ad alia crimina.

Si autèm Adversarii, hoc pressi argumento, utiquè concedant, Deum permittere Dæmoni vim nobis inferre, tùm ad obscœna, tùm ad rapinas, homicidia, &c. videntes non vident, & audientes non audiunt, quæ, & quot ex his deliramentis inducerèntur mala in Rempublicam Christianam: *Verba oris ejus iniquitas, & dolus*; ait Regius Vates (Psalm. 35. v. 4.) *noluit intelligere, ut benè ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ: malitiam autèm non odivit.*

TERTIA RATIO

Ex Alligatione Dæmonis.

569. OMnes fateri debemus, Diabolum fuisse ligatum. Ergò non potest cogere homines ad actus turpes. Ant. est de fide. [Apocalyps. 20.] *Venit Angelus, & ligavit eum, & misit eum in abyssum.* Consequentia liquet ex eodem textu, in quo subjungitur: *& clausit, & signavit supèr illum, ut non seducat amplius gentes.* Seducere autèm minus est, quàm cogere. Ergò si Diabolus est ligatus, *ut non seducat amplius gentes*, multò strictiùs est ligatus, ut non cogat illas.

570. Confirmatur. *Alligatio Dæmonis est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest, vel vi, vel dolo, ad seducendos homines, in partem suam cogendo violentèr, fraudolentèrve fallendo.* Ex D. Augustin. (lib. 20. de Civit. cap. 8.) quem omnes sequuntur Theologi. Atquì Dæmon non potest violentèr cogere hominis Voluntatem; ut certum est ex fide; sed cogere potest violentèr manus, aliaque hominis membra ad nefanda. Ergò quoàd hanc violentiam inferendam est ligatus. Sanè, in eo est ligatus, quod naturalitèr posset; ut ex eodem Sancto Præceptore, &

Digitized by Google

Angelico Doctore pluries adnotavimus. Præterea, Dæmon nequit cogere, nec quidèm moralitèr, ad actum intrinsecè malum; ex suprà probatis. Ergò multò minùs cogere nequit physicè ad illum. Coactio namquè physica est multò efficacior, quàm sola coactio moralis; ut clarè patet etiam cœcutientibus. Videantur, quæ ostendimus de Alligatione Dæmonis.

QUARTA RATIO

Ex Promissione Divinâ.

571. CLementissimus Deus promisit nobis per Doctorem gentium, quòd non permittet nos tentari ad faciendum malum suprà id, quod possumus sustinere, seu resistere. Ergò à fortiori non permittet, nos invitos operari ipsum malum irresistibilitèr. Ant. est Apostoli (1. ad Corinth. 10. v. 13.) Consequentia sequitur à minori ad majus, per locum ab extrinseco. Nam ly *Tentari* minus est, quàm *operari* ipsum malum; Ergò si Deus non patietur nos tentari irresistibilitèr ad operandum malum; nec permittet nos irresistibilitèr operari ipsum malum: & quidèm intrinsecè, & ex objecto malum, qualis esset actus turpis.

Dices. Deus permittendo nos operari irresistibilitèr malum entitativè, occurreret suâ gratiâ, nè consentiamus in hujusmodi malum: seu, Deus permittit planè, nos ope, & violentiâ Dæmonis absolutâ operari turpia, quæ sunt ex se mala; sed eodem tempore dat Voluntati auxilium, quo repugnet talibus malis: & sic essent mala tantùm materialitèr, non verò formalitèr. Sicut ergò Deus non patietur nos tentari suprà id, quod possumus: quatenùs, scilicèt, tribuit nobis gratiam, quâ resistere possimus tentationi ad operandum malum: ita quoque præbet & gratiam, quâ resistere possimus delectationi, quam secum præsefert opus illud malum, nempè, actus turpis. Et hoc modo est vera Dei promissio facta per Apostolum Paulum.

572. Hæc responsio videtur Catholica, si specie tenùs aspiciatur; reipsâ tamèn est Molinosa. Profectò ex Suarez [lib. 1. de Grat. cap. 23. n. 23.] „ Hæc sunt distincta dona, seu beneficia, adjuvare ad vincendum: & prævenire, nè sit pugna, vel nè tam gravis sit. Sicùt donum innocentiæ, & donum remissionis peccati, utrũque est donum gratiæ, tamèn distinctum: ità etiàm non pulsari tentatione, vel illam vincere, postquàm vexat, distincta sunt dona gratiæ. Quòd autèm sit levis tentatio, & non gravis, pertinet ad primum genus gratiæ non permittenti tentationem; non autèm propriè ad victoriam tentationum. Ita Doctor emeritus. Dum autèm Apostolus ait: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis*, promittit Divinum auxilium quoàd tentationem, quòd, scilicèt, Deus non patietur nos tentari tali, ac tantâ tentatione, quæ sit suprà vires;

res; quod clarissimè patet ex verbis ejus immediatè præcedentibus; præmisit enim: *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*; idèst, humanis viribus attemperata; ut omnes interpretantur PP., & Expositores; & occurrens objectioni, quam homines facere possent, allegando humanarum virium fragilitatem: & quòd non est in eorum potestate, ut tentatio sit humana, & non Diabolica; statìm addit Fidelem Dei promissionem, quâ benignissimus Deus, qui mentiri non potest, non patietur nos tentari, nisi tentatione humanâ.

573. Promittit utiquè Apostolus aliud auxilium Divinum, nimirùm, quòd nos, gratia Dei adjuti, vincemus etiam tentationem illam humanam; dum continuò subdit: *sed faciet etiam cum tentatione proventum*; idèst, exitum, & victoriam; ut SS. PP., & Expositores intelligunt. Sensus itaque genuinus verborum Apostoli hic est: Deus misericors Pater, sciens figmentum nostrum, & quòd non valemus resistere tentationi Diabolicæ, idèst Irresistibili (in hoc enim sensu vocamus hìc cum D. Paulo tentationem Diabolicam) promittit nobis, quòd non eveniet nobis hujusmodi tentatio Diabolica: *Non patietur nos tentari suprà id, quod possumus.* Et hoc est primum auxilium. Deindè dives in misericordiâ, promittit ulteriorem gratiam, nempè, victoriam illius tentationis humanæ, quam permittit nos pati ad coronam obtinendam: *Sed faciet cum tentatione proventum*, ad nostram utilitatem, & sui gloriam. Idque est secundum auxilium.

Confirmatur hæc Doctrina ex D. Thoma [in 3. dist. 31. q. 1. art. 3.] *Et dicendum, quòd resistere tentationi dupliciter dicitur: Uno modo, ut quis à tentatione non vincatur. Alio modo, ut quis tentationem vincat. Dicitur enim aliquis à tentatione vinci, quandò à proprio bono trahitur per tentationem in consensum peccati: sicut est in incontinente, qui habet rationem rectam, sed deducitur. Qui enim non habet propositum bonum, ut intemperatus, sivè luxuriosus, non vincitur, quiá libenter id agit. Vincit autèm, qui non solùm á tentatione superveniente in actum peccati non deducitur, sed etiàm ex magnitudine virtutis, quasi nihìl tentationem parvipendat. Qui verò difficultatem à tentatione patitur, sed non deducitur, resistit quidèm tentationi, quàm non consentit; sed non vincit, propriè loquendo. Loquendo ergò primo modo de resistentiâ peccati, sic quælibet Charitas potest resistere peccato, propter liberum arbitrium liberatum à servitute peccati; quamvis difficultatem patiatur, propter tentationis impulsum. Loquendo verò de tentatione secundo modo, sic Charitas, quæ est parva in principio tentationis, potest tentationibus resistere, quia in fine tentationis fit magna; quàm Deus pugnanti auxilium semper administret. Si tamèn ponatur, quod semper parva maneret, non posset per modum dictum tentationi resistere.*

574. Calliditas igitùr Adversariorum hæc est, quòd sub obstentatione Divini auxilii, negant Divinum auxilium: magnificant illud quoád victoriam tentationum, ut ipsum excludant quoàd tentationem: & hoc pacto reipsá primum, & secundum respuunt auxilium. Dicunt enim, quòd Deus non patietur

tietur nos tentari ſuprà id, quod poſſumus, quatenùs tribuit nobis gratiam, quâ reſiſtere poſſimus tentationi ad operandum malum; ut ſic doceant, dari tentationes ex ſe Irreſiſtibiles, ſeù Diabolicas; Deum tamèn præbere nobis gratiam, quâ non inducamur ad operandum malum. Et hoc modo negant Dei promiſſionem, ſimùl & gratiam; Deus enìm promiſit, quòd non patietur nos tentari ſuprà id, quod poſſumus; idèſt, quòd non patietur nos apprehendere aliam tentationem, niſi humanam: & hæc eſt prima gratia, quam agnoſcere nolunt Pſeudo-Myſtici. Negant enìm factis gratiam, quam ore fatentur; ajunt enìm, Deum nobis præbere gratiam, quâ non inducamur à tentatione ad operandum malum: & tamèn ipſi operantur malum, ad quod inducit tentatio. Et quià iſta manifeſtam involvunt contradictionem, confugiunt ad ſuum Aſylum, idèſt, ad interiora hominis, nempè ad Voluntatem, & ſe tutos putant, dicendo: Deum tribuere nobis gratiam, quâ reſiſtere, ſeu non conſentire poſſimus delectationi, quam ſecum neceſſariò, neceſſitate naturali, præſefert opus illud malum maximè delectabile, uti eſſet actus, & tactus turpis: & ita, inquiunt, operatur malum, tantùm materialitèr malum, non verò malum formalitèr: in quo conſiſtit peccatum.

575. Proh ſolertia fraudolenta! Proh Diabolica aſtutia! ſimulant ſe gratiam habere à Deo, nè conſentiant in malum: & negant Deum conferre gratiam, nè operentur, quod eſt ex ſe, intrinſecè, & ex objecto malum. Sanè Deus, nedùm odio habet malitiam formalem actus turpis, ſed etiàm ipſius entitatem materialem. Prohibet enìm, nedùm formale illius actus, verùm etiám ipſam fœditatem, ſeu materiale, & ſubſtratum ipſius: nec poteſt prohibere unum, quin prohibeat aliud. Ratio eſt, quia Deus à propriâ naturâ (quæ eſt cumulus perfectionum) determinatur, ſicut ad amandum ſemetipſum, ità ad odio habendum id, quod eſt intrinſecè, ex ſe, & ex objecto malum; ut eſt actus obſcœnus. Quâ igitùr ratione, imò quâ facie negare audent, Deum non tribuere gratiam quoàd opus illud tam nefandum? Quùm ſubſtratum actus turpis diſpliceat Deo, cur ipſemet benigniſſimus non dabit gratiam, ut caveamus ab eo? Tanta eſt connexio intèr materiale, & formale actus libidinoſi, ut malitia formalis hujuſmodi actus neceſſariò ſequatur, neceſſitate morali, ex entitate materiali ipſius actus. Nam, ut toties probavimus, ex ſubſtrato actus, ſeu tactus turpis neceſſariò reſultat, neceſſitate naturali, & inevitabili, permaxima carnis delectatio: ex quâ indè oritur neceſſitas moralis conſentiendi in hujuſmodi delectationem; eò magìs ſi tactus erit pudendorum, & maximè ſi confricatorius; ut eſſet in caſu, de quo loquimur. Quomodò igitùr aſſerere præſumunt, Deum non præbere gratiam ad vitandum materiale actus turpis, ex quo naturalitèr emanat voluptas turpis, quæ traheret Voluntatem, & ipſam moralitèr cogeret ad conſenſum? Quo jure extorquent textum Apoſtoli, qui allegando Dei fidelitatem, promittit omnibus, etiàm peccatoribus, quòd

Deus

Digitized by Google

Deus non patietur nos tentari ſuprà id, quod poſſumus? Si non patietur nos tentari &c. certò certiùs non patietur nos operari ſuprà id, quod poſſumus non operari.

Caveamus itàque, Fideles, à fermento, & doctrina Pſeudo-Myſticorum, qui veniunt ad nos in veſtimentis ovium, intrinſecùs autèm ſunt Lupi rapaces. Attendamus, & firmitèr credamus, quòd *Fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & ſalvos faciet eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe: & omnes peccatores diſperdet.* [Pſalm. 44. v. 13. & ſeqq.] *Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur. Timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis.* [Eccleſiaſtici 32. v. 28. & 33. v. 1.]

QUINTA RATIO

Ex diſtinctione operum Diaboli, & Hominis.

576. QUamvìs Angeli, in primo ſuæ creationis inſtanti, peccare potuerint; ut opinatur Scotus [in 2. diſt. 5. q. 2.] attamèn non decuit id Deum permittere, juxtà leges ſuæ Providentiæ, Bonitati, ac Sapientiæ conſentaneas; ait D. Thom. [1. 2. q. 63. art. 5., & q. 16. de malo art. 4., & in 2. diſt. 5.] Quià, licèt in rigore Deus non eſſet auctor peccati, etiamſi permitteret creaturam ſuam in primo inſtanti peccare; nihilominùs occaſionem præberet, ut ei tribueretur peccatum, ac ſi ipſe videretur creaſſe Angelum malum cum ipsâ malitiâ. Undè, ut opus Dei clarè, & apertè diſcerneretur ab opere Angeli mali, decuit, & oportuit, ut Angelus in primo inſtanti non permitteretur peccare. Ita diſcurrit Suarez [de Angelis lib. 7. cap. 20. n. 55.] ubi mox ſubdit: „ Dices: his argumentis ad ſummum probari, „ Angelum non peccaſſe in primo „ inſtanti; non tamèn, quòd peccare non potuerit; quià permiſſio non eſt neceſſaria ad potentiam peccandi, ſed ad peccandum. R. Sicùt ad peccandum neceſſaria eſt permiſſio: ita ad potentiam peccandi neceſſarium eſt, ut permiſſio ſit poſſibilis: Quià ergò permiſſio, pro illo inſtanti, quodammodò impoſſibilis reputatur, ſecundùm decentem, & convenientem Providentiæ modum; ideò dici poſſunt Angeli, non ſolùm non peccaſſe, ſed etiàm non potuiſſe peccare in primo inſtanti: non ex ſe, ſed quià, ex neceſſitate quâdam ordinariæ legis, non potuerunt illâ perfectione Dei carere.

577. Iſta Ratio, ut, ſcilicèt, opus Dei diſcernatur ab opere Angeli mali, æquè militat, imò & majorem habet congruentiam in caſu noſtro; nimirùm, ut diſtinguatur opus Diaboli ab opere hominis. Si enìm Deus permitteret Dæmoni vim inferre homini, & ipſum compellere ad patranda turpia, adhùc omninò obſiſtente hominis Voluntate; non diſcerneretur opus Diaboli

boli ab opere hominis. Potest quidèm (si daretur casus) ille, qui invitus hujusmodi pateretur violentias, distinguere opus Diaboli ab opere suo; cæteri autèm homines discernere nequirent. Hinc ea sequerentur absurda, quæ suprà retulimus.

578. Dixi, *majorem habet congruentiam in casu nostro*. Nam, si Deus permisisset, Angelos peccare in primo instanti suæ creationis, soli nescientes Theologiam occasionem acciperent tribuendi Deo illud peccatum, non verò doctiores. At in casu nostro, non solùm plebs ignorans, sed quilibet sapientissimus discriminare nequiret opus Diaboli ab opere hominis. Ita Pater prudentissimus dijudicare non posset filiam defloratam: nec maritus uxorem adulteram: nec Judex Reos quoscunque. Homines namque, etiam sapientissimi, *vident ea, quæ parent, Deus autèm intuetur cor*. [1. Reg. 16. v. 7.] Et consequentèr nèc discernere, nèc dijudicare possent, an actus turpes fuerint patrati ab hominibus, vel à Dæmonibus? vel, etsi constaret, illos fuisse exercitos ab hominibus; tamèn non possent certò affirmare, an humano modo, vel Diaboli violentjâ fuissent commissi.

579. Porrò, actus ille turpis exercitus ab homine, vel in homine, ope, & violentiâ absolutâ Dæmonis, esset quidèm vitalis, nèc aliquid deficeret, ut diceretur vitalis; etenìm ex confricatione pudendorum facta, vel à propriis manibus hominis invitè patientis, vel immediatè ab ipso Dæmone, & perciperetur ab ipso patiente delectatio venerea, & effunderetur semen, & ea omnia evenirent, quæ in pollutione voluntariâ, & in hujusmodi actibus vitalibus, & fœdis occurrere solent. Indè, ex isto capite, esset, & diceretur vitalis actus ille turpis; & consequentèr causatus ab homine. Ex alio capite, utpotè violentèr factus à Dæmone, & prorsùs ab extrinseco (ut ajunt Pseudo-Mystici) esset actus ille, verè, & propriè violentus, & consequentèr non vitalis. Nam ex Scholasticis, ut advertit Suarez [de Angelis lib. 4. cap. 38. n. 20.] „ Si hominem vivum nolentem „ applicare virtutem suam motivam, sed potiùs resistentem „ Angelus moveat; talis motus „ non erit animalis, nec vitalis; „ quiâ prorsùs violentus est, & ab „ extrinseco. En maxima confusio in casu somniato ab Adversariis; nam motus *illi turpes*, quùm verè, & propriè essent vitales, *dici* deberent ab homine: sed quiâ violentèr facti, dici deberent á Dæmone. Undè ad summum, dicerentur actus hominis, non verò actus humani, sed verè, & propriè Diabolici: & sic non possent distingui actus humani ab actibus Diabolicis; & consequentèr nesciremus, quinam ex illis actibus essent digni laude, aut vituperio: præmio, aut pœna &c.

580. Quòd si loquamur de motibus, & actibus impuris in membris hominis immediatè causatis à Dæmone, absque ministerio hominis patientis, crescit confusio. Do exempla. Qui voluntariè movet pedes ad ambulandum, manum ad scribendum &c. naturaliter, lætantèr, & ordinatè movet; & sic vitalitèr. Si verò ab alio coactè moverentur alicujus pedes ad ambulandum, & manus ad scribendum: tunc

ille

Digitized by Google

ille, qui hujuſmodi violentiam pateretur abſolutam, & omninò nollet ambulare, aut ſcribere, non poſſet dici ambulare, ſed potiùs ſaltare; quùm incederet paſſibus inordinatis, & incompoſitis; & conſequentèr motus illi nullo modo eſſent, aut dici poſſent vitales. Hoc idem dicendum de eo, cujus manus violentèr arriperetur ab alio ad ſcripturam exarandam; hujus enìm manus eſſet velutì mortua ad conſcribendum, & ſolùm vitâ prædità ad reſiſtendum violentiæ illatæ ab alio. Ejuſmodi exempla applicari poſſunt caſui propoſito. Sed non lubet, quæ malè olent, ruminari. Sat erit oſtendiſſe, maximam confuſionem intèr opera humana, & Diabolica, ſi Deus permitteret Dæmoni violentiam inferre manibus, & aliis membris hominis ad turpia: & eò magìs, ſi permitteret Dæmoni per ſemetipſum, & immediatè, homine prorsùs renuente, Volũtate, ac viribus externis omninò repugnante, movere phyſicè, & vi abſolutâ hominis manus, aliaque corporis membra ad nefaria: in quo eventu effectus forent vitales, nempè alteratio, pollutio &c. ſed cauſa non fuiſſet vitalis; ut ipſimet ſentiunt Adverſarii; quià illi effectus procederent à Dæmone, qui operaretur in homine, velutì in Statuâ. Utinàm hæc confuſio gravi pudore ſuffunderet Pſeudo-Myſticos: *Confundantur, & revereantur ſimùl, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. Convertantur retrorſum, & revereantur, qui volunt mihi mala. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: Euge, euge.* [Pſalm. 39. v. 15. 16.]

SEXTA RATIO

Ex humanâ Fragilitate.

581. POteſt Dæmon virtute ſuâ naturali, & cupit perversâ malitiâ ſempèr, & continuò offerre homini phantaſmata nefanda, & pravas cogitationes excitare inceſſantèr; ut ita expugnaret Voluntatem, & traheret in conſenſum; Deus autèm id non permittit, noſtræ commiſereſcens infirmitati; quià non poſſemus diù ſubſiſtere. Ergò multò minùs permittet, Dæmonem movere phyſicè, & violentèr hominis manus, aliaque corporis membra ad turpia. Ant. quoàd primam partem, eſt omnium Theologorum, & SS. Patrum: quoàd ſecundam partem eſt D. Bonav. [lib. 2. diſt. 8. q. 4.] quem ſequuntur Doctores omnes, imò & nos quotidiè hanc Dei miſerationem experimur. Conſequentia ſequitur à fortiori. Nam, cogitatio mali non eſt mala, niſi æquè comitetur affectio ad malum; dicitur autèm mala, quatenùs eſt inductiva ad malum amplectendum, aut Voluntate, aut ore, aut etiàm opere. Actus autèm turpis eſt ex ſe, & intrinſecè malus, etiàm materialitèr conſideratus, & præcisâ malitiâ formali. Ergò, ſi Deus cohibet Dæmoni potentiam, ejuſque irritam facit iniquam Voluntatem, quibus poſſet, & vellet omni momento tentare hominem, movendo indeſinentèr humores internos, quibus excitantur phantaſmata, & ex iſtis cogitationes pravæ: ſi Deus

Digitized by Google

inquam, id non permittit, multò minùs permittet movere facultates externas ipsius hominis, manus, scilicèt, aliaque membra ad spurcitias patrandas: & quidèm motione assiduâ usque ad seminis fluxum; ut eveniret in tactu confricatorio pudendorum, & in casu proposito.

Profectò, majus periculum consentiendi delectationi venereæ inest in illo tactu venereo, quàm in cogitationibus venereis; ut clarè patet. Tùm quiâ, minori cum difficultate potest homo resistere solis cogitationibus pravis, etsi continuis: quàm & ipsis cogitationibus, & simùl etiám motibus externis sensualibus adhùc continuis; proùt contingeret, si admitteretur casus. Deniquè, homo maneret semper liber ad repellendas cogitationes impuras; sed non esset liber ad arcendos motus impudicos, ut jam supponitur: posset utiquè mentem avertere (licèt cum difficultate) á cogitationibus inhonestis; sed non posset simpliciter (moraliter loquendo) abstrahere ab ipsis cogitationibus inhonestis, & quidèm practicis, dum Dæmon physicè, violentèr, & incessantèr moveret manus &c. Undè necessariò, necessitate naturali, perciperet delectationem carnalem: & necessariò, necessitate morali, consentiret hujusmodi delectationi; ut pluries ostendimus.

Itaquè, si Deus altissima, & suavissima providentia non permittit, Dæmonem mediis hominis phantasmatibus excitare continuò ignem concupiscentiæ; eò quià homo facilè abstractus, & illectus ureretur ab eo: certò certiùs nec permittet, Dæmonem apponere libidinis prunas immediatè in corpus, & mediatè in animam ipsius hominis, qui necessariò, necessitate morali, exureretur ab eis: *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* ait Sapiens [Prov. 6. v. 27. 28.] *Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* Quē locum expendens D. August. [serm. 250. de Temp.] appositè inquit: *Quomodò enim si aliquis carbones ignis apprehendat, si eos citò projecerit, nihil nocebunt; si verò diutiùs tenere voluerit, sinè vulnere eos jactare non poterit: ita & ille, qui ad concupiscendum oculos defixerit, & libidinis malum in corde susceperit, moras in suis cogitationibus* (N.B.) *habere permiserit, excutere à se, sinè animæ occisione, vel plagâ, non poterit.*

SEPTIMA RATIO

Ex Libertate Hominis.

582. SUmmus Opifex *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui* [Eccli. 15. v. 14.] idèst, Deus ab initio fecit hominem liberi arbitrii; *Manus* enim in Scriptura significat arbitrium, libertatem, dominium, potestatem, imperium; quià, quæ in manu, vel sub manu habemus, eis pro arbitrio liberè uti possumus, eisque pro potestate dominamur, & imperamus; ut hìc advertit cum communi DD. Cornel. à Lapide. Indè statim subdit Siraci-

Digitized by Google

cides: *Adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appositi tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Antè hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Verùm, quià homo debilis est, multisque subjacet miseriis, & habet liberum arbitrium claudicatum; ut cum D. Augustino loquuntur Theologi; ideò Clementissimus Deus *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum &c.* idèst, Altissimus mandatum dedit Angelis suis, ut custodiant nos, illuminando, protegendo, manuducendo in hoc Mundo, & viâ, ut tandèm securi perveniamus ad patriam. His præhabitis ex fide

583. Arguo. Ex quo Deus destinavit Angelos ad hominum custodiam, eorumque salutem, signantèr spiritualem, promovendam, nunquàm permisit, ipsos Angelos vim inferre suis clientibus ad bonum: movendo physicè, ac violentèr manus, eorumque facultates executivas ad actiones bonas, contradicentibus ipsis custoditis: Idque, ut homo dicatur liber utraque libertate, contradictionis, scilicèt, & contrarietatis, tùm quoàd actus elicitos, tùm quoàd imperatos propriæ Voluntatis. Ergò multò minùs permittet, Angelos malos violentiam inferre hominibus, movendo physicè, & vi absolutâ eorum manus, ac facultates executivas ad actiones ex objecto malas: velutì esset actus turpis, & impurus. Ant. patet percurrentibus Scripturas. Consequentia liquet à fortiori: Tùm quià nulla potest assignari dispar Ratio: Tùm quiá, alioquìn plùs permitteretur Angelis malis ad perdendum hominem, quàm Angelis bonis ad hominem salvandum. Quod non decet Summam Dei Bonitatem, & Optimam Providentiam, quâ fortitèr, suavitèrque disposuit, ut non possint Dæmones ita fortitèr impellere hominem ad malum, quin fortiùs possint Angeli eumdem hominem inducere ad bonum; ut sana docet Theologia.

Dices: Legitur de Habacuc [Daniel 14. v. 35.] *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui .... Et clamavit Habacuc, dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium.* Et Ezechiel (8.v. 3.) ait: *Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me spiritus &c.* Habetur etiàm (Act. cap.8.v.39.) *Spiritus Domini rapuit Philippum.* Balaam quoquè, pergens maledicturus Hebræis, coactus ab Angelo ipsis benedixit, dicens: (Num.33. v. 20.) *Ad benedictionem adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.* Ergò Angeli boni cogunt homines ad opera bona.

584. R. nego consequentiam. Quandoquidèm, Angelus, per suam potentiam locomotivam, transtulit quidèm Habacuc suprà Lacum, ubi erat Daniel; sed non aperuit vi ejus manus imponendo cibos, & posteà iterùm vi eas resolvendo suprà Lacum, ubi esuriebat Daniel; imò Habacuc voluntariè tulit prandium, quod habebat: ac etiam voluntariè, & non coactè translatus fuit ab Angelo suprà Lacum; ut cla-

Digitized by Google

rè patet ibidem. Ezechiel autèm, ſpiritu raptus in Jeruſalem, voluntariè levavit oculos ſuos ad viam Aquilonis &c. Legatur textus. Philippus, ex viâ Gazenſi translatus fuit ab Angelo in Azotum, ad baptizandum Eunuchum Candacis; ſed Spiritus Domini non coegit Philippum ad baptizãdum Eunuchum, nec vi impoſuit aquam in manum illius, nequè violentiam intulit ad lavandum Catechumenum; ſed tantummodò citò tranſtulit Philippum, qui etiàm & voluntariè ibat. Deniquè, Balaam non quaſi coactus, & contrà ſuam voluntatem, pro maledictione protulit benedictionem: vel, ipſo invito, Angelus in ejus ore verba benedictionis efformavit; ut benè advertunt hìc Cornel. à Lapide, Calmet, Tirinus, aliique magni nominis Expoſitores. Sed pro maledictione protulit benedictionem; quià Intellectus Balaam tàm claro colluſtratus fuit lumine, ejuſque Voluntas ita accenſa ad laudem, & benedictionem Iſrael, ut ægrè poſſet ei maledicere. Nec Angelus in illâ vaticinatione locutus fuit per os Balaam, itaùt ejus moveret linguam, velutì Aſinæ loquentis; nam Balaam locutus fuit ut homo, & humano modò, ſeu voluntariè, & non ut brutum. Quidquid in contrarium ſentit Abulenſis, qui ex eo, quod Balaam ait: [ibi n. 12.] *Numquid aliud poſſum loqui, niſi quod juſſerit Dominus?* exiſtimat, Deum, vel Angelum moviſſe os Balaam invitati, & in eo efformaſſe verba benedictionis. Non, inquam, eſt audiendus; quia ly *non poſſum*, ibi idem eſt, ac *non licet*, *non eſt fas*; ut ritè exponit Cornel. à Lapide; imò conſtat ex ipſo textu [cap. 24. v. 1.] *Quùmque vidiſſet Balaam, quòd placeret Domino ut benediceret Iſraeli, nequaquàm abiit, ut antè perrexerat, ut augurium quæreret: ſed dirigens contrà deſertum vultum ſuum &c.* Ex quo liquet, quòd Balaam, non velutì Aſina vocem ſinè mente protulit: nequè invitus benedixit; ſed quià vidit ſuperno lumine, quòd placeret Domino, ut benediceret Iſraeli, nequaquàm abiit, ut antè perrexerat; ſed voluntariè dirigens contrà deſertum vultum ſuum &c. benedixit &c. Nec mirùm, Abulenſem Doctorem celeberrimum errore teneri; ſiquidèm, verum eſt; quod dici ſolet: *aliquandò dormitat Homerus.*

OCTAVA RATIO

Ab Experientiâ.

585. NOn legimus in Scripturâ, vel apud Auctorem fide dignum, Deum permiſiſſe, Dæmonem vim inferre homini movendo phyſicè, & violentèr ejus manus, aliaque corporis membra, ſeù facultates executivas ad turpia, omninò renuente ipſo homine. Ergò eſt impoſſibile, Deum id permittere. Ant. patet cuicumque, qui authenticas luſtravit hiſtorias. Porrò, ſi caſus aliquandiù contigiſſet, aliquis Sanctorum Patrum, vel ſaltèm quis Myſticæ Magiſter, ejus meminiſſet, afferret exempla, & remedia præberet, ſeù arma traderet ſpiritualia, quibus reſiſtere poſſemus, & re-

Digitized by Google

& teneremur hujusmodi tentationi violentæ, ac præ cæteris aliis periculosiori. Atqui nullus SS. PP., nemo Doctor Catholicus verbum fecit de tali eventu: ipsi quoque, qui eremum lustrarunt; uti fuere Hieronymus, Palladius, Climacus, aliique Solitarii: quique multiplices antiqui hostis versutias, insidias, ac violentias, quas illi Monachi, & Anachoretæ patiebantur, memoriæ tradiderunt; nec ullum, inquam, verbum fecerunt de tali, ac tantâ Diaboli violentiâ, quam docent Mystici Moderni, seù veriùs Spurii.

Nonnè Diabolus, *qui ab initio fuit homicida*, [Joan. 8. v. 44.] qui hostis est antiquus, & veterator; qui semper mille habuit tentandi artes: nonnè, inquam, hasce violentias nostræ asservavit ætati? Vel, novo studio, novas adinvenit tentationes? Vel priùs erat ligatus, & nunc est solutus? Vel priùs erat inermis, nunc autèm incedit armatus? Vel tandèm, hac moderna ætate, alii, & novi sint Dæmones, qui non fuerint sæculis retroactis? Qui sic delirat, meritò improbatur [Act. 17. v. 18.] *Novorum Dæmoniorum videtur annuntiator esse.*

Numquìd sentiemus cum impio spurcitiarum Magistro Michaele Molinos, quòd *Deus præteritis sæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum ministerio; nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum; qui, causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent?* Absit à fidelium mente tàm fœda doctrina, eaque exempla de D. Paulo, Job, Jeremia, David, aliisque Sanctis Prophætis somniata ab illo scelestissimo Hæresiarca, & jure meritò damnata ab Innoc. XI.

586. Consequentia argumenti principalis est legitima. Quamvis enìm argumentum negativum in cæteris, ordinariè loquendo, sit nullius, aut parvi momenti; quià, ut dici solet, à negativis nihil concluditur; in re autèm de facto (proùt in casu proposito) à Doctore emerito Suarez [de Legib. lib. 4. cap. 12. n. 7.] vocatur magnum argumentum. *Quod enìm*, ait, *numquàm factum est, signum est fieri non posse.* [& lib. 1. de Grat. cap. 24. n. 32.] in confirmationem hujus doctrinæ allegat D. Hieronymum [in Epist. ad Cresiphontem] in quâ scribit: *Illud est simpliciter impossibile, cujus oppositum nunquàm evenit.* [Et lib. 7. de Angelis cap. 1. n. 4.] *In re autèm, quæ tantùm consistit in facto, non est necessaria Ratio.* [Et paulò infrà n. 6.] loquendo de distributione Angelorum in bonos, & malos, subdit: *Potuerunt autèm hi philosophi hanc notitiam addiscere ex aliquâ traditione majorum, quæ à primis hominibus inceperit, & fortasse in genere humano aliquo modo permanserit. Præcipuè verò deducere illam potuerunt ex aliquibus effectibus, quos, vel in seipsis experti sunt, vel ex relatione aliorum audierunt; quid ex illis sinè dubio sumitur efficax argumentum.* Huic magno Theologo accedit Fridericus Hoffmannus Medicus peritissimus, qui (Dissertat. Physico-Medica de Diaboli potestate in corpora) ait: *In rebus facti soli authoritati est nitendum: quæ tamèn omninò rejicienda est in aliis, quæ ratione, & intellectu assequimur.*

Ip-

Digitized by Google

Ipſemet Caſſianus (Collat. 8. Abb. Sereni cap. 21.) hoc argumento utitur negativo, ad probandum, Angelos nullo modo poſſe naturaliter coire cum fœminis (idèſt more animalium emittendo ſemen de ſuâ ſubſtantiâ) quià, nimirùm, id nunquàm evenit. Et in confirmationem hujus argumenti affert ſententiam Eccleſiaſtes (1. v. 9.) *Quid eſt, quòd fuit? ipſum, quod futurum eſt: quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt. Nihil ſub Sole novum, nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt: jàm enim præceſſit in ſeculis, quæ fuerunt antè nos.* Eodem modo arguit Sixtus Senenſis (Biblioth. Sanct. lib. 5. adnotat. 72.) ubi ait: *Nullo modo credendum eſt, ſpirituales naturas coire cum fœminis naturaliter poſſe: quoniàm ſi aliquandò hoc ſecundùm literam fieri potuiſſet, quomodò nunc quoquè, vel frequenter, vel rarò idipſum non evenire contingeret, & abſquè ſemine, vel coitu viri aliquos naſci? ſimiliter de mulieribus conceptu Dæmonum cerneremus. Conſimilem vim habent, quæ Philaſtrius adversùs hæreſes in hunc modum recenſet.*

587. Verùm enimverò, ne argumentum allatum dicatur merè, & purè negativum, roboratur eâ ratione, quâ utitur Eminentiſſimus Gotti (de Angelis q. 8. dub. 5. §. 1.) *Univerſalis Proviſoris eſt, ut in aliquibus defectum permittat: ut indè appareat miſeria creaturæ ſibi relictæ, & neceſſitas auxiliorum divinæ gratiæ; ut hoc exemplo daretur occaſio humilitatis, majoris cautelæ, aliarumque virtutum, quas exercent Juſti, dùm aliorum, maximè qui magis perfecti videbantur, lapſus conſiderant.* Eadem habet Sylvius (in p. part. D. Th. q. 22. art. 2. §. Pro Reſp. ad 2.) Itáque, ſi Deus permittere potuiſſet Dæmoni vim inferre homini, movendo phyſicè, & violentèr ejus manus, aliaſque facultates executivas ad nefanda; conveniens fuiſſet, ut aliqandiù id ſineret; Profectò, omnis Sapiens proviſor particularis excludit defectum, & malum, quantùm poteſt, ab his, quorum curam gerit; Deus autem, qui Proviſor eſt univerſalis, curam habet totius Univerſi, omniumque rerum, quæ ſunt in Univerſo: ideòque ad ejus providentiam pertinet, in aliquibus defectum, & malum permittere, in quantùm ea cedunt in bonum alterius, vel etiàm totius Univerſi.

588. Prætereà, nedùm aliquod factum contrarium noſtræ aſſertioni adduci non poteſt; benè verò quàm plurima allegare poſſumus exempla, quæ ipſam confirmant; ſed ea omitto, ut brevitati conſulam. Unum tantummodò, & alterum referam Sanctorum Patriarcharum Benedicti, & Seraphici Patris mei Franciſci. Porrò, nonnè rabidam appellabimus Dæmonis vim, duobus his adoleſcentulis illatam, ad carnis ſpurcitias? Ità ſanè fatebitur quicunque luſtrabit eorum vitam. At benigniſſimus Deus, non ſic in arcto deſervit ſanctos Juvenes, ut inviti excurrerent ad turpia: nec permiſit Dæmoni movere phyſicè, & violentèr eorumdem manus, & membra ad patranda inhoneſta. Audiamus D Bernardum [in ſerm. de S. Benedicto] qui egregiè oſtendit noſtram aſſertionem. *Stemus in hác*

(hu-

(humilitate) *charissimi*, & *plantati stemus*, *ut non arescamus*, *non moveamur quocumque flatu*; *sicùt scriptum est*. (*Ecclesiast.* 10. v. 4.) *Si spiritus habens potestatem super te irruerit*, *locum tuum nè desseras*. *Nulla enìm tentatio* (N.B.) *vobis prævalebit*, *si non in magnis*, & *mirabilibus supèr vos ambuletis*, *sed permaneatis radicibus firmis in humilitate radicati*, *atque fundati*. *Sic fuit plantatus secùs decursus aquarum Sanctus iste Confessor Domini*, *quonidm fructum suum dedit in tempore suo*... *Neque enìm credebat tempus esse fructificandi*, *quandò tantâ carnis tentatione gravatus est*, *ut penè cederet*, *penè discederet*. *Ego enìm nec istum quidèm ramum præteribo*, *quoniàm etsi hirsutus quodammodò spinarum aculeis*, *quibus seipsum Domini Benedictus injecit*, *tamèn utilis est omninò*: *utilis jumento Domini*, *propter foveas tentationum*, *nè in eas incidat consentiendo*, *sed magìs resistat*, & *virilitèr agat*, *sustineatque Dominum*, *nè desperet*. *Hìc ergò fige pedem Christi jumentum*, & *disce*, *quantùcumque acerba tentatio sæviat*, *non cedere*, *nec propterea derelictum te esse à Domino*; *sed memineris scriptum esse Psalm.* 80. (*Invoca me in die tribulationis*, & *honorificabis me*). *Ergò*, *ut dicere ceperam*, *non credebat Benedictus tunc esse fructificandi tempus*, & *in tempore suo fructum dedit*. *De fructu ejus sunt illa tria*, *quæ superiùs tetigi*: *Sanctitas ejus*, *Justitia ejus*, *Pietas ejus* &c. Hactenùs perbellè Mellifluus Abbas.

589. Deniquè, si opinio docens, Deum permittere Dæmoni vim nobis inferre ad actus ex se turpes, est sana, & Catholica; cur Pseudo-Mystici prælo ipsam non commendant? *Omnis enìm*, *qui malè agit*, *odit lucem*, & *non venit ad lucem*, *ut non arguantur opera ejus*: *Qui autèm facit veritatem*, *venit ad lucem*, *ut manifestentur opera ejus*, *quiâ in Deo sunt facta*. (Joan. 3. v. 20. 21.) Hoc modo Caramuel arguebat contrà Fagnanum (de Certitudine morali) *Dignetur Dominus Fagnanus moralium certitudinem librum scribere*; & *plus gloriæ apud omnes acquìret*, *quàm hactenùs ullus sui ingenii vi potuit obtinere*: *imò totam Ecclesiam sibi adstrictam habebit*. Ita quoquè Therillus respondit Wendrokio (quæst. 20. n. 14.) *Si veritas est adeò facilis Wendrokius*, *cur Jansenistæ contrariæ sententiæ fautores non subscribunt integrum tractatum resolutionum moralium*; *ut ità nobis veritates hactenùs ignotas revelent*? *Certè nil Deo gloriosiùs*, *nil ad propriam illorum famam*, *nil ad nostram utilitatem conducibilius*. Si eorum doctrina pia est, & salutaris, quarè ad vitæ spiritualis instructionem è sacro suggesto non adhortantur populum, nec habent concionem? *Quod in aure auditis*, *prædicate super tecta* jussit Magister Divinus (Matth. 10. v. 27.) ubi D. Hilarius: *Itaque id*, *quod à se dictum est*, *cum libertate Fidei*, & *Confessionis vult esse loquendum*. *Idcircò*, *quæ in tenebris dicta sunt*, *prædicari jussit in lumine*: *ut*, *quæ secretò aurium commissa sunt*, *super tecta*, *idèst*, *excelso loquentium præconio audiantur*. Cùr tantùm in colloquiis privatis? Cùr in collationibus secretis? Cùr intra domesticos parietes? Cùr in Confessionariis, dum taxât suos ejusdem furfuris, & non om-

omnes erudiunt de hujusmodi Dæmonis violentiis, & novi generis tentationibus. *Ego palàm locutus sum mundo: Ego semper docui in Synagogâ, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt: & in occulto locutus sum nihil*, ait de seipso Dominus Jesus [Joann. 18. v. 20.] *Constantèr enim*, pergit D. Hilarius, *Dei ingerenda cognitio est*, & profundum Doctrinæ Evangelicæ secretum in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum.

Concludamus igitùr cum D. Augustino [tract. 45. in Joan.] *Dominus de grege suo, & de ostio, quo intratur ad ovile, similitudinem proposuit in hodiernâ lectione. Dicant ergò* (Pseudo-Mystici) *Benè vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis undè gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere: nàm, cui non datur semper vivere, quid prodest benè vivere? Quia nec benè vivere dicendi sunt, qui finem benè vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera, & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus, & per januam intret in ovile .... Quid de istis dicam? ... Jactabant se etiàm ipsi inter Videntes, hoc est, inter Sapientes, & negabant Christum, & non intrabant per ostium: Ergò & ipsi, si quos seducerent, mactandos, & occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus: videamus illos, si fortè ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur. Innumerabiles enim sunt* (N.B.) *qui se Videntes non solùm jactant, sed à Christo Illuminatos videri volunt; sunt autèm Hæretici.* Nec egregiùs, nec aptiùs loqui poterat Magnus Hypponensis Antistes contrà Pseudo-Mysticos, qui Illuminatorum sectam sequuntur.

MOLINOSIORUM DILUUNTUR ARGUMENTA.

I. DEus permittit, hominem vim inferre alteri homini, movendo physicè, & violentèr ejus manus, virilia &c. ad actus turpes: & quidèm prorsùs obsistente voluntate patientis. Ergò non est, cur idipsum non permittat Dæmoni. Ant. patet experientiâ quotidianâ, & per ea, quæ legimus, non sinè lachrymis, in historiis fide dignis. Consequentia sequitur à fortiori. Homo siquidèm est imbecillior Dæmone, & velutì Pygmeus respectu Gigantis.

590. R. Omisso antecedente, (de quo fusè egimus suprà) Nego consequentiam. Etenìm non disputamus de potentiâ naturali Dæmonis; siquidèm *non est potestas, quæ comparetur ei super terram.* [Job. 41. v. 24.] Sed propugnamus Deum non permittere Dæmoni id, quod permittit homini. Quandoquidèm, *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* [Eccli. 15. v. 14.] Diabolum autèm alligavit catenâ magnâ: *Apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum.* [Apocalyps 20. v. 1.] Magnum verò intercedit discrimen inter eum, qui liber est, ac solutus; & inter illum, qui est vinculatus; nam qui est sui arbitrii, facere potest quidquid voluerit: qui verò non est

sui

sui juris, agere nequit quod vellet, & posset, si foret expeditus. Homo planè, si comparetur Dæmoni, Pygmæus est iners: & Dæmon, si consideretur secundùm suam virtutem naturalem, Gigas est præpotens; at quis ignorat, Pygmæum solutum ea posse, quæ nequit Gigas dirè ligatus?

Hinc Bartholomæus Sybille [specul. peregrinar. qq. decad. 3. q. 1. cap. 10.] istam movet quæstionem. „ An sit major potestas super homines, malorum Spirituum, vel malorum hominum? Et respondet, „ quòd major potestas permissa est malis hominibus „ super bonos, & malos, quàm sit „ permissa Dæmonibus super eosdem. Idque probat rationibus, quas adducit Henricus de Assiâ super Genesim: 1. „ Nam experientia docuit, & docet, quòd Deus „ permisit, & adhùc permittit, Tyrannos, & alios iniquos homines „ pro arbitrio homines bonos, & „ optimos affligere, & molestare „ martyrio; & tandèm quandò, & „ quomodò voluerunt eos interficere. Quòd, de communi cursu, „ non est sic permissum Dæmonibus super homines; alioquin, „ mox quùm aliquem perciperent „ esse in peccato mortali, ipsum „ interficerent; scientes, homines, „ in mortali culpâ mortuos, esse „ damnatos. Ergò. Item 2. Quià „ homo potest se magis custodire, „ & defendere ab inimico homine, „ quàm ab inimico Dæmone; quùm „ ille sit hostis visibilis, & iste invisibilis: propter quod rationabilitèr non tanta potestas permissa est Dæmonibus super homines, quanta hominibus super „ eosdem. Item 3. Quia Dæmon „ est periculosior inimicus homini, „ quàm homo. Item 4. Quia, quantùm ad præsentem statum Mundi, vel cursus hujus temporis, & „ eorum, quæ sub ipso sunt, Deus „ sic administrat liberas, & illiberas, quòd eas proprios motus „ habere sinit; ut dicit Aug. Dæmones autèm non subsunt statui „ currenti hujus Mundi, quùm „ sint damnati. Ergò contrà homines alterius status, non possunt „ omnem conatum exercere, contrà quos conari extremè pro viribus licitum est hominibus; „ quùm sint ambo ejusdem status. Hæc ex illo antiquissimo, & celeberrimo Doctore Henrico de Assia laudatus Sybille.

591. Præterea, homo patiens hujusmodi violentiam (qui supponitur invitus, & contradicens viribus, tum internis, tum externis) ab alio Homine vim inferente ad turpia, dolorem potiùs, ac tristitiam perciperet, quàm delectationem, & voluptatem ex illo actu, seu tactu impudico, & violento. Imò, tanta esse potest patientis resistentia interna, & externa contrà hominem illum, qui violentiam inferret, ut invitus patiens nullam experiatur voluptatem; quùm totus homo interior, & exterior supponatur intentus, & occupatus ad odium, tum ipsius turpitudinis, tum illius, à quo vi compellitur ad turpitudinem; undè potiùs Irascibilis accenderetur, quàm Concupiscibilis. Non sic eveniret in casu violentiæ illatæ à Dæmone; Malignus enim, qui benè novit illius hominis temperiem, inclinationem &c. nedùm exteriùs moveret hominem ad spurcitias, sed simùl interiùs, eodemque tempore commoveret humores, excitaret

taret phantaſmata, aliaque præpararet fœda combuſtibilia, ut accenderetur ignis Luxuriæ. Indè miſerimus ille homo eſſet undiquè circumdatus flammis libidinoſis; & quidèm foris à Dæmone inſufflante; intùs verò à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus, & illectus: ab extrinſeco, vi compulſus à Diabolo, cui reſiſtere nequiret; ab intrinſeco autèm, impulſus à ſemetipſo; itaùt nec totus pugnare poſſet contrà totum ſemetipſum, ſed tantùm ipſiuſmet pars contrà ipſiuſmet partem. Hæc autèm pugna contrà ſemetipſum, his vallata circumſtantiis (moraliter loquendo) eſt ſimplicitèr impoſſibile, ut ſit perſeverans uſquè ad victoriam. Itaquè, ex quô Deus permittit, hominem vim inferre alteri homini ad turpia, non ritè infertur idipſum permittere Dæmoni.

II. Deus optimus Proviſor ſinit cauſas creatas liberas liberè agere. Atquì Dæmon eſt cauſa libera. Ergò Deus, nè ipſius Dæmonis lædat libertatem, ſinit inferre quam poteſt violentiam in hominem &c.

592. R. Deus nunquàm tollit à cauſis creatis illam libertatem, quam eiſdem conceſſit; ſi loquamur ſubſtantialitèr; alioquìn cauſa libera confunderetur cum cauſâ neceſſariâ, & deſtruerentur eſſentiæ rerum. Interdùm verò, ob juſta ſua judicia, quæ ſunt abyſſus multa, impedit uſum libertatis cauſæ creatæ; ut omnes Catholici ſentire debemus. Deus igitùr, non permittendo Dæmonem vim inferre homini ad nefanda, eſt optimus Proviſor, nec injuriam facit Diabolo. Nam, ut Proviſorem Univerſalem, Sapientem, Bonum &c. non decet id permittere, ob bonum Univerſi, & proptèr inconvenientia, quæ ſequerentur ex tali permiſſione. Nequè injuriam facit Diabolo; quia Malignus meretur amittere libertatis uſum quoàd aliqua. Quùm enìm Diabolus fuerit abuſus libertate, appetiendo Dei ſimilitudinem, invidendo hominum felicitati &c. juſtè limitata fuit ejus libertas quoàd omnem uſum: & ſatìs eſt, Deum permittere Diabolo uti ſuâ libertate ad tentandum hominem; non verò ad compellendum: ad ſuadendum malum, non autèm ad cogendum ad illud. Et hoc modo Diabolus eſt liber ad tentandum, & homo ad reſiſtendum Tentatori: quòd ſi Diabolus exerceret totam tentationem, quam vellet, eſſet nimis liber; & homo non foret liber in ſuis actibus imperatis, atque in propriis facultatibus executivis; nec valeret, ut vellet, reſiſtere Diabolo. Undè D. Auguſtinus [in Pſalm. 61.] ait: *Diabolo poteſtas quædam eſt; plerumque tamèn vult nocere, & non poteſt; quià poteſtas iſta ſub poteſtate eſt. Nam, ſi tantum poſſet nocere Diabolus, quantum vult, non aliquis juſtorum remaneret, aut aliquis fidelium eſſet in terrâ.*

III. Deus permittit, Dæmonem vim inferre hominibus ad amorem laſcivum, medio poculo amatorio. Idem dicas de violentiâ ad odium, medio poculo inviſo. Ergò etiàm permittit, vim inferre membris hominis, ad exercendos actus turpes. Ant. patet quotidianâ, & lachrymabili experientiâ. Conſequentia ſequitur; quia non eſt diſpar ratio; imò clarè liquet à fortiori.

593. R. Nego ant. Siquidèm nullius Voluntas cogi poteſt ad amandum, vel odio habendum, cum ſit omninò libera; ut ex Azorio, Martino

Digitized by Google

tino del Rio, Bordono, & aliis, optimè probat Pistachius [de superstit. cap. 25. n. 2. & seqq.] Potest quidèm Dæmon, si Deus permittet, Philtris maleficialibus excitare hominem ad amorem libidinosum; aut ad odium, hoc modo: Sunt quædam res naturales, ut herbæ, lapides, & similia, quæ amoris, & concupiscentiæ flammam incendere possunt. (Idem dicas quoàd odium) Est enim concupiscentia, facultatis sensitivæ affectio, quæ vi spirituum, & humorum corporis excitari, incendi, & confirmari potest: & è contrà, remitti, minui, & extingui potest. Sed nulla est facultas, & virtus in rebus naturalibus, quæ suaptè natura excitet, alliciat, & incendat hominem ad amandum, vel odio habendum hanc, vel illam particularem personam; ut omnes docent Doctores. Quùm igitùr Maleficus, aut Malefica vult aliquem deflectere ad amandum, vel odio prosequendum certam personam, pactum init cum Dæmone, & multa facit, quæ castæ aures sustinere nequeunt, & erubescit calamus religiosus: herbas varias, lapides, & alia congerit ad amorem in genere. Quia verò propositum Malefici, seu Maleficæ est hanc, vel illam trahere personam ad amorem; ideò ex conventione factâ cum Dæmone, iste movet humores, accendit sanguinem illius particularis, ac etiam imprimit ejus phantasiæ imaginem illius, qui amari desiderat; & hoc pacto excitat ad impudicè amandum, non solùm universìm, sed etiam in particulari. Eodem modo ad odium concitandum, composito Philtro à Malefico, seu Malefica, & ope Dæmonis iste turbat sanguinem, gravi afficit melancholia, humores adurit &c. undè resultat morositas quædam, & animi crudelitas, & misanthropia, quam Dæmon dirigit in certam personam, juxtà Malefici propositum; & ita impellit maleficiatum, ut irritetur, & excandescat &c.

594. Ex quibus infertur primò, quòd Philtrum cogere nequit nolentes, & vi trahere in amorem, vel odium; sed tantùm perturbare potest imaginationem, & totum corpus interius quasi accendere ad amandum, vel odio habendum: seu, impellere potest, sed non compellere; proùt etiam Fides Catholica docet.

595. Infertur 2. & confirmatur veritas nostræ assertionis. Siquidèm, in hujusmodi Philtris appareret manifestè, quod omnes advertunt Theologi, apud Malleum Maleficarum [part. 1. q. 2., & part. 3. cap. 8.] nempè, Deum non permittere soli Dæmoni, sinè Maleficò, aut Maleficâ, maleficare aliquem; ut sic ostenderet, Diabolum esse fortitèr ligatum, hominem verò jam solutum; ideòque Malignus complet per hominem id, quod ex se solo nequiret. Undè Thomas del Bene [de offic. SS. Inquisit. part. 2. dub. 229. Sect. 2. n. 5.] ait: „ Sæpè Dæmon non potest nobis nocere corporalitèr, nisi malitia hominis ei simul cooperetur. Ita enim est ligata potestas Dæmonis, ut nihil ferè solus possit in nos, vel in bona nostra externa, nisi Deus id ei specialitèr committat; ut patet ex historia Job. Quia tanta est Dæmonis malitia, ut nihil prætermitteret mali, quod nobis posset inferre. Hominis autèm potestas

Digitized by Google

„ (quùm homo homini resistere
„ possit) non est ita ligata: quæ,
„ quùm Dæmoni cooperatur, plu-
„ ra ei, quàm soli Deus permittit.
„ Undè, prætèr alios, Victoria
„ [relect. de arte magicâ circa fi-
„ nem] ait: Mirum est, & myste-
„ rium, quòd, quùm Dæmones per
„ se nocere non permittantur, ta-
„ mèn non adeò impediuntur no-
„ cere per homines, ut Magos,
„ Lamias, & alias Maleficas.

Hoc idem docet Riccard. à S. Victore, exponens illa verba [Apocalyp. 2. v. 9.] *Sed blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.* Ubi ait: *Patet in istis verbis, sicùt in aliis plerisque Scripturæ locis, quòd antiquus hostis bonum, quod non potest impedire, et malum, quod non valet efficere, per suæ superbiæ complices Dæmones, hoc conatur perficere per suæ pravitatis imitatores, qui quantò sunt numerosiores, tantò sunt ad utrumque complendum fortiores: undè non inconvenientèr Synagoga Satanæ dicuntur; quia eos Satanas in unam malitiam congregat, ut per eos circà robustos Sanctos robustus confligat.*

Et D. Laurent. Justinian. [de Disciplinâ, & Perfect. Monast. cap. 13.] inquit: *Diabolus ad tentandum humano utitur instrumento... Hoc enim argumento primum hominem de loco deliciarum dejecit, expoliavit tunicâ immortalitatis, privavit gratiâ, & obligavit ad mortem. Hâc arte Apostolorum Principem ad Christum negandum induxit. Hoc medio Martyrum mentes emollire, ac flectere curavit. Hoc instrumento complures superavit: quos dinumerare longum est.*

IV. Deus permittit, Dæmonem movere interiùs hominem; proùt dicebamus paulò antè, & sic excitare ad turpia. Ergò permittit utiquè movere ad eadem. Quùm enim Dæmon commovet interiùs corporis humores, accendit sanguinem, perturbat phantasiam, & pravas excitat cogitationes, ea omnia sequi possunt, & sæpè sequuntur, quæ oriri possent ex motione externâ manuum, confricatione pudendorum &c. nam, ex utrâque motione æquè sequitur pollutio, & idem adest periculum consensus Voluntatis. Igitùr non est, cur Deus permittat illam motionem internam, & non permittat externam.

596. R. Distinguo ant. Deus permittit, Dæmonem movere interiùs &c. itaùt Dæmon incessantèr moveat, & pro suo voto, nego; proùt ex D. Bonav. adnotavimus supra. Vel, Deus permittit, Dæmonem movere interiùs &c. irresistibilitèr nego: secùs, concedo ant., & nego consequentiam. Porrò, ex D. Thoma, Suarez, & aliis magni nominis advertimus Dissert. 2. Sect. 2. Rationem, & Voluntatem, quamvis imperando cohibere nequeant motus illos internos, qui fiunt, vel per naturalem alterationem humorum, & spirituum vitalium, vel per operationem Dæmonis; nihilominùs possunt illos moderari, si rebus aliis seriò attendant. Imò tanta esse potest attentio Intellectus circà rem aliam, ut omninò impediret apprehensionem Imaginationis, ac etiam voluptatem, quæ naturalitèr oritur ex illis motibus. Undè Medina [in 1. 2. D. Thom. q. 17. art. 7.] ait: „ Ablatis impedimentis cor-
„ poris, in potestate nostrâ, & ar-
„ bi-

Digitized by Google

„ bitrio est positum, excludere
„ imaginationes turpes, & sume-
„ re alias meliores, propter per-
„ fectum imperium Voluntatis.
„ Contingit tamen interdum in
„ hominibus negligentibus, quod
„ persistant istæ imaginationes im-
„ portunæ, & dicant se illis pati;
„ & mentiuntur. Huic concordat Greg. Martinon. à nobis ibid. allegatus.

597. Magna igitur intercedit differentia inter motionem internam, & externam ad actus turpes. Tum quia soli motioni internæ resistere possumus; ut mox diximus; sed motioni externæ non possemus resistere; ut supponitur ab ipsis Adversariis; & consequenter, dum non possemus resistere motioni externæ, nec possemus resistere motioni internæ, quæ ex sympathia, & connexione naturali necessariò oriretur ex illâ motione externâ. Tum quia, Deus non permittit, Dæmonem movere continuò, & indesinenter interius humores &c. sed in casu proposito permitteret, Dæmonem movere manus, confricare virilia &c. donec effunderetur semen, & usque ad operis consummationem.

598. Majus quoque foret periculum consensus in illâ motione externâ, quàm in solâ motione internâ. Siquidem, periculum consensus in motione internâ, vel esset remotum, vel fieri posset remotum per actus ipsius hominis; at in motione externâ manus, & confricatione pudendorum, periculum esset proximum; ut evidens est omnibus sanæ mentis, & pluries tetigimus: nec fieri posset remotum; quia perseverante (ut jam supponitur perseverare) illâ motione externâ corporis, & facultatum executivarum, non foret in potestate, & arbitrio hominis excludere imaginationes turpes, quæ necessariò orirentur ex eâ. Et ita Intellectus necessitaretur (necessitate morali) ad cogitationes pravas, & practicas: eademque necessitate morali Voluntas cogeretur ad consensum. Addo, quòd ex commotione internâ humorum, vel orta ex naturâ, vel ope Dæmonis, si sequatur pollutio, vel nulla percipitur delectatio, vel erit modica, momentanea, & indeliberata; si patiens resistit viriliter, seriò, & efficacitèr. Verùm in eâ motione externâ pudendorum, etsi homo viribus cunctis internis resisteret, nè perciperet delectationem veneream; adhuc tamen nolens perciperet quidem maximam, ac diuturnam; & consequenter (consequentiâ ortâ ex necessitate morali) hujusmodi delectatio carnalis foret aliquo modo deliberata, & voluntaria, quantùm sat esset ad peccatum mortale; prout ex magno Suarez adnotavimus.

599. Præterea, si ex motionibus pravis internis, aut à naturâ, aut à Dæmone causatis, adest periculum pollutionis, & consensus, habemus remedium forte, & adhibere tenemur, si non juvant remedia ordinaria: videlicet, castigatio corporis, jejunia, vigiliæ, disciplinæ usque ad sanguinis effusionem &c. prout Apostolus inquit [ad Hebræos 12. v. 4.] *Nondùm enim usquè ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.* Sicuti fecerunt Patriarchæ Benedictus, Seraphicus meus Pater Franciscus, Ignatius, aliique Sancti Viri, & pudicæ mulieres, macerantes carnem, & spiritui subjicientes; dicentes

cum

Digitized by Google

cum D. Paulo [1. Corinth. 9. v. 27.] *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo*. At, si Dæmon violentiam inferret manibus nostris, aliisque corporis membris ad turpia, nullum nobis supereſſet remedium ad vitandam pollutionem, quæ ineluctabilitèr ex illis motibus sequeretur: nullum possemus imponere frænum concupiscentiæ rebelli; essemus enim in manu violenti Dæmonis, è quâ evadere non possemus; omnesque facultates executivæ, ac totum corpus, essent ligatæ, ac vi oppressæ à Dæmone, cui resistere non possemus. Homo igitùr, sic in arcto positus, non valens impedire pollutionem, nequè delectationem, quæ ex pollutione naturalitèr, & necessariò resultat, certò constituitur in periculo proximo consentiendi. Et quamvis posset (physicè loquendo) resistere Voluntate, ac dissentire hujusmodi voluptati venereæ; moralitèr tamèn necessitaretur ad consensum; ut pluries diximus, & probavimus. Sinit ergò Deus, quòd Dæmon moveat interiùs hominem ad patranda turpia, non autèm permittet Maligno compellere exteriùs hominem ad easdem spurcitias; quia iis motibus potest homo resistere, tùm viribus internis, tùm facultatibus externis; tùm remediis ordinariis, tùm extraordinariis, & arduis; & sic vitare labendi periculum. At in casu Diabolico, & ficto à Synagogâ Satanæ, non posset homo resistere exteriùs violentiæ Dæmonis; cogeretur ad seminis effusionem; necessariò sentiret delectationem veneream; & esset compulsus, necessitate morali, ad consensum. Quod non decet summam Dei Bonitatem, suavissimam Providentiam, fidelem Promissionem &c.

V. Deus permittit, Diabolum irruere in corpus hominis, vexando illud, torquendo &c. ut hoc modo anima purgetur à culpis, proficiat in virtute, cumulet merita majora &c. Ergò Deus permittet utiquè, ob eamdem purgationem passivam, quòd Dæmon aggrediatur hominem, movendo violentèr, & physicè ejus manus, aliaque membra ad immunditias; ut ità homo creſceret in humilitate, firmaretur in puritate &c. Sicut Apostolus fuit colaphizatus à Satanâ, nè revelationum altitudine superbiret: Job, & alii innumeri, multa, & gravissima passi sunt à Dæmone, ut magnum, ex tolerantiâ passionum, reportarent lucrum, & Dei gloria magis eluceſceret.

600. R. Nego consequentiam. Discrimen est, quia in casu non est periculum perversionis, nisi remotum; quatenùs homo, sic vexatus à Dæmone, prosilire posset in desperationem. Quamvis enim hostis, excruciando corpus hominis, & in parte sensitivâ irritando melancholiam, excitare posset Irascibilem; nullum tamèn adesset periculum, saltèm proximum, consensus ex parte superiori, & rationali. Ratio est, quià, quùm objectum Irascibilis non sit delectabile, sed potiùs molestum, adversum, & offensivum; longè est à consensu Voluntatis. Undè docent communitèr DD., quòd ubi dolor intensissimus in parte sensitivâ aliquos extorquet iræ motus, hi censentur omninò involuntarii, vel primò primi. At motus sensualitatis spectant ad Concupiscibilem, suntque de objecto per-

Digitized by Google

permaximè delectabili, atque intimam habent connexionem, & sympathiam cum consensu Voluntatis. Quapropter omnes ajunt Theologi, Concupiscentiam non minuere, sed potiùs augere voluntarium; motus autèm, & passiones Iræ minuunt voluntarium.

601. Quisque igitur potest resistere doloribus, angustiis, aliisque pœnalitatibus à Dæmone inflictis, ac forti animo tolerare, & repetere cum Job [cap. 2. v. 10.] *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quarè non suscipiamus?* Indè Deus hujusmodi permittit corporis afflictiones, tum ad exercitium patientis, tum ad exemplum aliorum; sicutì legimus de Tobia ex stercore hirundinum obcœcato [Tob. 2. v. 10.] *Hanc autèm tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & Sancti Job.* Imò ipsemet Deus potest esse auctor istarum tribulationum; foret enim auctor pœnæ, non autèm culpæ: & intendere potest voluntate positivâ hasce pœnalitates, vèl ad ostensionem Divinorum Attributorum, vèl propter lucrum animarum. Sed in casu violentiæ illatæ à Dæmone ad exercendos actus turpes, nullus hominum resistere posset (ut supponitur ab Adversariis) quin exiret in actiones ex se pravas, & consummaret opus intrinsecè malum. In primo casu, homo ita patitur Dæmonis vexationes, ut ei liberum sit prorumpere in blasphemias, aut in laudes Dei: at in secundo casu, velit homo, nolit, cogitur exequi spurcitias. Quamobrèm, in primo casu, Deus potest concurrere non solùm permissivè, sed etiam positivè, atquè intentivè: in secundo verò casu, Deus nèc quidèm permissivè se habere potest; ob rationes totiès replicatas, & absurda, quæ sequerentur. Et per hæc patet responsio ad exempla in argumento allata.

VI. Deus, non solùm permittit mala pœnæ, sed etiàm & culpæ: & quidèm sinit grassari mala execranda, & majoris ponderis, ac ruinæ spiritualis, quàm forent mala turpia violentèr extorta à Dæmone; utì sunt Veneficia, Incantationes, Sortilegia, aliaque scelera, quæ abhorrent aures. Eaque permittit non rarò in pœnam alterius peccati commissi. Undè Apostolus [ad Rom. 1. v. 24.] ait: *Propter quod* (peccatum) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et D. Augustinus [lib. de Corrept. & Grat. cap. 11.] inquit: *Adjutorium proximum ad non peccandum fuisse negatum à Deo in pœnam peccati.*

Præterea, Deus multotiès permittit pollutionem involuntariam causatam, vel á naturâ, vel ab humoribus internis commotis à Dæmone; cur igitur Deus non permittet pollutionem involuntariam causatam à Dæmone motibus externis?

602. R. Quandò Deus, ob incomprehensibilia sua judicia, permittit peccatum in pœnam peccati præteriti, sinit causas secundas liberas suos motus liberè agere; sed in casu, de quo loquimur, homo non esset liber quoàd actus suos externos, & imperatos, sed coactus à Dæmone. Undè in permissione peccati, homo verè, & liberè peccat; ut ipsimet fatentur Adversarii; in permissione autèm, quam fingunt Pseudo-Mystici, homo necessariò

ſariò peccaret, neceſſitate quadam morali.

Nec juvat dicere, quòd homo, ſic in arcto poſitus, operaretur malum entitativè malum, non verò formalitèr malum; & conſequentèr, quòd non peccaret; juxtà doctrinam D. Auguſtini, & omnium Theologorum uno ore clamantium: *Nemo peccat in eo, quod cavere non poteſt*. Nam hoc opus, hic labor eſt. Quo pacto homo, interiùs impugnatus à concupiſcentiâ ſuâ: ab humoribus, & ſpiritibus vitalibus commotis á Dæmone: ab imaginatione turpi objecti maximè delectabilis: à delectatione ſenſuali, à quâ præſcindere nequiret: Exteriùs verò compulſus à Dæmone, & vi abſolutâ coactus ad effundendum ſemen; quo pacto, inquam, cavere poſſet malitiam formalem illius operationis entitativè malæ, ſeu non conſentire delectationi venereæ, quæ naturalitèr neceſſariò ſentiret? Id moralitèr eſt ſimpliciter impoſſibile. Hinc arguam Pſeudo-Myſticos verbis Apoſtoli, quæ præmiſit in eodem capite primo ab Adverſariis allegato [num. 21., & 22.] immediatè præcedentibus: *Evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe eſſe Sapientes, ſtulti facti ſunt*.

603. Ad illud, quod ſubdunt, dico, quòd Deus permittit pollutionem ortam ab humoribus à naturâ alteratis, aut à Dæmone commotis; quia ſinit cauſas ſecundas ſuos motus agere. Tum quia homo poteſt reſiſtere delectationi venereæ, quæ naturalitèr inſurgit ex illi pollutione involuntariâ. Tum quia in ei non adeſt periculum proximum conſentiendi; ut mox dicebamus. Tum denique, quia Optimi, & Univerſalis Proviſoris eſt aliquod permittere malum, etſi intrinſecè malum; ut indè appareat miſeria creaturæ, neceſſitas gratiæ Divinæ, & ob aliud bonum ſecuturum ex tali permiſſione. At ſi Deus permitteret malum, quod contendunt Adverſarii, non ineret hominem ſuos motus agere, proùt poſſet, & vellet quoàd actus imperatos, & facultates ſuas executivas. Nec homo poſſet (moralitèr loquendo) obſiſtere voluptati ſenſuali. Conſequentèr homo eſſet conſtitutus in periculo proximo conſentiendi. Homo utiquè ſuprà modum gravaretur, & ſuprà vires: *Fidelis autèm Deus*, ait Apoſtolus [1. Corinth. 10. v. 13.] *qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis*. Tandèm, ex illâ permiſſione nullum ſequeretur bonum, imò innumera inducerentur mala in Univerſum; ex hactenus probatis.

VII. Hominis lingua non minùs ſubordinatur imperio Voluntatis, quàm manus, aliaque corporis membra. Atqui vexati a Dæmone, non rarò ex violentiâ Maligni loquuntur blaſphemias, occidunt, ac etiàm actus exercent ex ſe turpes &c. quin hæc imputentur ad culpam animis tic vexatis. Ergò paritèr dicendum de hominibus non arreptitiis, nec energumenis. Non enim eſt diſpar ratio, cur Deus permittat iſta intrinſecè mala in obſeſſis à Dæmone, & non in aliis. Major eſt certa. Min. conſtat exemplis quotidianis: eſtque doctrina Abulenſis, qui [in Matth. cap. 8. q. 119.] ait: *Poteſt Dæmon movere membra arreptitii ad videndum hominem. At ſicut quis impul-*

Digitized by Google

pulsus à vento cadat suprà alium, & occidat eum, non est vituperabilis [3. *Eth. cap.* 1.] *quiâ est ibi violentum simplicitèr: ità si Dæmon moverit membra arreptitii. Et ità videtur fuisse de illo arreptitio, qui expoliavit, & vulneravit duos adjutores suos.* [*Act. cap.* 19.] *Et ità potest cogere hominem ad fornicandum, & ad quæcunque alia, movendo omnia organa corporis ejus: & potest esse, quòd arreptitius videat se malè agere, non perturbatus existens; & tamèn resistere non potest; quiâ violentèr moventur organa sua.* Quam doctrinam amplectitur P. F. Sebastianus à S. Joachim [in cursu morali Collegii Salmãticens. tom. 5. tract. 22. §. 2. n. 48.]

604. Confirmatur à Laurentio Aponte Clericorum Minorum in Evangelium [Matth. cap. 12. Digress. 3. num. 4.] ubi hæc habet. „ At „ notandum, quòd, ad hoc ut verè „ quis dicatur arreptitius, sufficit, „ ut Dæmon sit intùs corpus in „ qualibet ejus parte, etiàm minima; ut in brachio, vel ungue; „ ut refert Georgius in vitâ S. „ Theodori, de quodam Eutychio, „ in quo existebat Dæmon in brachio tantùm. De quâ re vide „ Torr. ubi suprà disp. 23. n. 2. „ Quod equidèm quandò fit ex „ particulari, erit providentia inhibens Diabolo, nè ultrà se „ extendat. Ex quâ doctrina sequitur evidentèr, quòd similitèr dicendum sit de Dæmonibus „ assistentibus, nempè, eos aliquandò potestatem accipere, non suprà totum corpus, sed tantùm „ super aliquod ejus membrum: & „ tunc non posse hominem motui „ illius membri obsistere, quùm „ moveatur ab agente superiori, & „ fortiori. Ex quâ doctrinâ, quam „ tenet Torres ubi suprà, & Delrio disquisit. magic. lib. 2. quæst. „ 24. §. 6. in Voluntatem, sequitur, posse Dæmones assistere, & „ dominari extrinsecè in membro „ corporis, v. g. manibus, & illis „ fricare virilia, cum notabili immutatione, absque consensu hominis, coactè, & merè passivè „ se habente ad illum motum. Ex „ quo fit, ut actio illa sit sinè peccato; imò ex validâ resistentiâ, si „ adsit, Voluntatis, meritoria. *Potest*, ait Delrio, *Dæmon, si Deus non prohibeat, in actum aliquem, vel motionem hominem impellere: quæ motio ex suo genere, si adesset consensus, peccatum foret; peccandi tamèn necessitatem nunquàm Voluntati queat adferre; quiâ invito consensum nequit extorquere.* Quæ sententia est verissima, non solùm speculativè, sed practicè: valdèque observanda, & notanda à Confessoribus, Magistrisque spiritualibus; quùm ex ejus ignorantiâ, aut scrupulositate omninò perdere possunt animam alioquìn sanctam; quùm in hâc re, sivè in hoc crudelissimo bello nìl periculosiùs, quàm se victum aliquem „ æstimare, & jam cecidisse: quod „ summoperè appetit persuadere „ Diabolus, ad hoc, ut liberè jàm, „ & voluntariè peccet, & peccatum consummet. Quod autèm „ in hoc casu strenuè curandum, „ pœnitentem est instruere, in „ quo peccatum consistat, scilicèt, „ in Voluntatis consensu: quod „ sempèr retineat fortitèr, nunquàm se victum cogitet, & quoad „ potest, retineat motum, seu brachii motionem. At hoc suavitèr,

Digitized by Google

„ parùm de re curando, semper „ contrà voluntatem resistendo, „ nullo modo se perturbans, aut „ pacem deperdens interiorem.

605. R. I. Si casum Arreptitiorum extendimus ad casum Pseudo-Mysticorum, incidimus in propositionem Sceleſtissimi Michaelis Molinos, inter damnatas ab Innoc. XI. num. 42. hujus tenoris: *Potest dari casus, quòd hujusmodi violentiæ actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicèt, maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.* Porrò, si curreret paritas, ab arreptitiis descendendo ad non arreptitios, sicutì illi coguntur á Dæmone ad fornicandum, sic quoque possent cogi non arreptitii. Nec aliqua excogitari potest ratio, cur Dæmon compellere possit arreptitios, tùm ad pollutionem quoàd seipsos, tùm ad fornicandum cum aliis: & non possit vim inferre eodem tempore duabus personis ad carnalem concubitum, sed tantùm unicuique ipsarum, & singillatim ad solam pollutionem propriis manibus patratam. En cœnosum barathrum, in quod præcipitantur Adversarii.

606. II. Non debet fieri extensio de casu obsessi à Dæmone, ad non obsessos; non enim adest in utroque identitas rationis, quam U. J. Doctores requirunt, ut fiat extensio de casu ad casum. 1. Quia Dæmon habet potestatem utendi organis obsessi, proùt sibi placuerit; non sic verò respectu non obsessi. Nam ex D. Damasceno [serm. 14. in Epist. ad Ephes.] *Nullam adversùs quemquam vim, & potestatem Dæmones habent, nisi ea ipsis, Dei consilio, & dispensatione concedatur.* Ex Dei autèm consilio, & dispensatione conceditur hosti dominium suprà corpus obsessi: quâ ratione D. Greg. [homil. 12. in Ezechiel.] Dæmoniacum appellat hominem á Dæmone possessum. Quamobrèm, eâ ratione, quâ Dæmoni conceditur dominium corporis humani, conceditur etiam usus, seù veriùs abusus membrorum ipsius. Diversa autèm est ratio in non obsesso; quia in ejus corpus nullum Dæmon habet dominium; & consequentèr nèc ad votum potest uti organis illius. 2. Quia ex pravis actionibus Dæmoniaci nullum sequitur scandalum apud Fideles: qui omnes putant, Dæmoniacum esse mente captum, ejusque actiones esse Diabolicas, non autèm humanas. Nullum sequeretur absurdum in Republicâ *humanâ; quia Dæmoniacus reputatur* ac si non esset homo; ideòque perversi non possunt allegare illius exemplum, & pravas operationes, ad excusandas proprias turpitudines, sub prætextu violentiæ illatæ à Dæmone, & ità evadere impunes. At si extenderemus casum, proùt cupiunt Molinosii, quæ non sequerentur absurda? quæ non committerentur scelera? Certè omnia perirent Jura, & humana Republica, tota perverteretur.

607. III. Non legimus, obsessum, seu possessum à Dæmone, adhuc vi Maligni perturbatum, & dementatum, prorupisse in actus impudicos; proùt D. Hilarius [lib. de Synodis] S. Paulinus [in Natal. S. Felicitat. cap. 7.] Severus [Dialog. lib. 3. apud Baronium] Annal. Eccles. [tom. 4. anno Christi 385. §. 19.] testantur de fœminis arreptitiis his verbis: *Licèt pedibus suspensæ essent, deorsum capite, nihilo-*

Digitized by Google

bilominùs vestes inhærent, Divino miraculo, pedibus: quo fœmineo esset pudore consultum. Quod etiàm advertit Illustrissimus Antistes Palanco [de peccabilit. q. 11.] „ Nescio „ autèm an contigerit, aliquem „ ex Energumenis agitari ad turpes actiones, & contactus lascivos. Imò, quamvis à Dæmone variis motibus totum corpus fœminæ circumferatur; experientiâ constat, nihil, quod sensualitatem provocare possit, discooperiri; sed potiùs experti non „ sinè admiratione adverterunt, „ maximâ honestate intèr motus „ illos tam varios, corpus fœminæ velatum decentèr apparere... Cujus, inter alias rationes „ hæc mihi occurrit: Amor ille „ specialis, quô Deus Castitatem, „ Virginitatem, & Puritatem diligit, etiam externam. Hujusmodi experientia probat á fortiori nostram assertionem, & eradicat argumentum Adversariorum.

608. IV. Dum quis à Dæmone agitatus prorumpit in blasphemias: Vel hæ non procedunt ex animo libero; quatenùs Dæmoniacus privatur rationis usu, & ligatur ejus phantasia: & sic nescit quid dicit; sed postea, ad summum, recordatur audisse illas blasphemias; & consequentèr Dæmon locutus fuit per os illius patientis. Eo modo, quo Diabolus per Serpentem locutus fuit Evæ; ut docet Magister sententiarum [2.dist. 21.] *Sic autèm loquebatur Diabolus per Serpentem ignorantem, sicut per Energumenos, vel per phantasticos loquitur. Serpente enim velut organo est usus, movens naturam ejus ad exprimendos sonos verborum, & signa, quibus suam monstraret voluntatem. Serpens ergò nec verba intelligebat, nec rationalis est factus: callidissimus tamèn dictus est, propter astutiam Diaboli. Locutus est autèm, sicut Asina Balaam; sed hoc Diabolicum, illud Angelicum fuit. Boni enim, & mali Angeli similitèr operantur.*

609. Vel si Dæmoniacus, dum profert blasphemias, est sui compos, & expeditum habet rationis usum, (proùt interdùm accidere posse, pauci putant Doctores) tunc ipsi imputantur ad culpam. Ita sentit D. Thom. [1.2.q.80. art. 3.] *Respondeo dicendum, quòd Diabolus propriâ virtute, nisi refrænetur à Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est; non autèm potest inducere necessitatem peccandi. Quod patet ex hoc, quòd homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totalitèr impedire potest, movendo imaginationem, & appetitum sensitivum; sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligatâ, quidquid homo agat, non imputatur el ad peccatum: sed si ratio non sit totalitèr ligata, ex eâ parte, quâ est libera, potest resistere &c.* Ubi Sylvius, fidelissimus Interpres Angelici Doctoris, ait: „ Diabolus, „ vel ita perturbat facultates interiores, ut liber usus rationis „ penitùs tollatur? vel ita ut relinquatur aliquod liberum rationis „ exercitium? Priori modo cogere quidem potest ad actum, qui „ genere suo est peccatum: quo „ modo cogit Energumenos ad „ enuncianda verba blasphema, „ vel etiàm ad alios actus ex objecto malos; non tamèn ad peccatum; quia tunc deest libertas ar-

Digitized by Google

„ bitrii, sinè quâ nullum potest „ committi peccatum. „ Posteriori „ autèm modo, nè quidèm cogere „ potest ad actus objectivè malos; „ & per consequens multò minùs „ ad peccatum. Verùm, in casu proposito, supponitur patiens non dementatus, nec advertentiâ, & usu rationis orbatus; sed compos sui, & vigil actus committere turpes. Hinc juxtà Doctrinam mox allatam, hujusmodi actus imputari nequeunt violentiæ Dæmonis.

610. Ad exemplum allatum [Act. 19. v. 16.] respondet D. Chrysostomus [in hunc locum] *Vide, quantam vim habeat Dæmon in corpora infidelium, & irrisorum: indèque collige, eumdem similia, imò, & majora exercere in animam peccatoris, quam per peccatum obsidet, agitat, & exagitat, ut lictor quasi vile suum mancipium.* Quod firmat Sylveira expendens textum præcitatum. „ Hoc est, inquit, supremum Dei judicium, ut qui „ Diabolo serviunt, per Diabolum „ puniantur, sitque Diabolus eorum Carnifex. Itaque, jussu Dei homo ille Dæmoniacus invasit contrà filios Scevæ, qui ambo erant Ministri Judæi, membra, & servi Diaboli. Hoc idem dicendum de aliis Dæmoniacorum actionibus, dùm, scilicèt, alios vulnerant homines, & occidunt, vel ex permissione Dei, vel etiam ejus jussu. Nam Dæmones, à quibus aguntur, sunt Dei satellites, ac lictores; ut ait D. Isidorus [lib. 2. sent. cap. 10.] & Euchar. [in 1. Reg.] *Malo spiritu utitur Deus ad ministerium judicii sui.*

611. Dixi: *vel ex permissione Dei, vel ejus jussu.* Siquidèm ex Suarez [de Angelis lib. 8. cap. 20. n. 7.] & aliis communitèr. „ Quotiès Dæmon ut pœnam, vel malum aliquod uni inferat, alium „ ad peccandum inducit: vel quandò ipsa pœna intrinsecè includit „ similem inductionem; ut quandò instigatio, seù tentatio ad „ unum peccatum, est pœna prioris peccati; tùnc pœna illa non „ provenit jubente Deo, sed permittente; quiá intrinsecè involvit tentationem, & suggestionem mali culpæ, cujus Deus auctor esse non potest. At verò, „ quandò Dæmon immediatè per „ seipsum, vel per creaturam irrationalem, malum purè pœnale infert homini; tunc nihil vetat, quìn Dæmon, non solùm „ permittente, sed etiàm jubente „ Deo, id faciat. Quià de se non „ involuit malum culpæ, nec ejus „ causalitatem, sed solius tantùm „ pœnæ. Dico autèm *de se*; quià „ non obstabit, quòd Dæmon semper peccaturus sit illud mandatum Dei exequendo: vèl sempèr „ id faciens ex odio contrà hominem: vèl *dolens, quòd illa vindicta, & actio sua in gloriam Dei* „ cedat: vèl quòd Deo obedire „ cogatur. Hoc, inquam, non „ obstat; quiá hæc malitia non est „ per se conjuncta tali actioni, „ sed per accidens adjungitur ex „ pravitate operantis: quam Deus „ impedire, aut vitare non tenetur. Et ideò, licèt Deus jubeat „ Dæmoni actionem, & exequutionem justitiæ ergà peccatorem; nihilominùs malitiam, quam „ Dæmon admiscet, Deus solùm „ permittit.

Ex quo liquet, quòd potest Deus permittere, Dæmonem invito Arreptitio, per organa istius vulne-

nerare, & occidere alium; imò potest Deus id jubere; sed nequit Deus, nec quidèm permittere, Dæmonem vim inferre organis ipsius Arreptitii (saltèm dum est sui compos) ad patrandas carnis spurcitias, à quibus præscindi nequit malitia intrinseca; quùm sint malæ ex objecto: & ob alias rationes pluries allegatas, ac propter absurda, quæ indè sequerentur.

612. Ad auctoritatem Abulensis, dicimus, quòd si Doctor ille, vetè celeberrimus, locutus fuit de potentiâ naturali Dæmonis, ritè docuit, Dæmonem posse cogere obsessum ad fornicandum &c. imò & concedimus, posse compellere etiã non obsessum. At si intellexit, Deum id permittere (saltèm dum obsessus est sui compos) velùt intellexisse videtur; non fuit locutus conformitèr ad ea, quæ pluribus in locis expressè docuit. Nam [in Matth. cap. 4. qq. 6. 21. 24. 76. 77. & alibi] ait: *Etsi Deus permittat, Diabolum paulisper tentare, tamèn repellit propter infirmitatem nostram.* Si ergò tantus Doctor senserit in contrarium, respondebimus ei eisdem verbis, quibus ipse respondet Divo Augustino [in 2. part. defensorii de tempore mortis Domini Jesu] *Nos veneramur omnia scripta B. Augustini, tanquàm viri sancti, & hominis doctissimi, & famosissimi inter viros ecclesiasticos, & seculares; & tamèn in hac parte non assentimus ei. Nèc istâ auctoritas sua in hâc parte captivare debet ingenium nostrum, quòd necesse est ei in omnibus assentire; quùm probatum fuerit supra rationibus necessariis, & inevitabilibus impossibile fuisse.... In scripturis hominum singularium, qui loquuntur ut homines, quantacunquè sapientiæ, & ingenii sint, & quantacunque sanctitatis, non est danda tanta auctoritas, sicut libris Canonicis S. Bibliæ; sed scimus eos potuisse errare. Ideò licèt ipsi aliquid asserant, non est credendum necessariò, quod ità sit; sed possumus magis aliis credere, si videamus, quòd melius probant, quasi subtilioris, & circumspectioris ingenii sint.... Item potest aliter dici: quòd licèt Augustinus legeret omnes libros suos (quod etiam non est firmum) poterat manere aliquod incorrectum: sicut aliis, & nobis sæpè accidit emendantibus opuscula ab aliis, vèl à nobis confecta, quòd aliquid, in quo est manifestus error, manet incorrectum, non potentibus nobis ad omnia diligentèr attendere. Et ista est conditio hominis occupati, ut ait Greg. [1. Dialog.] Quòd mentem, quam curarum immensitas devastat, quæ dum ad plura distenditur, minor fit ad singula.*

613. Et jam de facto, Vir tàm conspicuus [tom. 1. in Genes. c. 42.] in verba illa Josephi Patriarchæ: *Exploratores estis*, favere videtur mendacio officioso. Et [tom. 5. in cap. 2. Josue q. 30.] ait: *posse Deum hominem movere ad peccatum veniale, propter magnum bonum, quod inde sequitur, & nè in majora peccata incidat. Et nos posse, & debere mentiri, in casu &c.* Item [tom. 7. in 3. Reg. cap. 15. q. 3. & tom. 10. in Matth. cap. 9. q. 13. & cap. 17. q. 17.] habet aliqua, quæ debent benignè interpretari; juxtà Indicem Hyspanum librorum prohibitorum, & expurgandorum. Nequè ex hoc aliquid detrahitur ex reverentiâ debitâ tanto Doctori, omni disciplinarum genere ornatissimo.

Digitized by Google

natiſſimo, atque eo nomine illo ſui Epitaphii elogio percelebri: *Hic mundi eſt ſtercus, qui ſcibile diſcutit omne*. Nam, *omnis homo mendax* (Pſal. 115.).

614. Ad Confirmationem dico, Laurentium Aponte incidiſſe in errores Michaelis Molinos, ut oſtendunt relata ejus ultima verba; & ſatis patebit infra Sect. 7. Profectò, Doctor iſte arguit á potentiâ ad actum: à virtute naturali Dæmonis, ad poteſtatem permiſſivam à Deo ipſi tributam: & à ſpeculativâ ad praxim. Equidem, poteſt Dæmon (niſi frænetur à Deo) vim inferre manibus noſtris, iiſque fricare virilia ad ſeminis uſque effuſionem; & Deum id permittere negamus, & abundè probavimus nec permittere poſſe, utpotè repugnans Summæ ejus Bonitati, Providentiæ, Fidelitati &c. Undè Laurentius Aponte ſinè aliquâ ratione ſupponit contrarium; imò contradicentibus Scripturis, Patribus, ipſâque ratione. Præterea, ex Martino Delrio, loco ab eodem citato, non confirmatur ejus doctrina, ſed omninò infirmatur. En verba eruditiſſimi, & piiſſimi Doctoris à nobis fidelitèr relata, & ab Aponte mutilata. „ Undè „ fit, ut (ſi Deus non prohibeat) „ poſſit Diabolus in actum aliquem, „ vel motionem impellere: quæ „ motio, ex ſuo genere, ſi conſenſus adeſſet, peccatum foret: peccandi tamen neceſſitatem nunquam voluntati queat adferre; „ quia invito conſenſum nequit „ extorquere. D. Thom. 1. 2. q. „ 80. art. 3. Et confirmat elegantèr Cyrill. Catechiſ. 4. Sed „ nec Deus (N. B.) ſinit omnes in „ tentando vires Dæmonē exercere: facitque, ut tentator non tentet quantum poſſet, ſed quantum humana fert imbecillitas: „ quam nunquam ſufficienti ſinit „ auxilio deſtitutam, nec in gravíſſimis quidèm peccatoríbus, „ quibus illud cum juſtis adhùc eſt „ commune, quòd Apoſtolus, ad „ magnum animæ ſolatium, ſcripſit 1. Corint. 10. v. 13. non bonis tantùm, ſed toti Eccleſiæ „ Corinthiorum, in qua multi „ erant mali, multi etiàm juſti. *Fidelis Deus, qui non patietur vos „ tentari ultrà id, quod poteſtis: „ ſed faciet etiam cum tentatione* „ (pro tentati cujuſque diſpoſitione, & capacitate) *proventum*; „ *ut poſſitis ſuſtinere*. Quæ fidelitas, virium liberi arbitrii; & „ communis, ſufficientiſque auxilii (de quo Theodoretus hæc „ verba accepit) Divini, conſervationem ſupponit, & includit: „ cujus conſervationis promiſſæ, „ fidâ exhibitione conſequitur humana imbecillitas: ut ex tentatione Dæmonis, non ſolùm bonæ voluntati, & conatui felix exitus (ſic Aug. in Pſal. 61. & Hieron. in Joan. idem Aug. in Epiſt. 89. explicant.) ſed etiam (N. B.) „ ut periculum prætergreſſi: fortioreſque in poſterum ad tolerandum effecti, pro detrimento, „ quod timebatur, ut lucrum præterea ex tentatione reportemus; „ ut optimè Photius expoſuit, & „ noſter id optimè vertit; quid „ quid Novatores gannient.

„ Cum poſſint itaque peccatores, hoc adminiculo freti, ſingula peccata lethifera vitare: ſanè, ſi ſuccumbant huic tentationi, cui poterunt non aſſentiri, „ voluntariè ſuccumbent, non „ coacti, vel adacti neceſſitate, „ quæ

Digitized by Google

„ quæ hìc nulla reperitur.

Verùm, quantùm hæc ſana doctrina diſtet ab erroribus Laurentii Aponte, *Qui legit, intelligat.* Matth. 24. v. 15.

Ex his, ni fallor & ego, ſicùt illam celebrem apud Poetas Hydram Lernæ Paludis, Hercules, igne admoto, nè capita repullularent, interfecit: ita ſeptem colla monſtri Molinoſii jam reciſa à Divino Flamine ſeptiformi, jacent humi profligata; juxtà effatum D. Ambroſii: *Quod de morte Hydræ illius Gentilium falſitas finxit: hoc in veris Eccleſiarum bellis Veritas peragit, ignitus Spiritus Sancti gladius.*

REFLEXIO.

615. MAgnæ victoriæ pars eſt vincendi fiducia. Hæc vires auget, attollit cor, laborem temperat, exhilarat mentem, diſponit ad palmam. Vis animi in præliantibus, ſpes eſt coronæ; ſpes autèm firma, quæ cedere neſcit, aſpera non veretur, pati non recuſat, aggreditur ardua, adverſa ſuſtinet, dolorem non ſentit, ſemperque creſcit expectatione triumphi. Qui autèm deſperat de victoriâ, cor habet frigidum, voces tremulas, manus lentas, & ignavitèr pugnat. Hinc hoſtis antiquus, & fallaciarum architectus, deſcendens in certamen ſpirituale, putat hominem ſeducere, & in captionem inducere ſuco ſuo. Nunc illius menti oſtentat ſuam potentiam maximam, & inſuperabilem; quia *non eſt poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram: qui factus eſt, ut nullum timeret.* [Job. 41. v. 24.] eodemque momento fragilitatem exagerat humanam; quia *univerſa vanitas omnis homo vivens* [Pſalm. 38. v. 8.] Nunc, viſibilitèr apparens, minas intentat, terrorem incutit, reſiſtendi opponit impoſſibilitatem; ut homo arma deponat, cedat animo, tentationi ſuccumbat, & ita in ſuam redigat poteſtatem.

Ars iſta Diabolica, eſt ipſiſſima doctrina, & maxima deceptio Pſeudo-Myſticorum. Hi *oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* (Pſal. 16. v. 11.) ſub ſpecie humilitatis ſemetipſos annihilant, magnificant Dæmonis poteſtatem, & agnoſcere nolunt Dei Omnipotentiam. Confunduntur, quiâ ſuperbi confidunt in virtute ſuâ: ſuccumbunt Tentatori, quia intelligere nolunt, quod teſtatur Regius Vates [Pſalm. 59. v. 14.] *In Deo faciemus virtutem: & ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.* Debilis quippè eſt homo, & impotens ad reſiſtendum Diabolo; imò neceſſe eſt ſuccumbere, ſi viribus nitatur ſuis; at *qui ſperant in Domino mutabunt fortitudinem: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* [Iſa. 40. v. 31.]

616. Itaque Fideles, ſi aliquandiù hoſtis veterator, aut viſibilis in corpore aſſumpto, aut invisibilitèr tentat vim inferre manibus, aliiſque noſtri corporis membris ad turpia, *adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno* [ad Hebræos 4. v. 16.] Dein ſecuri de victoriâ, mente ſerenâ, alacri animo, interriti, intrepidi, fortes dicamus Ma-

ligno

Digitized by Google

ligno: *Vade Satana*; & certò certiùs, hoc breviſſimo, & unico exorciſmo, victus, & confuſus fugiet á nobis. Duobus his verbis Dominus Jeſus fugavit Tentatorem; eiſdem & nos conjiciemus in fugam. Undè Stapleton [promptuar. moral. Dom. 1. Quadrag. tex. 9.] benè advertit. „ Sicùt Chriſtus hoc dixit tamquam homo Divino Spiritu plenus: non quidèm ex fide, quià Comprehenſor erat, Deique viſione ejus anima fruebatur; ſed tamèn ex eâ fortitudine Spiritus, quam in illo quidèm Viſio Divina generabat; in nobis verò fides, & viſio in ſpeculo, atque ænigmate generat. Sic nos ejuſdem Divini Spiritus participes (*miſit enìm Deus Spiritum filii ſui in corda noſtra*.) [Galat. 4.] & ex fortitudine fidei dicere poſſumus, & debemus Tentatori, repellere poſſumus, & debemus, dicendo: *Vade Satana*. Fortitudo, inquam, fidei, quæ *eſt ſimilis grano ſinapis* [Matth. 13.] acris, & ardens, & fervens. Hæc imperat Dæmoni (N. B.) ſicùt imperat aliis creaturis: *Dicetis monti huic: tranſi, & tranſibit*. [Matth. 17. v. 19.] Sed magis Dæmoni, quám creaturis: hunc tamquam Adverſarium proprium, & principalem, Chriſtus pro nobis vicit, & nos in illo vincimus. De quâ victoriâ dixit: [Joan. 16.] *Confidite, ego vici Mundum*. Eadem enìm eſt virtus (N. B.) quâ Chriſtus vicit, & quâ nos vincimus: eadem Spiritus Sancti operatio. Nam, ſi ut Deus tantùm Mundum viciſſet, aut hoc dixiſſet, quæ eſſet noſtra confidentia, qui non ſumus Dii? Sed ideò jubet nos confidere, quia eadem virtus operatur in membris, quæ operata eſt in capite. De hâc victoriâ Paulus (ad Rom. 16.) *Deus pacis conteret Satanam ſub pedibus veſtris velocitèr*. Magna virtus Spiritus Sancti in cordibus Fidelium, quæ Satanam non repellit tantùm, ſed & conterit ſub pedibus: idque velocitèr. Quia, ut Jacob (4.) ait: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis*. Nam & *in hoc Evangelio*, poſt Chriſti verbum: *Vade Satana*, receſſit ab eo Diabolus, nec ultra tentavit. Hæc laudatus Stapleton, & ea didicit à Divo Chryſoſtomo (in Matth. 4. v. 10.) qui exponens hunc locum, ait: *Dixit ergò hoc Jeſus, & juſtâ irâ indignans Diabolo, ejuſque improbitatem objurgans; ideòque Diabolus deſperans de victoriâ, & confuſus aufugit. Undè diſcant Chriſtiani fortitèr repellere ſuggeſtiones Diaboli, illumque increpare, & fugiet ab eis.*

SE-

Digitized by Google

SECTIO V.

An Deus permittat, Dæmonem esse Incubum, Viro, aut Muliere omninò renuente?

617. VIdebitur fortè supervacaneum quærere de hujusmodi permissione; quùm enìm Deus non permittat Dæmoni violentiam inferre manibus nostris, aliisque corporis membris ad actus objectivè malos, obsistente nostrâ voluntate, ex hactenùs probatis; multò minùs patietur, Dæmonem Incubum, prorsùs renuente viro, aùt muliere. Eadem siquidèm Scripturæ oracula, PP. testimonia, rationum monumenta, & absurda usquè adeò relata, utramque confutant permissionem; imò fortiùs hanc, quàm illam. Verùm, quià non pauci Confessores, præsertìm mulierum, & signantèr pulcherrimarum, fascinantur istarum magico, ut ita dicam, incantamento; itaùt de talibus Confessoribus canere possit Poeta:

Circes Sole satæ, tàm magnâ potentiâ fertur,
Verterit ut multos in nova monstra viros.

Indè negant, Deum permittere Dæmoni vim inferre absolutam homini ad turpia patranda manibus propriis; contendunt tamèn, Deum permittere ipsi Dæmoni esse Incubum, renuente totis viribus, tùm internis, tùm externis, viro, aùt muliere. Quamobrem non abs re hanc addimus Sectionem.

618. Ut autèm certa secernamus ab incertis; tria sunt indubia Succuborum genera. Sunt enìm Succubi, seù Succubæ ex morbo: sunt ex imaginatione: suntque voluntarii. De omnibus generatìm ita scribit Theodorus Craanen Medicinæ Doctor celeberrimus (tract. Physico-Medico de homine cap. 163.) „ De Incubo porrò, & Succubo multùm creditum fuit à superstitiosis hominibus, & credulis. Sinè dubio est inventio adulterarum, & puellarum non pudicarum, & castarum, quæ vim sibi illatam putant à genio aliquo incubo: & sic, sinè Patre noto, produxisse infantem: aùt infantem à Succubo editum volunt, tùnc quandò Matrem non reperiunt. Sunt reverà pessimæ illæ Succubæ, quibus adhùc impudicitia salvari posset Virginum.

619. Idem loquens (cap. 80.) de morbo, quem appellant Incubum, ait. „ Æger putat, sibi fauces præfocari, constringi; hìnc sentit, se non liberè respirare. Interdùm sollicitantur ad Venerem: aùt sibi imaginantur, pondus aliquod ipsorum pectibus incumbere: & alii alia sibi imaginantur. Sed illa non faciunt ad naturam phænomani, quùm abesse, & deesse possint. Homines clamare nequeunt, nèc quẽquam in auxilium vocare: jacent apertis oculis, etsi non in totum, maximâ tamèn ex parte vigilant, ut fateantur sensus sibi constare; nèc tamèn possunt clamare, & se movere. Paulò post paroxismus finitur, & utì sano obvenit, ita etiàm hominem sanum relinquit, perit sinè exhibitione me-

„ dicamentorum. Quæritur igi-
„ tur hujus mali causa.

„ Vulgò, quùm nos sentimus
„ nobis spiritus præcludi, expe-
„ rimur hoc fieri à causis vulgari-
„ bus, & frequentioribus: aut quòd
„ fauces nobis constringantur, aut
„ quòd magnum pondus incumbat
„ nobis, nostris pectoribus, & abdo-
„ minibus. Hæ solent esse causæ or-
„ dinariæ impeditæ respirationis.

„ Hoc ultimùm, quod de-
„ pondere incumbente abdomini
„ diximus, confirmat id, quod di-
„ ctum est de musculis abdominis,
„ quòd sint diaphragmatis antago-
„ nistæ, hoc est, quòd faciant ex-
„ pirationem; illis enim musculis
„ in suo motu impeditis, diaphra-
„ gma deprimi non potest, nec
„ propellere ventrem, & aerem;
„ atquè ita cessat respiratio.

„ Nunc, uti vigilantes, sæpè
„ in judicando præcipitãtes sumus,
„ & non attendimus ad omnes
„ circumstantias; ita fallimur sæpè.
„ Hoc, si plenè vigilantibus nobis
„ accidit, multò magis nobis idem
„ contingit, quùm sumus somno-
„ lenti, nèc plenè vigilemus. At
„ hìc aliqua adest somnolentia,
„ nèc possunt dici Incubo vexati
„ plenè vigilare; præsertim si pu-
„ tant, se ad Venerem incitari,
„ aut hominem abdomini ipsorum
„ incumbere; si enim tunc plenè
„ vigilarent, possent inferre, ta-
„ le quid obtinere non posse: nèc
„ illa præsentia esse statim judica-
„ rent, si circumstantias expende-
„ rent, adeoùt hìc possent aperti
„ esse oculi; & tamèn in cerebro
„ adesse somnolentia ex defectu
„ spirituum, nec non insomniorum
„ continuatio. Anima autèm im-
„ prudens hâc ex consuetudine
„ judicat, & in eo quàm maximè
„ fallitur: putat eamdem causam
„ adesse, quùm videt eumdem ef-
„ fectum; at experta est, quùm
„ fauces constringuntur, aut pon-
„ dus abdomini incumbit, tunc re-
„ spirationem impediri: nunc,
„ quùm ille idem effectus rursùs
„ exoritur, videlicèt, quùm de-
„ nuò respirare nequit, putat or-
„ dinariam hìc debere adesse cau-
„ sam; ac proinde putat, homi-
„ nem abdomini incumbere, vo-
„ lentem fauces constringere, &
„ sic interimere.

620. „ Hinc maximè angun-
„ tur Incubo vexati, & in maximâ
„ versantur anxietate; verùm, si
„ magis cogitant de rebus vene-
„ reis, dùm cubitum eunt, tunc
„ illæ cogitationes sæpè diù conti-
„ nuari solent, & quùm Incubus
„ ipsos invadit, putant aliquem
„ ipsis incumbere, quæ ipsos ad
„ Venerem incitent. Et sic varia
„ sibi imaginantur, quæ ipsis ma-
„ gis antè fuerunt familiaria; sed
„ diximus, animam hìc falli, nèc
„ causam veram hujus rei scire.
„ Oportet igitur, ut aliam demus,
„ quæ consistens sit, & proxima,
„ quâ positâ, ponitur morbus; quâ
„ sublatâ, idem tollitur. Nos eam
„ ponimus in spasmo musculorum
„ abdominis, itaùt illi non possint
„ liberè transfundere spiritus, &
„ humores in musculos diaphrag-
„ matis: hìnc manent inflati, &
„ continuant præmere viscera ab-
„ domine contenta: contrà dia-
„ fragma hoc quùm deorsùm fer-
„ ri nequeat, cessat inspiratio. In
„ his paucis consistit totum nego-
„ tium; quatenùs, videlicèt, val-
„ vulæ canalis intermedii, tenden-
„ tis ex musculis abdominis in dia-
fra-

Digitized by Google

„ fragma, ſunt in contrarium ſi-
„ tum revulſæ, itaùt non concedant tranſitum humoribus, &
„ ſpiritibus venientibus ex muſculis abdominis ad diafragma: qui
„ proindè illic detinentur, & ſic
„ prædicto modo reſpiratio lædi-
„ tur &c. Hæc de morbo incubo laudatus Craanen.

621. Hujuſmodi Succubis pejores ſunt ii, qui ex imaginatione putantur Succubi. Pro quibus ſciendum ex Galeno [lib. 4. de loc. aff. cap. 2.] Imaginationem interdùm lædi, non læsâ ratione: & viceversâ; ſunt enim facultates intèr ſe realitèr diſtinctæ. Quòd patet in aliis facultatibus reſidentibus in aliis partibus: nam quandoquè læditur unius, ejuſdemque partis facultas, manente illæsâ aliâ ejuſdem partis facultate v. g. in ventriculo, in quo interdùm læditur coctio, & remanent ſalvæ Expultrix, & Retentrix; ut ſatis probat Maſſaria (lib. 2. ſuæ pract. c. 1.)

622. Præterea, homines circumveniuntur duobus illuſionum generibus. Aliud eſt naturale, aliud verò Dæmoniacum. Naturales appellamus omnes illos inſolitos naturæ deviantis, aut maleficiatæ effectus, quibus afficiuntur homines. Idque continget pluribus ex cauſis: plerùmque ſenſuum alteratio in cauſa eſt, cur homines varia, & ſtupenda ſeſe percipere arbitrantur, ut conſtat in ebriis, quos S. Ambroſius [lib. de Eliâ, & jejunio cap. 16.] ſic deſcribit: *Hinc vanæ Imagines ebriis, inverti viſus, inſtabilis greſſus, umbras tranſiliunt ſæpè ſicùt foveas, nutat his cum facie tecta, ſubitò erigi, & inclinari videtur, & quaſi vertatur, timentes in faciem ruunt, & ſolùm manibus apprehendunt; aut concurrentibus montibus ſibi videntur includi: murmur in auribus, tanquam maris fluctuantis fragor, & reſonantia fluctu littora: Canes ſi viderint, Leones arbitrantur, & fugiunt. Alii riſu ſolvuntur inſolito: alii inconſolabili mœrore deplorant: alii cernunt irrationabiliter paveres, vigilantes ſomniant, dormientes litigant &c.*

623. Interdùm, læſis ſenſibus externis, apparet res alitèr ac eſt in ſe. Sic refert Ariſtoteles de quodam, qui ſuammet Imaginem, ſivè ſimulachrum, ſibi in aere, veluti in ſpeculo, propter oculorum vitium, ſemper obſervare exiſtimabat. Ita Cellius [lib. 3. cap. 18.] affirmat de Theophilo Medico, aliàs prudentiſſimo, qui opinabatur, quùm febriret, propè lectulum tibicinas, & cornicinas aſſiſtere, & continuò ejus auribus cantum reſonare. Idque, jam ſanus, ſibi accidiſſe pertinaciter contendebat.

624. Crebrior autèm, & major deceptio emanarà Phantaſiâ inordinatâ. Cujus rei exempla, & rationes affert Guillelmus Pariſienſis [part. 2. de Univerſo cap. 35.] Primum exemplum eſt de ſomniantibus, qui indubitanter credunt ſe aliquandò videre, & contrectare poma aurea, maſſas argenteas &c. Secundum de febricitantibus, qui patiuntur alienationes, etiam vigilantes: dicunt ſe videre latrones, qui velint eos occidere: Serpentes, qui quærunt eos devorare &c. Tertium de melancholicis, qui videntur ſibi occurrere multitudinem armatorum &c. nec his ſuaderi poteſt contrarium. Imò, non ſolùm de rebus, quæ extrà nos ſunt, ſed etiam de nobis ipſis in opiniones

Digitized by Google

prorsùs incredibile, nos indecent hujuſmodi phantaſmata. Sic quidam putabat ſe eſſe Gallum: alius credebat indiſſuabiliter ſe eſſe mortuum: aliaque extant exempla apud hiſtoricos.

625. Aliud illuſionum genus dicitur Dæmoniacum. Poteſt enim Dæmon ſe adjungere huic morbo naturali, abuti hominis proclivitate, & hunc deludere, oſtendens ea, quæ non ſunt, ac ſi reipſa eſſent. Undè D. Auguſt. [lib. 18. quæſt.] ait: *Scripſit hoc malum Diabolus per omnes aditus ſenſuales: dat ſe figuris, accommodat ſe coloribus, odoribus ſonis, edendis ſe ſubjicit, inſtiendis ſe ſaporibus, & quibuſdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ: aliquandò crudeliter torquens dolore, & metu: aliquandò jocosè diſtrahens, vel ſubſannans ludentis.*

Ut autèm id clarè intelligatur, tranſcribo verba D. Bonaventuræ (in 2. diſt. 8. q. 1. 3.) *Abſque dubio Dæmones poſſunt ſenſus deludere; ſicuti multiplex experientia docet: Modum autèm aſſignare, eſt valdè difficile, & ad hoc plures DD. conati ſunt diverſimodè. Quidam namque valuerunt, modum hujus delusionis aſſignare, dicentes, hoc ſupra naturam eſſe. Tripliciter autem hoc fieri poſſe. Poteſt enim hoc facere Dæmon à ſuperiori influendo: ab intrinſeco phantaſmata movendo: ab extrinſeco ſpecies objiciendo: à ſuperiori influendo, dicunt, hoc modo fieri poſſe: quia Dæmon per naturam ſuperior eſt ſenſu corporeo: & quia ſuperiora nata ſunt influere in inferiora, Dæmon poteſt ſpecies, quas habet in ſe, ſenſui communi, tam interiori, quam exteriori: quæ tamen minùs ſunt ſpirituales in ſuſcipiente, quàm in dante; quia, quod recipitur in aliquo, eſt per modum recipientis, non per modum recepti.*

Similiter ab interiori, phantaſmata movendo, dicunt ſic poſſe accidere: ſicut accidit in ſomnis ex motu phantaſmatum: & de fluxu ab organo exteriori virtutem ſenſitivam interiùs, & fieri ſomnium: in quo videtur homini, quod videat, vel audiat veritatem, quàm phantaſmata pervenit ad organum viſus, vel auditus. Sic & in propoſito, Dæmon poteſt phantaſmata exiſtentia in organo interiori facere diffluere ad organa ſenſuum: & ſic videtur homini, quòd videat, vel ſentiat ipſam rem, dum ex rei phantaſmate formatur organum: & intentio ſenſus ſuper illud convertitur, judicat de ſimilitudine, ac ſi eſſet veritas.

Ab interiori verò, ſpecies objiciendo, poteſt hoc modo ſenſum ludificare. Unaquæque enim res nata eſt ſpeciem ſuam ſuſceptibili dare. Et ſi eſſet aliquid, quod non tantùm ſpeciem ſuſciperet, ſed etiam tenere poſſet, poſſet circumferri, & alicui pro veritate offerri: ſicut oſtenditur Luna in patera. Quid ergo non latet Dæmonem naturæ peculiaris, non ſolùm ſuſceptiva ſpecierum, ſed etiam retentiva, mediante illa poteſt quamcunque rei viſæ ſpeciem, pro veritate, ſenſibus noſtris offerre, quam quam pro veritate accipimus, ludificantur.

Hunc igitur triplicem modum, dicunt, Dæmoni eſſe poſſibilem, & modò uti hoc, modò illo, & modò tertio. Sed quilibet horum modorum interiùs conſideranti nihil aliquid improbabilitatis. Non enim videtur poſſibile, quòd ſubſtantia ſpiritualis, quæ habet in ſe ſpecies omnium

Digitized by Google

immateriales, posſit eas ſenſibus imprimere; quùm ſit virtus omninò improportionabilis. Nec etiàm videtur, quòd ſpecies ab organo interiori regrediantur; quùm iſte ſit ordo retrogradus. Præterea mirum eſt valdè, ſi Dæmon ità invenit magnum adeò ſpeculum, in quo in magnitudine ſuâ, & latitudine poſsit oſtendere unum Caſtrum; ſicùt pluribus aliquandò eſt oſtenſum. Mirùm eſt etiàm, ſi videt quis ità rem, quòd non poteſt videre ſpeculum... Mirabilis eſt etiàm materia talis rei corporalis, quæ poteſt ſpeciem ſuſcipere, & tenere; quùm videamus ſpeciem ab objecto ſpeculo ſimpliciter ſeparari non poſſe.

Ideò alius modus dicendi eſt, qui magis eſt conſonus naturæ, & intelligentiæ. Quòd Dæmon poteſt ludificare ſenſus, ſivè oſtendendo præſens eſſe, quod non eſt; ſivè aliter oſtendendo, quàm eſt; ſivè abſcondendo, quod præſens eſt. Primum quidèm facit, ſpecies offerendo. Secundum facit, ſenſum, vel objectum variando. Tertium verò facit, impedimentum præſtando. Primum poteſt intelligi ſic: quandò phantaſmata exiſtentia interius offeruntur forti oblatione ipſi virtuti interiori, vel virtus interior fortiter illis intenditur: ſimilitudo rei videtur eſſe veritas. Hoc manifeſtum eſt per naturam; nam propè nervo propter aſcenſum ſumoſitatum ad cerebrum ex modicâ occaſione exteriori, videtur ei, quòd videat multa, quæ non ſunt ſibi præſentia, vel quòd audiat.

Similiter per fortem converſionem intentionis, phantaſma videtur veritas: ſicùt Auguſtinus exemplificat (lib. de Trinit.) quòd quidam, (N.B.) tentâ converſione recogitabat cujuſdam mulieris imaginem, quòd ei carnaliter commiſceri videbatur, etiàm vigilando. Per hunc modum, Dæmon poteſt intentionem ad imaginem convertere, ſivè, fumos aliquos immittendo, ſpiritum animalem immutare, & phantaſmata diverſimodè variare, & intentioni offerre, & ſic diverſa homini facere apparere: & hoc modo utitur frequentiſsimè. Hujus ſignum eſt, quia facit hominem aliquid ſentire, cujus imaginem non habeat in interiori organo virtutis imaginariæ; nunquàm enim cæco naturaliter facit ſomniare de coloribus, nec ſurdos de ſonis, nec eis talia repræſentat in vigiliâ, vel in ſomnis.

Secundum modum poſſumus intelligere ſic. Quòd res alio modo, vel ſub aliâ diſpoſitione appareat ſenſui, quàm ſit naturaliter, propter variationem aliquam ex parte organi: ſicùt quandò humor ſanguineus, vel pavor igneus deſcendit ad oculos, videtur homini, quòd ea, quæ exteriùs ſunt, ſint rubea. Vel propter variationem aliquam ex parte objecti: ſicùt contingit aliquandò, quòd ex poſitione candelæ factæ de Serpentis pinguedine, & diſpoſitione palearum, videntur paleæ Serpentes eſſe, operatione naturali. Simile eſt in aliquibus virtutibus quarumdam rerum mineralium. Et quia iſte modus non latet Dæmones, & ſunt Miniſtri veloces, potentes, quæ neceſſaria ſunt ad hæc ſtatim afferre; ideò ſenſus noſtros frequenter deludunt, oſtendentes rem aliter, quàm ſit, dùm eam faciunt aliter, quàm ſe habet, apparere. Quòd quidem fit per variationem modicam, inducendo eam circa organum, vel objectum: quæ quidèm variatio non mutat formam, ſed ſolùm eſt ex quâ-

dam

dam accidentali adhærentiâ, & eſt ut paſſio, non paſſibilis qualitas.

Tertium modum ſic poſſumus intelligere. Res ſiquidèm, quæ præſtò eſt ad ſenſum noſtrum, ſinè viſibili obſtaculo poteſt dupliciter latere. Aut quiâ impeditur virtus ſenſus, nè perveniat ad ſenſibile. Aut quiâ impeditur ſpecies ſenſibilis, nè perveniat ad ſenſum. Et utroque modo impeditur ſenſus, nè percipiat, quod ſibi eſt præſtò. Utrumque autèm horum ſatìs credendum eſt eſſe poſſibile virtuti Dæmonis; & idò dicitur, poſſe facere per hanc viam, ut hominem reddat inviſibilem. Quod tamèn certum non eſt; ſi tamèn eſt, hâc viâ poſſe fieri, non eſt malùm incredibile.

626. Ex hâc prolixâ doctrinâ Seraphici Doctoris inferunt Theologi, hasce illuſiones Mulieribus magìs quàm Viris, eſſe fræquentiores. Rationem dant philoſophicam; quiâ fœminæ ſunt naturæ humidioris, & viſcoſioris, quàm viri. Humidum namquè facilè commovetur; indè mulieres aptiores ſunt ad figuras, & impreſſiones ſuſcipiendas: citiùs imaginantur quod falſum eſt, & phantaſticum: judicant, ac etiàm jurant ſe videre, audire, tangere &c. quod reverà non vident, nèc audiunt, nèc tangunt; quiâ falſarum rerum imaginibus obſervantibus tenacitèr adhærent, & aſſentiuntur. Undè Eccleſ. [cap. 34. v. 6.] ait: *Sicut perturbationis cor tuum phantaſias patitur: nè dederis cor tuum in illis.* Tum quiâ, mulieres minùs prudentes ſunt; ideòque dum finguntur eis vanæ ſpecies, & illuſoriæ viſiones, ſortitudinem non habent, ſeu conſtantiam ad reſiſtendum, & reſpuendum eas. *Mulierem fortem quis inveniet?* [Prov. 31. v. 10.] Dæniquè mulieres magìs, quàm viri affectibus abundant. *Brevis omnis malitia ſuper malitiam Mulieris.* [Eccli. 25. v. 26.] Et [42. v. 14.] *Melior eſt iniquitas viri, quàm Mulier benefaciens.*

627. Si quis autèm ſcire fuſiùs cupit, quid ſit Mulier, adeat S. Ephrem [adverſùs Mulieres in principio] *Quid eſt Mulier? Naufragium ſuper terram, fons nequitiæ, theſaurus immunditiæ, & malitiæ. Quid eſt Mulier? Mortifera converſatio, atque confabulatio, oculorum pernicies, animarum exitium, cordis ſpiculum, juvenum perditio, ſceptrum inferni. Quid eſt Mulier? Cauſa Diaboli, requies Serpentis, Dæmonum conſolatio, dolor inconſolabilis, caminus ſuccenſus, malitia incurabilis, beſpitium laſciviarum, officina Dæmonum. Quid eſt Mulier? Amor flagitioſus, beſtia impudens, inconſtantiſſimus impetus, effrænatum os Avium arcanarum, triumphus tenebrarum, dux delictorum, oblectamentorum magiſtra, inſatiabilis concupiſcentia, æterni ſupplicii conciliatrix. Quid eſt Mulier? Prudentiæ terrena, viri ſecordia, concumbens inconſtantia, excitata cura, vipera veſtita, pugna voluntaria, quotidiana calamitas, procella domus, viri naufragium, immanis bellua, edulis rerum diverſarum, arma Diaboli, expetita rabies, exornata mors.*

Quùm igitùr mulieres facili negotio decipiuntur, Dæmon eas illudit per id, quod amant. Hinc putant violentèr opprimi à Dæmone incubo, qui reipsà aut morbus eſt naturalis, aut imaginarius; juxtà effatum Gerſonis (Alphab. 17.)

Digitized by Google

habet quælibet passio profundata, suam læsionem, suam ebrietatem, suum (ut loquitur Origenes) Dæmonium.

628. Sunt deniquè Succubi voluntarii, saltèm mulieres Succubæ, quidquid quamplurimi sentiant in contrarium. Ratio est, quià tota illa actio turpis non excedit potestatem naturalem Dæmonis; potest enim stropharum artifex assumere defunctorum corpora, vel de novo sibi ex aere, aliisque elementis ad carnis similitudinem palpabilia effingere, ac formare: eaque pro libito movere, ac calefacere; ut communitèr docent DD. Si ergò potest Dæmon artificiosè exhibere sexum, quem naturalitèr non habet, potest utique commiscerì viris specie fœminea, & fœminis specie virili: has subjicere, & illis se substernere. Potest enim Dæmon asserre verum semen decisum ab homine, & posteà imitari ejus emissionem naturalem. Usus autèm talis potentiæ est valdè conformis pravæ voluntati Dæmonis: & justè à Deo permittitur, si tamèn vir, aut mulier consentiat in scelus tam immane.

629. Dixi, *saltèm Mulieres Succubæ*; quià non pauci ex Theologis magni nominis opinantur, vitium contrà naturam, etiam Dæmonibus esse verecundum. Et videtur sentire Glossa Ord. supèr illud [Ezechiel. 16. v. 27.] *Dabo te in manus Philistinorum*, idèst Dæmonum, *qui etiàm erubescunt de via tuâ scelerata*; *nempè*, *de peccato contrà naturam*. Quod expressè docuit D. Antoninus [2. part. tit. de Luxuriâ cap. 4.] his verbis: *Quoàd secundùm, dicendum, quòd, quùm Diabolus inducit ad vitium contrà naturam, aufugit, propter nobilitatem suæ naturæ abominans tantum scelus.*

630. Duplici autèm modo Dæmon carnalitèr copulatur Succubis voluntariis: uno modo, quo conjungitur Maleficis, & Sagis: alio modo, quo commiscetur non Maleficis. Quoàd primum modum, Dæmon non copulatur Sagis, seù Maleficis, nisi præcedant intèr eòs multa, & varia, quæ vel recitare non lubet: & ultimò Succubæ sigillantur aliquo caractere, nunc vestigio leporis: nunc pedibus onis: nunc araneæ &c. Sigillum verò, quo talia signa imprimuntur, est unguis Diaboli: qui plerumque ea signat in mammis, aut locis muliebribus. Alio modo conjungitur Succubis, à quibus nec honorem, nec sacrificia, nec oblationes, nec maleficia &c. (quæ à Sagis, & Maleficis prætendit) recipit; sed ostendens deperditè amorem, nil aliud appetit, quàm carnalitèr commiscerì cùm illis: & obtento consensu, ipsis copulatur. Et hæc sunt communia apud Doctores.

An verò, omninò contradicente viro, aut muliere, Deus permittat Dæmoni vim inferre absolutam, & violentèr eis abuti ad libidinem explendam: seù, an dentur Succubi involuntarii, & vi præcisâ Dæmonis oppressi à resolvit

CON-

CONCLUSIO.

631. DEus non permittit, Dæmonem vim inferre hominibus, violenter ſubagitando eorum corpora: ita ut nolentes, & prorsùs repugnantes, patiantur actum venereum, ſeù concubitum Diabolicum.

Aſſertio debet eſſe communis apud omnes Theologos: & opinio contraria eſt, ut minimum, proxima erroribus Michaelis Molinos. Nèc uſquè adeò invenI Auctorem, qui contrarium ſentiat; (ſolo Laurentio Aponte excepto, quem impugnabimus infra) quinimò DD. omnes, quos præ manibus habui, oppoſitam opinionem reponunt inter propoſitiones damnatas. Ita Ludovicus Antonius de Noailles Epiſcopus Pariſienſis, & S. R. E. Cardinalis: Jacobus Benignus Boſſuet Antiſtes Meldenſis: Paulus Godet des Marais Præſul Cornotenſis: Franciſcus Palanco Epiſcopus Panamenſis, & Supremæ SS. Inquiſitionis Qualificator ex munere: Auguſtinus Matthæucci: Dominicus Ricci, & alii, qui calamum acuerunt contrà propoſitiones Molinos num. 41. & ſeqq. proſcriptas ab Innoc. XI. Verùm, priuſquàm deveniamus ad probandam noſtram poſitionem, lubeat aliquorum Sacræ Scripturæ Interpretum aperire mentem [in Tob. cap. 6.] de Aſmodæo adamante Saram; ut vulgò putabatur.

NICOLAUS SERARIUS.

„ NUllam pudicitiæ per „ ſeipſum vim afferre, „ neque ſubagitare ullius unquàm „ poteſt corpus, cujus obſcœnâ „ libidine, animum non priùs exa- „ minarit, ex eo vel tunc, vel „ certè aliquandò flagitioſi operis „ conſenſum non impetravit; quemadmodùm oſtendit Cæſarius [l. „ 3. cap. 11. 12. & 13.] Idque ita „ fieri Divinæ Bonitatis ratio poſtulat: ſi enim Deus permitteret, ut pro ſuâ libidine fœminis Dæmon abuteretur, eaſque „ nullo earum impetrato conſenſu iniret, quæ ulla uſquàm „ contrà malum hoc ſepta ſatis, „ & clauſa mulier? Quis ab impuriſſimo illo thoro non commacularetur? Quæ aut Conjux non „ violaretur? Non poeticas profectò, ſed veriſſimas, & quamplurimas omnis regio Danaas & Lædas experiretur. Quod ſi rarum; „ ex Caſſiano [collat. 8. cap. 19.] „ ut corpus alicujus divexent Dæmonia, niſi ejus primùm mentem expugnarint; quomodò unquàm fiet, ut libidinum ſordibus „ ullam inquinent, cujus non antè in animo pudicitiam conſpurcarint.

FABIANUS JUSTINIANUS.

„ LIcèt aliqui Dæmones „ Incubi, & Succubi „ nuncupati reperiantur, qui (te- „ ſte Auguſt., Hieronym., Iſidoro Authore Vitæ S. Bernardi, & „ ex modernis fuſiùs Serario, & Mar-

Digitized by Google

„ Martino Delrio) in corpore aſ-
„ ſumpto, cum hominibus turpitèr
„ congrediantur; læthifero tamèn
„ hi potiùs odio, quàm amore eos
„ perſequuntur; dum, ex turpi illo
„ congreſſu magis, ac magis eos
„ contaminare intendunt. Nequè
„ enim, teſte Cæſario [Dialog.
„ lib. 3. cap. 8., & 9.] & Cantipa-
„ trano [lib. 2. Apum. cap. 57.]
„ eorum inſidiari valent, aut vim
„ inferre pudicitiæ, quibus mens,
„ & corpus cum Sara eſt caſtum.

CORNELIUS A' LAPIDE.

„ DÆmones in corpore
„ aſſumpto excipere
„ ſemen alicujus viri, illudque in
„ fœminam infundere, ac per illud
„ prolem generare; utì ajunt, Mer-
„ linum, ac Arcturum eſſe proge-
„ nitos, aſſerunt D. Thom., Abul.,
„ Victoria, Molina, Cantipatr.,
„ Cæſar., Camperius, Hector,
„ Boethus, & alii, quos citat, &
„ ſequitur Serar. cap. 8. q. 4. Audi
„ S. Auguſtinum [15. Civit. c. 23.]
Celeberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis, qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt; audiſſe affirmant, Sylvanos, & Faunos, quos vulgò Incubos vocant, improbos extitiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe, ac peregiſſe concubitum: & quoſdam Dæmones, quos Duſios Galli nuncupant, hanc aſſiduè immunditiam & tentare, & efficere: plures, taleſque aſſeverant, ut hoc negare impudentia videatur. Audi & exemplum, quod refert Auctor Vitæ S. Bernardi [lib. 2. v. 6.] *Mulier quædam, in regione Nanneti, à quodam petulante Dæmone, ſex annis, habito ejus conſenſu, incredibili libidine vexata eſt. Apparuerat ei in ſpecie pulchri militis, & ſæpè abutebatur eâ inviſibiliter, merito ejus in eodem lecto cubante laſcivus ille ſpiritus. Quæ anno ſeptimo, timore correpta, veniente in prædictam Civitatem S. Bernardo Claravallis Abbate, miſera mulier ad pedes ejus corruit, paſſionem horribilem, & ludificationem Diabolicam, multis cum lachrymis confeſſa, ſuccurri ſibi flagitavit: à quo conſolata, ut quid facere deberet edocta, poſt confeſſionem Diabolus ad illam accedere non potuit.*

„ Verùm, Dæmon propriè non
„ amat fœminas libidinis ſuæ cau-
„ ſa, quùm carne careat; ideòque
„ nullum habeat libidinis ſenſum;
„ ſed amorem ſimulat, ut fœminas
„ in ſui amorem, & peccatum in-
„ fandum polliceat. Porrò non eſt
„ veriſimile, Aſmodæum hìc fuiſſe
„ amaſium, & incubum Saræ; tum
„ quià ſciebat illam eſſe caſtiſſi-
„ mam, ideoque ei generosè reſti-
„ turam. Quarè Tobias dicens,
„ Aſmodæum amare Saram, id di-
„ xit, non ex ſuo, ſed ex vulgi ſen-
„ ſu, & fama.

TIRINUS.

„ FAlſiſſimum eſt, Dæmo-
„ nem, humani generis
„ capitalem hoſtem, adamaſſe Sa-
„ ram; quùm, nequè animo tam
„ caſto delectaretur: nequè ſancta
„ ejus opera, verba, cogitata ei

Digitized by Google

„ placerent: neque ex corpore illius quidquam ipſe voluptatis „ haurire poſſit. Nam, etſi negare „ nolim, Dæmones cum aliquibus „ fœminis Incubi vice nonnĩquàm „ fungi; nunquàm tamèn conceſſerim, verum iſtic amorem intercedere, aut Dæmoni voluptatem „ adferre: quin potiùs odii læthiferi, & tormenti genus id eſſe „ crediderim. Ergà verò Saram, „ tam caſtam, tam piam, nihil etiam „ ejuſmodi licuit Dæmoni, qui pudicitiæ per ſeipſum tali modo „ vim afferre, aut corpus alicujus „ ſubagitare nunquàm poteſt, cujus non priùs animum obſcœna „ libidine contaminarit, ex eoque, „ vel tunc, vel ante, flagitioſi operis conſenſum non impetrarit. „ Sic enim exigit ratio Divinæ „ Bonitatis, Providentiæ.

AUGUSTINUS CALMET.

„ SI ad rectum examen „ eæ omnes vocarentur „ hiſtoriæ, quæ Dæmonum, impudentiſſimos per ſomnium, cum „ viris, ac mulieribus concubitus „ referunt, inveniretur ſanè hic „ effectus fuiſſe potiùs inconditæ, „ & inordinatæ eorum virorum, „ mulierumque imaginationis, atque illuſionis Dæmonis, quàm „ Dæmonis ulla ſenſibilis, corporea, & realis operatio. Itaque „ nullatenùs probari poteſt, Aſmodæum Saræ amore flagraſſe. „ Græcus textus narrat ſimpliciter, quæ adoleſcentis Tobiæ, „ juxtà vulgi præjudicia, eſſet „ opinio; quin tamèn eam probet, noſque eam credendam velit obtrudere.

Iſtis Expoſitoribus adſtipulantur Celada, Menochius, & alii, quos perlegimus. Jam ad probationes

EX S. SCRIPTURA.

SAPIENTIÆ 3.

JUſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum malitiæ.

Hunc locum expendens Ropertus Holket, ait: „ Juſtorum „ animæ, nèc in vitâ, nèc in morte ſunt in manu Diaboli, ſed tantùm Dei. Undè Job [2. v. 6.] „ *dixit Dominus ad Satan: Ecce „ in manu tuâ eſt; verumtamèn „ animam illius ſerva.* Gloſs. *In „ ipsâ juſtitiâ permiſſionis miſcetur quædam libra pietatis; quid „ ſi totum deſerretur, homo quid „ eſſet? Serva, inquit, non quod „ *ipſe ſervet, ſed nè audeat irrumpere, nè tentando ſuperet....*

„ Notandum, quòd animæ Juſtorum in præſenti, in manu Dei „ multiplicitèr ſunt. 1. *In manu „ Dei ſupportantis.* Nutrix enim, „ puerum incipientem incedere, „ continet intèr manus, & ex el „ parte, qui cadere credit, ſupportat, manum ſupponendo, nè „ cadens lædatur. Oſeæ [11. v. 3.] „ *Ego quaſi Nutritius Ephraim, „ portabam eos in brachiis meis.* „ 2. Sunt Juſtorum animæ *in manu „ Dei conſervantis.* Undè illud, quòd

Digitized by Google

„ quòd homo continuò in manu „ tenet, illud benè conservat. Isa. „ [49. v. 15.] *Nunquid oblivisci* „ *potest mulier infantem suum, ut* „ *non misereatur filio uteri sui?* „ *& si illa oblita fuerit, ego tamèn* „ *non oblivisear tui. Ecce in ma-* „ *nibus meis descripsi te.*

Sed audiamus expositionem D. Chrysostomi [in fine tom. 1.] *Justorum animæ in manu Dei sunt &c. In tuâ pugnâ Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus prælialur, & victoria tibi adscribitur. Certamen tuum, Dei certamen est: prælium tuum, Christi est prælium. Quid trepidas, quid formidas, quasi tuâ virtute devincas? prende arma, procede in bellum, fortitèr dimica; ut dimicanti adsit ille, qui vinci non novit.*

PSALM. 143. v. 15.

NOlite tangere Christos meos, & supèr Prophetas meos nolite malignari.

ZACHARIÆ 2. v. 8. & 9.

QUi enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Quiâ ecce ego leva manum meam super eos.

JOAN. 5. v. 18.

MAlignus non tanget eum.

632. Nil delicatiùs, nil chariùs, nil pupilla oculi pretiosiùs; ac proindè nihil majori custoditur curâ. Siquidèm, læsâ pupillâ, excœcatur oculus, qui est lumen vitæ, dux vitæ, & actionis hominis; undè homo oculis orbatus, miserrimam in tenebris agit vitam, estque velut mortuus. Indè pupilla hebraicè vocatur *Bath*; idèst, Filia, eò quòd pretiosa, chara, jucunda cordi sit, & tueatur quasi filia unica; etenim in pupillâ est humana effigies, putà filiæ, aut filii.

633. Verùm enim verò, si allegoricè loqui velimus, pudicitiam esse verè pupillam tum sponsi, tum sponsæ, quis ignorat? Certè maritus pluris æstimat uxoris pudicitiam, quàm millia auri talenta. Hinc Plutarchus ait: *Speculum bonum censemus, non quod auro, & gemmis vestitum, sed quod purum, tersum, pellucidum, nihil habens depressi, vel prominentis: sic paritèr Uxor non auro dives, sed continens, casta, censenda est optima.* Et Ecclesiast. [26. v. 20.] *Omnis autèm ponderatio non est digna continentis animæ.* Quapropter D. August. [serm. 19. ad fratres in eremo] Castitatem ita describit: *Castitas est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, solamen mœrentium, augmentum pulchritudinis, decus religionis sanctæ, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, Dei amica, Angelorum cognata, Patriarcharum vita, Prophætarum corona, Apostolorum cingulum, Martyrum auxilium, Con-*

Digitized by Google

fessorum vehiculum, Virginum speculum, Viduarum refugium, cunctorum bonorum gaudium, & solamen.

634. Porrò hæc intelligi debent, non tantùm de Castitate mentis, sed etiàm de integritate corporis. Nam, pro tuendâ pudicitiâ corporali, à Mundi incunabilis bella fuerunt, adhuc sunt, & ad finem usque sempèr erunt sanguinea. Quis unquàm pacificè toleravit, aut matrem, aut filiam, aut sororem, aut sponsam vim pati ab aliquo, violentèr opprimi, & carnalitèr cognosci? Nemo cordatus; sed quicumque sit ille, corde, ore clamat, & opere: pereant omnia, ipsa quoque vita, nè pereat honor.

Quid ergò Dominus noster, qui Pater, Frater, Sponsus est Zelotes animæ nostræ, indicare voluit, quùm prohibuerit: *Nolite tangere Christos meos*? Quid intellexerit, quùm dixerit: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*? Quænam ejus promissio: *Malignus non tanget eum*? Attendamus.

635. *Tangere* hìc idem est, ac *lædere*; ut in hoc loco ex D. Hieronymo advertit Ribera. At si benè premamus verba illa Joann: *Malignus non tanget eum*, non habent sensum absolutè, & universalitèr verum, si intelliguntur de vexationibus, quibus Malignus, scilicèt Diabolus, tangit, seu torquet Justos in bonis fortunæ, & ipsius vitæ; proùt omnibus patet ex historiâ Job. Nec intelligi possunt de tactu læsivo morali, seù animæ; etenìm certum est ex fide, Diabolum non posse tangere, vel minimum lædere hominis animam. Dum igitùr Deus protestatur: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*. Dum prohibet: *Nolite tangere Christos meos*. Dum promittit: *Malignus non tanget eum*; alia non remanet explicatio, quàm ista, nempè: Quùm Deus permittit unicuique justorum, *Malignus*, idèst Diabolus, *non tanget eum*; nil aliud spondet, quàm se non permissurum, Dæmonem Incubum vi opprimere, violentèr invadere, & sic carnalitèr cognoscere mulierem, aut virum. Undè Lyranus ità exponit relata verba Zachariæ: *Idest, solicitè vos custodiam, sicùt custoditur pupilla. Licèt enìm Christus permiserit, fideles corporalitèr perturbari; tamèn custodivit eos solicitè in spiritualibus; ideò subditur: Quia ecce ego levo manum meam, idest, virtutem super eos.* Et Eminentissimus Hugo in ea verba Joan. *Non tanget eum. Quià nulla est eorum commixtio; sicùt lux, & tenebræ non possunt esse simul. Unde* Glos. *Quemodò dies, & nox miscerì non possunt; sic justitia, & iniquitas; Malignus, & generatio Dei.*

636. Profectò, Mulier (idem dicas de Viro) ex vulgari, & usitato vocabulo, dicitur *Intacta*, quùm ab aliquo non fuerit corporalitèr corrupta: & è contrà, dicitur *Tacta*, quùm ab aliquo fuerit carnalitèr cognita. In quo etiam sensu loquitur Apostolus [1. ad Corinth. 7. v. 1.] *Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat.* Ut igitùr adimpleatur Dei promissio: *Malignus non tanget eum*, sentire debemus, quòd Diabolus nunquàm potestatem accipiet, se miscerì carnalitèr cum Justis invitis, & omninò renuentibus. *Hic est tertius fructus vivæ fidei, & gratiæ* (inquit hìc Tirinus) *scili-*

licèt, præservatio á peccato, saltèm graviori, & mortali: & consequentèr (N.B.) *à vi, & potestate Maligni, idèst, Diaboli. Quid generatio Dei, idèst, nativitas nova ex Deo* (*metonymia generatio, pro gratiâ regenerante*) *quâ sit Filius Dei, conservat, & præservat eum. Quomodò Christus Diabolum exarmaverit, & exenervaverit? Vide Cassianum.*

2. AD CORINTH. Cap. 6. v. 14. & seqq.

QUæ enìm participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autèm conventio Christi ad Belial? Aut, quæ pars fideli cum infideli? Quis autèm consensus templo Dei cum Idolis? Vos enìm estis Templum Dei vivi, sicùt dicit Deus: quoniàm inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum nè tetigeritis. Et ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus Omnipotens.

Fingamus casum, quòd eodem tempore, quo Apostolus hæc relata scripsit verba ad Corinthios, horum Virgines pudicæ (idem dicas de viris castis) fuissent violentèr cognitæ à Dæmonibus, minimè obstante earum omnimodâ resistentiâ. Quid, oro, in tali casu Corinthii respondissent Apostolo? Planè iisdem verbis Apostoli: Tu dicis, quòd sumus *Templum Dei vivi*: & nos fatemur usquè ad sanguinis effusionem. Ut simus *Templum Dei vivi*, subdis, quòd *nulla esse debet participatio justitiæ cum iniquitate: nulla societas luci ad tenebras: nulla conventio Christi ad Belial: nulla pars fideli cum infideli: nullus consensus Templo Dei cum Idolis.* Et ritè loqueris; hæc enìm sibi invicem adversantur, nec possunt stare simul. Verùm, nostræ Virgines nullam admittunt iniquitatem, odio habent tenebras, contemnunt Belial, seu Diabolum, fugiunt Infideles, solum Deum verum colunt, nec tangunt immundum; ideoque nil ipsis deest, quin dicantur, & sint *Templum Dei vivi*. Quomodò ergò Deus permittit, Templum istud suum violari à Dæmonibus, violentèr tangi, imò & carnalitèr cognosci? *Templum* (ait Varrò) dicitur á *Tuendo*. Igitùr si Deus intuetur, & tuetur Templum istud, cur finit introire in illud Spiritum immundum? Diabolus est perversa iniquitas; Deus autèm est summa Justitia; *quæ autem participatio justitiæ cum iniquitate?* Rursùs, Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ [1. Joann. 1. v. 5.] Dæmones verò sunt *Rectores tenebrarum.* [ad Ephes. 6. v. 12.] *Sed quæ societas luci ad tenebras?* Deus iis, qui sunt Templum ipsius, promittit: *Inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Quasi dicat: Ego ipse in hoc Templo præsens ero, & tantam curam geram, ac si inter vos corporalitèr ambularem, ut nullus detur hostibus locus; quùm, circumquâque vos protegens, inambulem. At quænam isthæc promissio, si jam permittit, hostes tartareos,

Digitized by Google

reos, nedum oppugnare noſtras Virgines, ſed etiam expugnare, opprimere, ſubagitare, vi carnalitèr cognoſcere? Virgines Corinthiæ ſunt Sponſæ Chriſti; *quæ autem conventio Chriſti ad Belial*? Virgines noſtræ non tangunt immundum; quo igitùr pacto Deus patitur, non ſolùm ut tangantur à Spiritu fornicationis, ſed & ut miſceantur cum eo? *Ab immundo quid mundabitur*? [Eccli. 34. v. 4.]

Nomine Apoſtoli reſpondent Pſeudo-Myſtici: Templum, de quo loquitur D. Paulus, eſt myſticum, ac ſpirituale, nec violatur niſi maculâ voluntariâ. Verùm, in caſu propoſito, quiâ ex parte Virginum nullus adeſſet conſenſus, imò abſolutus foret diſſenſus, contradictio, & repugnantia; ideò *nulla eſſet participatio juſtitiæ cum iniquitate: nulla ſocietas luci ad tenebras &c.* Nec dicerentur tangere immundum, ſed tantùm violentèr tangi ab Immundo; quamobrem, minimè obſtante Dæmonum commercio carnali, adhuc Deus inhabitaret in illis &c.

Id nituntur firmare ex Doctore Angelico, qui [in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. ad 4.] inquit: *Si aliqua per violentiam oppreſſa fuerit, non amittit per hoc laureolam; dummodò propoſitum perpetuò Virginitatem ſervandi inviolabilitèr ſervet, ſi illi actui nullo modo eſt conſentiens, non tamèn per hoc Virginitatem perdit. Et hoc dico, ſivè pro fide, ſivè pro quâcumque alia causâ violentèr corrumpatur: ſed ſi hoc pro fide ſuſtineat, hoc erit meritorium, & ad genus Martyrii pertinebit. Undè Lucia dixit: Si me invitam violari feceris, mihi Caſtitas duplicabitur ad coronam: non quòd habeat duas Virginitatis laureolas, ſed quiâ duplex præmium reportabit, unum pro Virginitate cuſtoditâ, aliud pro injuriâ, quam paſſa eſt.* Et [in 4. diſt. 33. q. 3. art. 1. ad 7.] clarius ad rem noſtram. *Illud, cujus principium totalitèr eſt extrà, non eſt ordinabile à ratione; & ideò eâdem ratione, nec illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, ſivè ab homine, ſivè à Dæmone Incubo, Virginitatem amittunt, ſi quantum poſſunt renitantur, ut conſervent corpus à corruptione immuni: vel ſaltèm mentem contrariam conſenſui.* Quod replicat [in 4. diſt. 38. q. 1. art. 5. ad 4.] Eadem habet D. Auguſt. [lib. 1. de Civit. cap. 16.]

637. Aſt bone Deus! Non diſputamus, an dato caſu violentiæ Dæmonis &c. Mulier patiens invitè, Virginitatem mentis amitteret, maculam contraheret, nec eſſet ampliùs Templum Dei; *ſcimus* enim ex Theologiâ, quòd non eſt peccatum, ubi non adeſt conſenſus: nèc ignoramus, violentiam abſolutam excludere conſenſum. Non diſputamus, inquam, dato caſu; ſed negamus dari poſſe caſum iſtum violentiæ *illatæ* à Dæmone ad concubitum &c. Profectò, ſi Deus permitteret, mulierem vi ſubagitari à Dæmone, legitima eſſet conſequentia, quòd duplex eſſet meritum, unum pro Virginitate cuſtoditâ, aliud pro injuriâ violentèr paſsâ; juxtà phraſim D. Thom. At caſus non eſt permiſibilis; quiá non decet Dei Bonitatem, Providentiam &c. Obſtant Divina Oracula, PP. teſtimonia, rationum monumenta: quam plurima ſequerentur abſurda &c. proùt hactenùs probavimus.

Nèc Angelicus Præceptor eſt no-

Digitized by Google

nobis contrarius; imò noſtram tuetur ſententiam; ut ipſummet pluriès allegavimus. Quùm igitùr S. Doctor dixerit: *Illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, ſive ab homine, ſive á Dæmone incubo, non amittunt Virginitatem &c.* Loquutus fuit hypotheticè: eo modo, quo ait de Trajano ſuſcitaturo de Inferno poſt trecentos annos precibus B. Greg. Ità Thomiſtæ explicant D. Thom. [1. diſt. 43. q. 2. 2. ad 5. & diſt. 45. q. 2. art. 2. q. 2. art. 2. q. 1. ad 5. & de Verit. q. 6. 6. ad 7.] Cæterùm ipſa verba S. Præceptoris confirmant noſtram ſententiam, ſi integrè afferantur, ac benè, & ritè perpendantur; ait enim: *Illæ, quæ per violentiam corrumpuntur, ſi nullo modo conſentiant* (En hypotheſis) *Virginitatis gloriam quoàd Deum non perdunt. Sed quià valdè eſt difficile* (en impoſſibilitas moralis) *quòd in tali delectatione aliquis placentiæ motus non inſurgat; ideò Eccleſia, quæ de interioribus judicare non poteſt; quùm exteriùs corrupta ſit, eam inter Virgines non velat.* Et [citat. diſt. 33. q. 3. art. 1. ad 7.] de patiente vim, & oppreſſionem ab Homine, ſeu à Dæmone Incubo, concludit: *Difficillimum eſt tali delectationi diſſentire in ſtatu illo; & ideò præſumptio videtur eſſe, quòd conſenſerit.*

Si ergò ex Doctore Angelico, eſt moralitèr impoſſibile, nullum in caſu propoſito adeſſe conſenſum: nè dicamus, hominem neceſſitari moralitèr ad conſentiendum immunditiæ, putare debemus caſum fore methaphyſicum. Nec credere fas eſt, quod non decet Dei Bonitatem, ejuſque ſuaviſſimam Providentiam, nempè, hominem ſic in arcto conſtituere, ut nolens neceſſariò ſentiat delectationem carnalem naturalem, & impotens ſit, (impotentiâ morali) ad non conſentiendum in eam.

638. Prætereà, Eccleſia Catholica privat Virginum velo vi oppreſſas, & violentèr corruptas; proùt in eodem loco ſubdit D. Thomas, & eſt praxis Eccleſiæ; juxtà ſanctionem D. Leonis Papæ: *Illæ famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppreſſione barbaricâ perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate, & verecundiâ, ſi ſe incontaminatis non audeant copulare Virginibus.* Et rationem dat: *Quid difficillimũ eſt tali delectationi diſſentire in ſtatu illo; & ideò præſumptio videtur eſſe quòd conſenſerint.* Ergò Sancta Eccleſia eſt certa, certitudine morali, de conſenſu præſtito delectationi ab iis mulieribus, quæ ab Homine, vèl á Dæmone Incubo carnalitèr, quamvis violentèr, corrumpuntur. Nam, ſi imponeret pœnam certam, & quidèm Virginibus graviſſimam, qualis eſt privatio Veli, pro delicto incerto; non diceretur Mater Sancta, juſta, & pia; proùt dicitur, & reipsâ eſt. Quùm igitur Sancta Eccleſia judicet, eſſe moralitèr certum, mulierem vi oppreſſam ab Homine, aut á Dæmone Incubo, conſenſiſſe delectationi venereæ; conſequentèr opinio docens oppoſitum, idèſt, quòd mulier, patiens hujuſmodi violentiam, non conſenſerit delectationi carnali, nullam habet prudentem probabilitatem. Siquidèm ex Carolo Antonio Caſnedi [Criſ. Theol. tom. 3. diſp. 28. n. 7.] & ex aliis communitèr, *Certitudo moralis eſt illa, quæ non tantùm nititur gravi fundamento; ſed quæ nullum certò probabile fundamentum contrà*

Digitized by Google

trà ſe habet. Itàque tantùm abeſt, quòd D. Thomas noſtram impugnet ſententiam, quin potiùs eam doceat.

Deniquè, ad auctoritatem Divi Auguſtini, reſpondet auctoritas ejuſdem S. Præceptoris [in Pſalm. 31. enarrat. 2. v. 8.] *Dæmones præmunt nos, ſed non opprimunt: urgent nos, ſed non demergunt*. Reſpondent aliæ auctoritates ejuſdem Magni Doctoris hactenùs relatæ in omni Sectione hujus opuſculi, aliæque innumeræ, quas omnes allegare operoſum eſſet, ni dicam, impoſſibile. Loquitur ergò ibi Sanctus Antiſtes Hypponenſis de violentiâ abſolutâ, & vi illatâ ab Hominibus, non autèm à Dæmonibus. Sed magna intercedit differentia intèr hanc, & illam. Videantur quæ diximus ſuprà, ne iteremus jam dicta.

ECCLESIASTICI 33. v. 1.

TImenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis.

Gloſs. *Novit Deus pios de tentatione eripere, & liberabit á ſubjectione Diaboli.*

Hugo Cardinalis *Primò docet, quæ conſervant hominem in tentationibus, ſcilicèt Timor, & Sapientia. Secundò oſtendit, quæ dejiciunt ipſum, ſcilicèt, levitas, & fatuitas. Tertiò monet omnes, nulli alii dare ſuper ſe poteſtatem. Dicit ergò (Timenti Dominum) filialitèr, (non occurrent mala).* Job. 5. 19. [*In ſex tentationibus liberabit te, & in ſeptimá non tanget te malum*] *Sed in tentatione, tam interiori* (N. B.) *quàm exteriori* (*Deus illum conſervabit*). 1. Cor. 10. (*Fidelis eſt Deus, qui non permittet vos tentari ſuprà id, quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione proventum.*)

Rabanus: *Certum eſt, quòd in tentatione Deus illum conſervabit; quiá juxtà B. Petri ſententiam* [*Epiſt. 2. cap. 2.*] *Novit Deus, pios de tentatione eripere. Liberabit enim Dominus electos ſuos à malis; quiá defendit eos à malignorum ſpirituum ſuggeſtionibus nefandis.* Si à ſuggeſtionibus nefandis, multò magìs ab operibus nefandis.

Cornel. à Lapide. „ *Timenti Dominum non occurrent mala* vera, & perfecta, quæ, ſcilicèt, timentem Deum ſibi ſubigant. To enìm *mala*, ex phraſi Hebræa ſumitur hìc in actu, non inchoato, ſed perfecto. *Sed in tentatione, & luctâ eripiet eum*; quiá Deus luctantem, & reſiſtentem generosè tentationi, ex illâ eripit; non verò eum, qui illi cedit, & ſuccumbit. Undè illud: *Totum adjuvat conatum, Tonans conantem.*

639. Timenti igitur Deum multa in dies occurrunt mala inchoata, ſeu tentationes plurimæ, tum Mundi, tum Carnis, tum Dæmonis; nullum tamèn ei occurrit malum perfectum, & conſummatum à tentationibus intentum. Quandòquidèm, quælibet tentatio, quantumvìs vehemens, & violenta: & à quocumque cauſata, etiàm à Dæmone, non poteſt eſſe conſummativa operis mali, ſed tantummodò inchoativa; ut benè advertit Joſeph Lopez Ezquerra, egre-

Digitized by Google

egregius Mysticæ Magister [in Lucerna Mystica [tract. 6. c. 3. n. 29.] Potest planè Dæmon, vèl interiùs suggerendo, vel exteriùs apparendo, & loquendo, allicere mulierem, aut virum, imò & impellere ad secum coeundum; sed compellere, & vi præcisâ subagitare nequit. Undè D. Bernard. [in Cant. serm. 85.] ait: *Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis,* (N. B.) *nulla fraus, nulla jam illecebra poterit, vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem.* Et D. Macharius [homil. 43. in Luc. 22.] *Velut sarmenta in ignem projecta facultati ignis resistere nequeunt, sed statim exuruntur: ita Dæmones, qui bellum inferre volunt homini Spiritum Sanctum adepto, uruntur, & absumuntur ab igne Divinæ potentiæ: modò homo semper Domino adhæreat, fiduciam, & spem habens in eum.*

ISAIÆ 51. v. 23.

DIxerunt animæ tuæ: incurvare ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

640. Potuit hostis antiquus vexare, & incurvare corporalitèr mulierem illam à Luca relatam [cap. 13. v. 11.] ipsâ omninò invitâ; nequit tamèn incurvare spiritualitèr virum, aut mulierem prorsùs renitentem, ut Malignus transeat ad fœdandum ejus pudicitiæ claustrum; ideòque hanc petunt incurvationem, quam violentèr causare non permittuntur à Deo. *Dixerunt animæ tuæ: incurvare, ut transeamus.* Non Dæmones, sed Tu *posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.* Quem locum exponens D. Hieronymus ait: *Adnotandum est, quòd non eam incurvaverint, nec vim fecerint, ut priùs erecta inclinaretur in terram, sed proprio arbitrio dereliquerint. Illa autèm voluntate suâ posuit cervices, vel dorsum, sivè totum corpus suum* (N. B.) *non intùs, sed foris iis, qui eam conculcaverint.* Et Magnus Gregor. [homil. 31. in Evangel.] *Transire Malignorum Spirituum, est, immunda illi desideria spargere. Dicunt ergò: incurvare, ut transeamus; quià si ipsa se ad ima appetenda non dejicit, contrà hanc illorum perversitas nullatenùs convalescit: & transire per eam nequeunt, quam contrà se rigidam in superná intentione pertimescunt.* Paucioribus verbis, sed appositè Hugo Cardinal. [hìc] *Posuisti ut terram corpus tuum; ideòst, eis te subjeciisti, quasi scortatrix Dæmonum, & meretrix eorum. Quid clariùs?*

EX SS. PATRIBUS.

DIvus Augustin. [lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 10.] *Verbum Dei, Unigenitus Dei Filius, Diabolum semper sub legibus suis habuit, & habebit: homine indutus, etiàm hominem subjugavit.*

Idem [lib. 10. de Civit. c. 22.] *Diabolus, non aliquem vincit, aut subjugat, nisi societate peccati.*

Idem [in Psalm. 31.] *Intendat charitas vestra, nè fortè dicatis: hæc mihi Diabolus fecit.*

Digitized by Google

S. Irenæus (lib. 5. cap. 24.) *Omnium artifex Verbum Dei, per hominem vincens Diabolum, & Apostatam ostendens: è contrario subjecit eum homini: Ecce, dicens* (Lucæ 10.) *do vobis potestatem calcandi super Serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici; ut quemadmodum dominatus est homini per Apostasiam; sic iterùm, per hominem recurrentem ad Deum, evacuetur Apostasia ejus.*

D. Bernardus (ad Falconem epist. 2.) *Quidnam Diabolus fecit? Numquid te rapuit? numquid vim intulit? rogavit, non ligavit: blandiendo attraxit, non violenter traxit.*

S. Hieronymus (in Epist. ad Ephes. 4. v. 27.) *Huic, quod nunc præcipit: Neque locum detis Diabolo, illud de Ecclesiastico* (10.) *comparatur. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dederis ei. Ille superbus, & temerarius vult ascendere, vult subire; sed etiam, si te oppressum putaverit, & te extulerit, tu ne dederis locum. Potestas quippe Diaboli, non in temeritate illius, sed in tuâ est voluntate.*

S. Antonius Abbas (apud Divum Athanasium.) *Novit terrerrimus Coluber ex præcepto Domini, sub Justorum se subjacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super Serpentes, et Scorpiones, & super omnem virtutem inimici... Si alacres fuerimus Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit: si semper omnia manibus Dei committemus, nullus Dæmonum ad expugnandum valebit accedere; magis enim, quàm munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur.*

EX SACRIS EXPOSITORIBUS.

PIneda in Job [5. v. 20.] in verba illa: *Eruet te* (Deus) *in bello de manu gladii*, ait: „ Hæc item præclara, atque magnifica promissio est, ut omnium hostium conatus irriti fiant, „ & ab hostibus securus homo degat: quamvis illi multa molientur, quamvis propè jam accesserint.

Idem in Job [cap. 4. v. 21.] expendens illud: *Numquid ponces circulum in naribus ejus: aut armilla perforabis maxillam ejus?* Pergit: „ Si hæc ad Diabolum referas, videbis solum Deum illius „ nares configere, & furorem „ comprimere... Capistro præterea injecto, non potest liberè carpere, & depascere, quæ vult: „ freno coërcetur illius impetus. „ Denique, Christus *in cœno, & frœno illius maxillas constrinxit*, „ (N.B.) *ne approximaret ad nos.* „ [Psalm. 31. v. 9.] Atque illius „ insidias, & sagacitatem narium „ retundit, & in contrarium convertit; ut dici de ille posset, „ quod de superbissimo Rapsace „ scriptum est [Isa. 37. v. 29.] „ *Quum furores adversùm me, superbia tua ascendit in aures „ meas: ponam ergò circulum in „ naribus tuis, & frœnum in labiis „ tuis, & reducam te in viâ, per „ quam venisti.*

641. Joannes de la Haye in Apocalyp. [cap. 7. v. 4.] *Et audivi numerum signatorum &c.* sic exponit: „ Ecce ut hic numerus si-

„ gna-

Digitized by Google

„ gnatur ab Angelo, ut possit no-
„ civis resistere potestatibus. At
„ cap. 14. hujus libri dicitur, quòd
„ *Agnus staret supra montem Sion,*
„ *& cum eo centum quadraginta*
„ *quatuor millia: & audita est vox*
„ *de Cœlo, sicut Citharœdorum Cy-*
„ *tharizantium in Citharis suis.*
„ Ecce ut cum Agno repræsentan-
„ tur centum quadraginta quatuor
„ millia cytharizantium in cythe-
„ ris suis, quæ à Deo secura sunt
„ ab omni incursu malo, ut nullus
„ appareat, qui velit ea signare.
„ Et cur illis primis signum da-
„ tur, quo malum incursum ar-
„ ceant; iis autèm secundis nul-
„ lum tale signum exhibetur? Pri-
„ mi erant è populo Israelitâ, in
„ quo non vigebat integritas vir-
„ ginalis; & ideò indigebant signo,
„ quo malos Angelos fugarent. Se-
„ cundi & ii Citharœdi è novo te-
„ stamento erant, pertinentes ad
„ sequelam Agni, quibus familia-
„ ris erat integritas virginalis, quæ
„ ex se (N. B.) potens est abigere
„ mala. Ait Andreas Cæsariensis:
„ *Certè hæc millia novi testamenti*
„ *Virgines, secundum utrumque*
„ *hominem significant; nam, apud*
„ *veteres, Virginitatis decus parum*
„ *admodum receptum erat: quarè*
„ *hæc millia alia esse à prioribus*
„ *illis, quæ à duodecim Tribubus Is-*
„ *rael nominatim censebantur, pu-*
„ *tandum est. Siquidèm, iis Virgi-*
„ *nitatis nomen non tribuebatur;*
„ *horum autèm omnium frontes*
„ *Divini vultus lumine conspiciun-*
„ *tur: per quod Angelis exterми-*
„ *natoribus venerandi, & formi-*
„ *dabiles apparent.* Datur equi-
„ dèm Conjugatis signum, quo ma-
„ los Angelos arceant; quià illis
„ nomen Virginitatis non datur:
„ Virginibus autèm sufficit suæ
„ Virginitatis melodia, quâ bel-
„ lum Diabolo inferunt, & ab eo
„ victorias referunt. Quo spectans
„ Sponsus [Cant. 7.] ait: *Quid*
„ *videbis in Sulamite, nisi choros*
„ *castrorum?* De quibus ait Cardi-
„ nalis Alanus: *In Virgine fuerunt*
„ *chori canentium, quantùm ad*
„ *consonantiam virtutum: castra*
„ *verò pugnantium, secundùm*
„ *quòd Virgo circumsepta, & san-*
„ *ctis disciplinis instructa, vitio-*
„ *rum, & Dæmonum repellat in-*
„ *sultus.* Inveniuntur in Virgine
„ & chori, & castra; de Virgineâ
„ enim virtutis melodiâ illud in-
„ surgit, quod Dæmonibus bellum
„ inferat.

Titelmannus [in Psalm. 17. v. 37. & seqq.] *Qui docet manus meas ad prælium.* „ Ipse est, qui
„ me docet manibus præliari ad-
„ versùs hostes meos, quique in
„ præliando manus meas dirigit,
„ atquè confortat; ut me pugnan-
„ te, ipse magis, quàm ego, dicen-
„ dus sit pugnare. Sic enim illi est
„ placitum, ad faciendum contrà
„ inimicos nostros victoriam, no-
„ strarum manuum, nostrarumque
„ virium frequentèr uti minister-
„ rio, quo confusibilior fit hostium
„ prostratio ab imbecilli hominis
„ manu. *Et posuit ut arcum æreum*
„ *brachia mea.* Ipse, brachia mea
„ impugnando, facit quasi æreum
„ arcum, ad feriendum fortia, ad
„ læsionem suscipiendam dura, &
„ verberum ictibus non cedentia,
„ nullius potentiâ laboribus aut
„ frangi, aut fatigari. Id enim
„ præstat suis pugnatoribus Deus,
„ ut in pugnâ strenuè feriant Ad-
„ versarios; ab ipsis autèm læsio-
„ nem non suscipiant: facitque
„ eos

„ eos, nèc Adversariorum ictibus „ vulnerari, nèc frangi pugnæ molestiis. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos.* In tuâ hâc cònfortatione, non solùm „ non timebo inimicos meos, verùm etiàm persequi audebo, atquè etiàm oppugnare, & debellare eos; imò *& comprehendam illos*, atquè sub meâ redigam „ potestate devictos. *Et non convertar donec deficiant.* Et non „ cessabo ab eorum impugnatione, „ donèc illorum sentiam defecisse „ virtutem, & devictam esse, cóntritamque illorum potentiàm: „ donèc perfectam obtinuero victoriam, non remittam pugnam. *Confringam illos, nec poterunt stare.* Conteram tuo auxilio virtutem illorum, atquè in nihilum „ redigam: nèc poterunt consistere ante conspectum meum „ ad mihi resistendum; sed victi, „ confusique aufugient. *Cadent subtus pedes meos.* Et quemadmodùm ii, qui gladio cæduntur, „ vulnerati cadunt sub pedibus „ cædentium: ità cæsi, atquè prorsùs devicti, prosternentur ad pedes meos; in testimonium perfectæ victoriæ. *Et præcinxisti me virtute ad bellum.* Fortitudine præsentiæ tuæ armasti, atquè animasti me, & quasi accinctum, paratumque fecisti ad pugnam contrà inimicos meos. *Et „ supplantasti insurgentes in me „ subtus me.* Et eos, qui in me insurgebant: qui mihi bella movebant: qui mihi nocere quærebant, „ Tu, per auxilium tuum devicti, „ projecisti subtus pedes meos: „ dans mihi ita de eis perfectam „ victoriam, ut juxtà placitum „ eos calcarem, eosque, ut scabellum pedum, prorsùs nihil facerem. *Et inimicos meos dedisti „ mihi dorsum.* Et vertisti in fugam „ inimicos meos, ac fecisti eos præbere mihi dorsum, ad modum „ fugientium in prælio, qui desperatâ victoriâ, terga vertentes, „ insequentibus pugnatoribus dorsum præbent liberè cædendum: „ nequè ultrà de pugnãdo cogitãt, „ aut resistẽdo. *Et odientes me disperdidisti.* Et eos, qui me odiosè quærebant perdere, Tu per „ terrorem *potentiæ tuæ* dispersidisti, dissipasti, atque contrivisti; itaùt prorsùs prævalere in „ nullo potuerint.

Divina Oracula, SS. PP., & Expositorum testimonia usquadeò relata, sufficiunt ad ostendendam veritatem nostræ assertionis. Si autèm Pseudo-Mystici claudunt oculos, nè lumen videant, & nè corde intelligant, *Ipsi fuerunt rebelles lumini* (Job. 23. v. 13.). *Dixerunt Deo: Recede á nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (Job. 21. 14.).

NOSTRA SENTENTIA RATIONIBUS REDDITUR PERSPICUA.

642. I. POtest Dæmon, virtute suâ naturali, excipere aliundè semen virile, & callidè immittere in fœminam, istâ invitâ, imò & insciâ; & sic ipsam fœcundare. Deus autèm id unquàm permisit, nèc permittet. Ergò multò minùs Deus permitteret, Dæmonem Incubum violenter cognoscere fœminam, ipsâ omninò in-

invitâ. Aut, quoad primam partem est D. Thom. (Quodlib. 6. art. 18.) Abulens. (in cap. 6. Genes.) Martini Delrio (lib. 2. disquisit. magic. q. 15.) & aliorum communiter. Secunda pars patet percurrenti historias. Undè Joan. Martinon. (de Angelis disp. 47. Sect. 3., & 4. n. 28., & 19.) testatur. „ Puto id „ nunquàm contingere: nequè ul- „ lum ejus rei profertur exemplum „ fide dignum. Nequè enim de- „ cet, Divinam Providentiam id „ permittere, præsertim in fœ- „ minâ pudicâ. Quod confirmat Cardenas [dissert. 22. in propos. 34. & 35. damnatas ab Innoc. XI. cap. 6.] his verbis: „ Et quidem pos- „ sibile censeo, quòd Cacodæmon, „ si fiat Incubus (ultrà alios mo- „ dos, quibus idem disponere po- „ test) recipiat semen à Viro, & „ posteà factus Incubus immittat „ semen in uterum fœminæ: Sed „ non credo, Deum talia permis- „ surum, ut Virgini Deo devotæ „ sic illudat Satanas. Eadem ha- bet P. E. Sebastianus à S. Joachim (Colleg. Salmaticens. Carm. Theol. Moral. tom. 5. tract. 21. de Præcept. Decalog. cap. 11. punct. 1. §. 2. n. 185.) ubi loquens de accessu violento Dæmonis ad Virginem non sagam, sed pudicam, & sanctam, subdit: *Nec utique hoc Deum permisisse legimus.*

Accedunt rationes allatæ in Sect. præced. & absurda ibi relata, quæ æquè probant Anteced. hujus argumenti. Tùm quià, alia etiàm sequerentur inconvenientia, nempè, periclitaretur fama Virginis pudicæ, & sanctæ, si Deus permitteret Dæmoni immittere semen virile in illius uterum, ipsamque fœcundare. Quod non decet Dei Bonitatem, Providentiam &c. Tùm quià, si Deus id permitteret, nureret argumentum, quo Jesum Christum Dominum nostrum fuisse de Spiritu Sancto conceptum, & ex Virgine ortum duxisse, Messiam, & Deum comprobamus. Hinc August. Calmet (Dissert. de Anti-Christo art. 5.) acritèr invehit contrà eos, qui hanc Dæmoni tribuunt potestatem implendi fœminas.

Consequentia argumenti principalis sequitur à fortiori. Eædem namque rationes militant in utroque casu; eademque sequerentur absurda; imò & majora. Si enim, Deus permitteret, Dæmonem immittere semen in mulierem invitam, insciam, & dormientem, nullum in eâ callidâ actione esset periculum consensus ex parte mulieris: at si Dæmon violentèr aggrederetur fœminam vigilem, & sui compotem, incubaret &c. id evenire non posset sinè delectatione venereâ ipsius fœminæ: ex quâ delectatione, quæ naturalitèr insurgeret ex illo actu turpi, fœmina patiens necessitaretur, necessitate morali, ad consensum &c. ut arguebamus suprà.

II. Spectatâ virtute naturali Dæmonis, non minùs potest Malignus violentèr cubare cũ Fœminâ, aut Viro, nonnullis rementibus: quàm vim inferre absolutam Fœminæ simul & Viro, istum, & illam transferre in eumdem lectum, & nudum cum nudâ, volunt, nolint conjungere &c. Porrò, uterque casus non excedit facultatem naturalem Dæmonis: nec assignari potest ratio, cur possit unum, & non alterum. At quis Catholicorum ausus fuit asserere, Deum permisisse, aut permissurum casum secundum? Imò Do-

ctores Orthodoxi acuerunt calamum contrà Hæreticum Michaelē Molinos, qui fœdam illam protulit propositionem num. 42. intèr proscriptas ab Innoc. XI. *Potest dari casus, quòd hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicèt, maris, & fœminæ; & ex parte utriusque sequatur actus.*

643. Certè, si Deus permitteret primum casum, majora sequerentur absurda, quàm in secundo casu. Nam, si Deus permitteret Dæmonis vi præcisâ, copulare masculum, & fœminam; posset Pater, aut Filius, aut Frater, aut Sponsus &c. vindictam sumere de irruente violentèr in Filiam, Sororem, Sponsam &c. posset Judex diligentèr inquirere, an ex consensu utriusque, vel alterius? An vi absolutâ Dæmonis sequuta fuerit copula? Et ex præsumptionibus, indiciis, & conjecturis judicare, punire &c. At si Deus permitteret, Dæmonem vim inferre mulieri, aut viro, & violentèr, atquè clàm incubare &c. Quis posset impedire copulam? Quis ulcisci de hoste invisibili? Quis pœnas imponeret Spiritui fornicationis? Quæ, & quanta sint hujusmodi absurda, quicumque sanæ mentis dignoscit; Quietistis exceptis, *qui, quasi de industriâ, recesserunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere nolucrunt.* (Job. 34. v. 27.)

644. III. Ex confessione Succubarum patientium coactè (ut ajunt ipsæmet, sed fatuè) Dæmonis incubationem; Dæmon, nunquàm visibilis cæteris, sed vel invisibilitèr, vel tantummodò visibilis ipsis patientibus, incubat, & peragit opus nefandum. Quâ stante confessione, quæro à patientibus: Cur Dæmon Incubus se abscondit ab aliis? Cur soli patienti se visibilem in formâ juvenis pulcherrimi apparet, & se ostendit palpabilem &c.? Nullam invenio causam tantæ cautelæ; imò plures occurrunt rationes, quibus Malignus mallet palàm, & in omnium oculis patrare opus tam mortiferum. 1. Ut Spiritus superbus propriam jactaret potentiam: *Qui factus est, ut nullum timeret.* (Job. 41. v. 24.) 2. Si coràm aliis subagitaret fœminam in formâ juvenis, vehementèr accenderet (proùt Dæmon semper iniquè cupit) concupiscentiam adstantium ad illud facinus similitèr patrandum: & quidèm Viri, qui viderent copulam illam, de facili ipsi utiquè irruerent in eam fœminam: Mulieres quoque, quæ essent huic *spectaculo præsentes*, fortè vellent in eidem scenâ personam agere; vel facillimè polluerentur &c. 3. Dæmon cubando in aperto, tegeret malitiam earum, quæ voluntariè succumbunt; hoc enim modo, Succubæ tùm voluntariæ, tùm involuntariæ excusationem haberent de peccato suo: pœnas evaderent, quæ tanto sceleri deberentur: & magis, ac magis grassarentur in spurcitiis; proùt Spiritus immundus permaximè optat. 4. Deniquè, alia hostis tartareus augeret sibi lucra, & quæstus esset magnus, si omnibus in formâ visibili appareret, & manifestè aggrederetur fœminam, incubaret &c. Cur igitùr Diabolus se occultat ab aliorum luminibus, & solis patientibus se manifestat?

Respondent Pseudo-Mystici. Id evenit in occulto, quià tantùm, & non plùs Deus permittit. Etli

ite-

Digitized by Google

iterum instabimus: Cùr Deus tantum sinit, & non plùs? Respondent, ne illa sequantur inconvenientia à nobis mox relata.

Optima sanè, & catholica esset responsio, si adhiberetur in omnibus, sicuti in omnibus adhiberi debet. Nam, in casu ab ipsis somniato, quòd Dæmon soli patienti se visibilem, palpabilem, pulchrum &c. ostendit, & solus cum solâ violenter copulatur, ea sequerentur inconvenientia, quæ sæpiùs, & quasi in omni Sectione adduximus.

Nemo ergò, sub prætextu violentiæ absolutè illatæ á Dæmone, excusationem habet de peccato suo Dæmoniaco; ideò enim succumbit Diabolo, quià succumbere vult, vel expressè, vel interpretativè volendo, & consentiendo. Undè Brognoli in hâc materiâ peritissimus (in Manual. Exorcist. part. 3. cap. 4. c. 2. §. 2. n. 712.) advertit. „ Quùm „ Succubi Spiritui Incubo subjiciendi habitum fecerint, si non „ explicitum (ut sæpè evenit) saltèm implicitum assueti sunt „ præstare consensum: & adeò infirmati mente, & corpore sunt, „ ut vix unquàm confidentiæ actus, „ quæ ad liberationem necessaria „ est, elicere possint; imò in corde suo oppositum sentiunt.

645. Cujus ultima verba sunt valdè notanda. Nàm Exorcistæ imperiti, & opinantes, Deum permittere Dæmoni vi incubare &c. inquiunt, hujusmodi Incubos (quos Itali vocant *Folletti*, Hyspani *Duendes*, Galli *Folet*) nec Exorcismis obedire, nec ad exorcismos pavere, nec res sacras revereri; sicuti faciunt Dæmones, qui obsessos vexant; hi etenim rugiunt, stridunt, concutiuntur, timorem ostendunt &c. ad prolationem SS. Nominis Jesu, aut Mariæ, vel ad impositionem Sanctarum Reliquiarum, maximè Ligni S. Crucis &c. ac tandèm parent Exorcistis, & exeunt è corporibus. Folletti verò nil horum demonstrant, nec ab incubando cessant. In causâ est, quià Succubi, saltèm interpretativè consentiunt; & ex pravo habitu succumbendi, mente, & corpore infirmati, diffidunt, & desperant obtinere à Deo auxilium, & liberationem. Undè cuilibet miserrimo istorum optimè quadrant verba D. August. (serm. Domini in monte cap. 14.) *Patietur dirum, & perniciosum Dominum, quisquis servit Mammonæ; suâ enim cupiditate implicatus* subditur Diabolo, & non eum diligit. Quis enim est, qui diligat Diabolum? sed tamèn patitur.

SCRUTINIUM EXEMPLORUM IN CONTRARIUM.

EXEMPLUM I.

646. IN vitâ S. Cajetani Thienensis conscriptâ à P. D. Cajetano Maria Magenis (part. 1. lib. 1. cap. 6. §. 2. n. 39.) legimus: „ In Venezia successe l'altro prodigio, ma assai più stupendo, e di cui simile non si legge nelle vite di altri Santi. Una „ Vergine di nobil sangue teneva „ in sì gran pregio la sua Verginità, che più tosto di perderla, „ avrebbe patito ogni più atroce „ martirio. Non potendo soffrire „ il Demonio tanta virtù in una de-

„ delicata donzella, impiegò tutta l'arte della sua professione maligna per involarle quel gran tesoro; ma vedendo sempre ribattute le sue machine dalla costantissima Giovana, giacchè non poteva far violenza alla di lei mente incorrotta, rivoltò le forze contra del corpo: e dopo averla aspramente battuta (così permettendogli Iddio, per maggior merito della sua sposa fedele) le ruppe quel prezioso velo, in cui ravvolgesi la Verginità corporale, e che rotto una volta, non può più risarcirsi. Allora sì l'inconsolabile Verginella, benchè le restasse illesa l'integrità della mente, pianse a calde lagrime la perdita del bel fiore di sua Verginità, che tanto apprezzava. Avvicinandosi però la festa di S. Gaetano, di cui era molto divota, in lui ripose ogni sua speranza: e senz'altro pensare alla impossibilità del remedio, con santa semplicità instantemente lo priega a volerla consolare in quella a lei sì orribile disavventura. Quando giunte al sommo del fervore le sue suppliche, si vede presentarsele innanzi il Santo in aria di Maestà amabile, il quale guardandola con occhio cortese, se le accosta, e con un segno di Croce la benedice. Gran prodigio! nello stesso benedirla, se le chiudono quei chiostri verginali, che avevale aperti la forza Diabolica, e sentissi rinverdire il suo bel fiore di Verginità: con restare di più la di lei mente purgata da tutti quei sozzi fantasmi, che intromessi le aveva il Nemico. E' cosa veramente non mai più intesa, una Vergine violata ritornare ad esser Vergine. Del come ciò potesse farsi, lasciamone la cognizione a chi lo fece. Certo è, che *non est impossibile apud Deum omne verbum* (Luc. 1.) Tanto più, che questa Giovana mantenne sempre incorrotta l'integritá della mente, in cui (dicono i Teologi) consiste la vera virtù della Verginità formale: e quella sola materiale del corpo, che non è virtù, le venne rapita per violenza contro ogni suo volere. Ergò satis apparet, Deum permittere Dæmoni opprimere violentèr Virginem pudicam, & sanctam; minimè obstante istius omnimodâ contradictione.

Hâc historiâ Pseudo-Mystici ovantes feriunt aëra cantu; sed reverà aërem verberant. Et ut veritas *dignoscitur*, *aliqua* scire oportet, quæ fortè castas offendent aures; sed tacere non debemus, quæ necessaria sunt ad cognitionem veri. Hoc idem accidit Hostiensi, qui [in rubricâ de frigidis, & maleficiatis §. de impotentiâ num. 6.] coactus loqui de rebus, quas modestia refugit, ait: *Non turbetur; nam similia, & turpiora audiuntur, nec sunt ab animarum medicis ignoranda*. Hujusmodi incommodum, adhùc Theologis moralibus est commune.

647. Itaque sciendum, Virginitatem mulierum esse duplicem: materialem, scilicèt, seù corporalem: & mentalem, seù spiritualem. Rursùs Virginitas corporalis est duplex: una, quæ respicit simplicem pollutionem: alia, quæ considerat integritatem vasorum muliebrium: & de istâ loquimur.

648. Iterùm, hæc duplicitèr po-

Digitized by Google

potest accipi : nunc formalitèr, nunc materialitèr. Virginitas corporalis, formalitèr sumpta, definitur à Medicis [apud Paulum Zacchiam Quæst. Medico-legal. tom. 1. lib. 4. tit. 2. q. 1.] *Est qualitas quædam mulieris, à naturâ ex integritate muliebrium vasorum resultans, quandiù à maris conjunctione illibata servantur*. Dicitur, *quando à maris conjunctione illibata servantur*. Nam, estò vel ipsis manibus, vel alio quocunque instrumento claustra virginalia frangi, ac reserari possint ; ut notant Paræus, Condrouchius, Roderic., Castr., & alii apud præcitatum Zacchiam; tamèn, quamdiù Virgo à maris conjunctione ea illibata servabit, tandiù ipsam Virginitatem custodiet incorruptam. Et in hâc acceptione Virginitatis, non minùs dicitur Virgo, quæ disrupit sua claustra virginalia aliquo instrumento (excepto virili) quàm si pedem dirupisset, vel manum. Quamvis apud Deum, si id lascivіens præstitisset, Virginitatem mentalem illicò, & absque dubio amisisset; ut advertunt D. August. [lib. 1. de Civit. cap. 18.] D. Thom. [2. 2. q. 152. art. 1.]

649. Virginitas autèm corporalis, materialitèr capta, est: *Naturalis constitutio, & cohærentia vasorum muliebrium*; ex communi Physicorum; & sic accepta, facillimè amitti potest; nam, vel manibus, vel alio quocunque instrumento, vel etiàm morbo naturali, destructâ naturali constitutione, & cohærentia illarum partium, illicò dicetur destructa hujusmodi Virginitas.

650. Nullæ verò dantur certæ, & infallibiles notæ Virginitatis, quibus comprobari possit integritas vasorum ex non conjunctione viri. Ita communitèr recentiores sentiunt, apud Zacchiam loco superiùs allegato. Rationem dant; quia, ea potissimum signa, quibus dignosci posset, vel fallacia sunt, & nihil certi promittunt, vel reipsâ nulla. Quod enim de Hymene jactatur, Anatomici moderni unanimitèr asserunt, illam membranam non reperiri in omnibus mulieribus; sed tantùm, & rarissimè in paucis. Imò nonnulli peritiores putant, non solùm talem membranam in pluribus non dari; sed in iis, in quibus reperitur, esse quid omninò prætèr naturam, & morbosum. Ita Vassæus [in suâ Anotom. tab. 1.] Paræus, Augenius, Ulmus, Laurent., Franciscus., Ranelin. [de morb. Vigin. Sect. 1. cap. 4.] apud laudatum Zacchiam. Et inter Canonistas, Torreblanca [lib. 2. de Delict. cap. 19. n. 9.] Ameno [in pract. crimin. tit. 10. q. 2. n. 38.] & alii apud eumdem.

651. Ex his infertur, quòd dato quocunque signo (si dari potest), testante corruptionem integritatis fœminæ, nullum tamèn dari potest, per quod posset probari, Virginem fuisse corruptam per viri conjunctionem: & è contrà, nulla dari possunt signa, quæ certò ostendant Virginitatem corporalem. Hinc potest mulier utero gerere, & adhùc habere integra vasa, ex quibus agnoscitur (ut ineptè ajunt) Virginitas. Sic narrat Bajardus [Addit. ad Clar. q. 4. versu. in stupro illato n. 7.] de quâdam puellâ visitatâ à duabus obstetricibus, quæ cum juramento asseruere, illam esse Virginem: quæ tamèn deprehensa fuit prægnans: indè obste-

trices pulſatæ à Judice volente eas, ut perjuras punire, ſe excuſaverunt, dicentes, Virginitatis indicia eſſe fallacia: & ſic evaſerunt impunitæ.

652. Benè verum eſt, quòd plura ſunt Integritatis ſigna, quæ, ſi non ſufficiunt ſingula ad probandum, ſufficere debent ſimul unita, & cumulata cum aliis indiciis; prout loquuntur Criminaliſtæ. Undè meritò utraque Lex Canonica, & Civilis, nec inanitèr, in facti contingentiâ, ordinat, Virgines inſpici ab obſtetricibus; ut indè, cumulatis omnibus, rectè judicet.

653. Præterea ſciendum, quòd loca muliebria, ſemèl violata, denuò aliquandò coaleſcunt; ut obſervant Severin. Pinæus [de not. Virg. lib. 1. cap. 6.] apud præfatum Zacchiam [tom. 1. lib. 4. tit. 1. q. 3. n. 9.] licèt enim facta fuerit violatio, ſeù deſtructio panniculorum, & carunculârum ſimùl cohærentium, & ipſorummet laterum uteri; attamèn, ſi deindè mulier ſe abſtinuerit à coitu, adeò invicem temporis ſpatio denuò cohærent, ut majorem interdùm anguſtiam præſeferant, quàm antè amiſſam Virginitatem.

654. Hucuſque protracta de Fœminis, valent etiam, ſuo modo, de Maribus: & quidquid diximus de ſignis corruptionis in illis, dicimus in iſtis: nimirùm, quòd non ſolèm à viro ſodomitico, ſed ex aliis cauſis poteſt oriri conſtupratio pueri; ut etiàm advertit laudatus Zacchia [tom. 1. lib. 4. tit. 2. q. 5.] Illæ namque ſciſſuræ, quas parere ſolet membrum virile, pendere poſſunt, & oriri à morbo, v. g. ab humore acri, & erodente: à timore, vel terrore gravi ſimo &c.

655. Jam redeo ad exemplum, quod miraculum appellant: & eo dato, ob venerationem debitam Divo Cajetano, verè Thaumaturgo, nego conſequentiam. Moveor, 1. quiâ falſum eſt in mulieribus reperiri Hymen; ex prænotatis. 2. adhùc ſi extiterit in eâ Virgine, de quâ loquitur: & etiàm admiſſo, quòd Inimicus Caſtitatis illud diſruperit; non indè ſequitur, id evenîſſe à Dæmore Incubo: nec Hiſtoricus id aſſerit, nequè ſubjit modum, & inſtrumentum, quo Dæmon hoc fecerit; quapropter dicere poſſumus, claſtrum illius Virginis diſruptum fuiſſe à nimio timore, ac terrore, tùm Dæmonis, tùm fuſtium crudelium, quibus percuſſa, & perculſa fuit à Spiritu immundo. 3. Bonâ pace Hiſtorici (qui imperitus in arte anathomicâ, meretur veniam) non medicè loquitur, dum ait: [Quel prezioſo velo, in cui ravvolgeſi la Verginità corporale, rotto una volta, non può riſarciſi. E' coſa veramente non mai più intesa, una Vergine violata ritornare ad eſſer Vergine]. Siquidèm, ex mox præmiſſis, abſque eo quòd recurramus ad miraculum, vaſa muliebria ſemèl violata, denuò naturalitèr, ac etiam artificioſè coaleſcere poſſunt. Cæterum, non negamus, Divum Cajetanum illud, & majora facere poſſe prodigia; ſed omninò inficiamur, & abſolutè abnegamus, Dæmonem Incubum violaſſe Virginem illam pudicam, & invitam; quùm, nec Hiſtoricus id referat, nec aliundè probari poſſit.

EXEM-

Digitized by Google

EXEMPLUM II.

DEi famula Maria ab Agrida diù sustinuit violentos accessus Dæmonis Incubi. Siquidèm in ejus vitâ [§. 7.] habetur
„ La inquietava il Demonio continuamente con parole, e visioni imaginarie sporchissime....
„ Con un'altro la tormentò il Dragone infernale di tal sorte, che
„ solo colle parole, colle quali lo
„ racconta la Serva di Dio, si puole decentemente riferire, e degnamente. Mi tormentava, dice essa, con altri travagli degni
„ di silenzio e per un'anima, che
„ tutta la sua vita aveva desiderato purità, e per ottenerla mi offersi a Dio in sí piccola età; al
„ certo sarebbe pena, e Dio solamente sá quello, che patí l'anima mia. Mi aumentavano questo travaglio; perchè non volevano permettermi, che lo communicassi con il mio Confessore,
„ e così da me sola lo pativo. Io
„ non potevo, comechè ero principiante, persuadermi di quel,
„ ch'esser potesse; e se si offendeva Dio, ò nò; perchè non avevo
„ à chi domandarlo. E si accrebbe
„ maggiormente, perchè era un
„ certo travaglio corporale quello,
„ che mi diede il Signore, benchè
„ nella pena fusse spirituale. Questo è stato grande, ed il travaglio, che mi ha dato in che più
„ meritare; imperocchè, per non
„ averlo, in luogo di esso soffrirei
„ volentieri tutti i martirj del
„ mondo, che vi sono stati, e saranno: e non è ponderazione.
„ Quello, che con questo travaglio ho patito, non si può numerare; perchè è travaglio sen-
„ za nessun sollievo: è travaglio,
„ che seco porta altri infiniti. Ergò ex his satis constat, Deum permisisse Dæmoni violenter opprimere, incubare, &c.

656. R. Nego ant. Ad ejus probationem, nego consequentiam. Quandoquidèm, ex hâc historiâ nihil concluditur in favorem Adversariorum. Perpendamus verba: *La inquietava il Demonio con parole, e visioni imaginarie sporchissime*, idèst, Dæmones nunc voces edebant impuras: nunc species repræsentabant obscœnas; quibus affligebatur casta Dei famula. *Mi aumentavano questo travaglio*; non quidèm Dæmones, sed Sorores Moniales; *perchè non volevano permettermi*, illæ Sorores, *che lo communicassi col mio Confessore*. Quod clarè patet in eodem §. ubi de illis Matribus fundatricibus subditur: *Non le permettevano, che communicasse con il Confessore le cose del suo spirito; anzi bene, che le avevano tassato il tempo, che dovea tardare in confessarsi: e questo si riduceva a mezzo quarto di ora; e solo una, o due volte al più la settimana*. Indè exprimit Dæmonis vexationes: *Era un certo travaglio corporale, che mi diede il Signore, benchè nella pena fusse spirituale &c.* Quinam autèm fuerit labor iste corporalis, simul & spiritualis, habetur §. 15. *Delli travagli, che passò la Serva di Dio in questo stato*. Ubi post pauca legitur: *Poteva la Serva di Dio (ed alcune volte soleva farla) ricorrendo a quella luce, che di ordinario teneva: e per mezzo di essa, ponendo in Dio tutta la sua vista, considerando solo la sua liberalità, e grandezza, e*

rimovendo gli occhi della sua propria miseria, fuggire questi combattimenti; però poneva il Demonio tutta la diligenza possibile, per serrarle questa porta: e quando il Signore glielo permetteva, acciò la Serva di Dio penasse, nè pure le lasciava arbitrio per questo ricorso. Alcune volte, per mezzo delle creature umane la inquietava fortemente; nonostante, come che erano prossimi, e per la carità si vedeva obbligata ad ascoltarli, ed a procurare la loro quiete; discomponendo il Nemico a quest'effetto il naturale di essi, la disturbava insensibilmente per questo mezzo: e quando la vedeva in questo stato, l'investiva con tutta la furia delle sue suggestioni; valendosi di questa inquietudine, non solo per impedirle il lume, ed offuscare la ragione, ma per affligerla colla rappresentazione, che quella fosse colpa. Altre volte le metteva suggestioni nell'imaginativa con tanta veemenza, che sormontava le di lei forze, non lasciandogliele, acciò essa non rimovesse affatto l'intelletto dall'apprensione di quelle cose, che per mezzo di queste le rappresentava. Altre volte si serviva dell'uno, e dell'altro: moveva occasioni esteriori, che la inquietassero: procurava mantenerle indisposta la parte sensitiva, e distraerla con questo; e nella tempesta, che l'eccitava, spingeva contro la medesima con tutta violenza le sue suggestioni, che potevano maggiormente alterarla.

Rursùs, in ejusdem vita §. 6. *Quando la Serva di Dio, nel più cupo silenzio della notte si ritirava nel luogo solito a fare i suoi esercizj di divozione, e mortificazione, smorzandole il lume, procurava di ritirarla con ombre, e fantasme. Non contento di questo, se le fece vedere visibilmente in diverse forme di animali, ora puzzolenti, e schifosi, ora terribili, e spaventosi. Alcune volte le compariva in figura di un morto vestito con gli abiti sepolcrali; altre volte se le metteva d'avanti in figura d'uomo vivo, le diceva parole sporchissime, e per tutti versi procurava tormentarla, ed intimorirla. Cominciò a strapazzarla, ed affligerla nel corpo: se li gettava addosso con un peso grave, ed insoffribile, col quale la martirizava, come se stasse posta in mezo ad un torchio.*

Hi fuerunt labores, quos ipsa Dei famula [§. 7.] vocat: *degni di silenzio, e per un anima, che tutta la sua vita aveva desiderato purità, e per ottenerla mi offersi a Dio in sì piccola età; alcerto sarebbe pena, e Dio solamente sà quello, che patì l'anima mia.* Usquè huc venire, & non procedere amplius, à Deo permissum fuit Dæmoni: hic confregit tumentes tentationum fluctus suos.

657. Omnis ergò tentatio, sivè interior, sivè exterior prædictæ Mariæ ab Agridâ, nunquàm pervenit ad opus turpe, & inhonestum; sed famula Dei mente, & corpore, tùm formalitèr, tùm materialitèr permansit semper intacta, & incorrupta. Percurratur tota ejus vita, præsertim §. 20. ubi & Dæmonum artes innumeræ, verba obscœna, imagines lascivæ, & alia hujus generis leguntur, quibus Inimicus circuibat, tamquàm Leo rugiens, quærens devorare illius pudicitiam; sed non legitur, quòd Malignus ausus fuerit corrumpere eam Virginem, & luxuriosè incubare: præmebat castum corpus, veluti pondus grave, & intolerabile; sed non op-

Digitized by Google

opprimebat, veluti Incubus.

Si quis autèm scire velit, quantum Cœlestis Sponsus hujus Virginis zelaverit, & propugnaverit ipsius integritatem virginalem, perluστret §. 42. ejus vitæ, & ab exemplo ibi relato de Juvenè malè opinante, intrase, de illibatâ Sororis Mariæ ab Agridâ integritate, deque supplicio à Deo inflicto siniστrè judicanti; discant benè, & castè sentire de famulâ Dei; nè simile aliud, aut deteriùs ipsismet contingat.

EXEMPLUM III.

658. BEata Angela de Fulgineo sic exprimit Dæmonis violentias, quas experta fuerat [in ejus vitâ cap. 19.] *Video enim, quòd Dæmonibus tradita sum multis, qui revivisc ere faciunt vitia, quæ horreo, & quæ fuerunt mortua; & addunt illa, quæ nunquam fuerunt: . . . Et in corpore, ad minimum patior in tribus locis. Nam in locis verecundis est tantus ignis, quòd consuevi apponere ignem materialem, ad extinguendum ignè concupiscentiæ; donec Confessor meus mihi prohibuit . . . . . Et tunc intelligo, quòd est opus Dæmonum; & quòd non vivunt illa vitia in animâ meâ; quiâ anima nunquam consentit eis; sed corpus patitur violentiam, & est tantus dolor, & tædium, quod si duraret, corpus id pati non posset. Sed anima videt, quòd est ei ablata omnis potentia, quamvis non consentiat vitiis; non tamèn habet potestatem omninò resistendi vitiis.*

Istud Exemplum refertur à Martino Delrio [lib. 2. disquit. Magic. q. 24.] ad Tentatorum consolationem: ut sciant, Deum non pati tentari suprà id, quod possunt sustinere: & quòd licèt vis resistendi videatur succumbere, reipsâ tamèn non succumbit. Indè in eâ verbâ: *Non tamèn habet potestatem omninò resistendi vitiis*, subdit: *Sic, scilicèt, ut etiàm suggestionem ipsam expellat; nàm habet ut non consentiat.* Cupiebat enim B. Angela nèc habere, nequè sentire motus illos carnales, quibus totis viribus, tùm internis, tùm externis repugnabat; sed patiebatur invita. Nec hujusmodi motus unquàm pervenerunt ad opus consummatum: nequè Dæmon ausus fuit, aut permissus à Deo, vim illi inferre ad concubitum, aut ad alium actum turpem; sed tantùm suggessit, sollicitavit, impulit, non verò compulit; ut patet in eâdem historiâ. Pseudo-Mystici verò idem allegant Exemplum ad comprobandam ipsorummet insaniam. In quo non immoror; nam, Exemplum allatum nostram confirmare sententiam, est luce meridianâ clarius. Satìs abundè respondeo Adversariis, & pudorem incuto verbis Christi Jesu [Joann. 9. v. 41.] *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis: Quiâ videmus, peccatum vestrum manet.*

ALIA

ALIA REFERUNTUR, ET REFELLUNTUR EXEMPLA.

IN tomo 5. tract. 2. de secundo Decalogi præcepto cap. unic. punct. 5. §. 2. n 48. Collegii Salmanticensis Cursus Theol. Moralis, per P. F. Sebastianum à S. Joachim, habentur hæc verba, & exempla. „ Quandò Dæmoniaci „ per violentiam blasphemias proferunt, homines lacerant, & „ occidunt, aut mutilant: qualiter legitur Actor. 19. de quodam Arreptitio: fornicantur, aut „ occulta crimina revelant; in his „ non peccant; quiá ipsi non „ agunt, sed aguntur: nec ipsi propriis membris utuntur; sed eis, „ passivè se habentibus, Dæmones „ illis utuntur. Undè legimus in „ Divo Augustino [lib. 15. de Civitate Dei cap. 33.] *Dæmonas incubos sæpè improbâ libidine „ mulieres vexasse*. Et Torre [2. 2. q. 90. art. 2. d. 20.] ait: „ Se „ legisse, quòd quædam monialis „ per multos annos à Dæmone incubo nolens patiebatur. Et idipsum de aliâ moniali à Provinciali nostræ Religionis satis erudito, ego ipse audivi. In quibus, „ etsi difficilior sit pugna, tamèn „ si fortitèr resistunt, triumphus, „ & merces erit absquè dubiò copiosior.

659. Hæc doctrina, sic confusè tradita, & exempla ex eâ deducta, atquè adducta, favent solummodò iis, qui nigrum non distinguunt ab albo. Voco doctrinam confusè traditam; quià non distinguit de verbis blasphemis, & operibus pravis, dictis, & factis ab Obsessis, quandò hi non habent expeditum rationis usum, (ut evenit ordinariè): vel quandò totalitèr non sunt orbati lumine rationis (quod rarissimè continget). Porrò, in primâ suppositione, verba illa, & actiones non imputantur homini, sed Dæmoni: vel, sunt actiones quidem hominis, non verò humanæ. Ratio est, quam ipsemet Auctor allegat (ibid. n. 49.) „ Nam perturbatâ á Dæmone „ phantasiâ Arreptitii, erroneè invincibilitèr apprehendit ut bonum, quod in se est malum: sed „ operationes ortæ ex conscientiâ „ erroneâ invincibili non imputantur ad culpam: ergò nec operationes pravæ ortæ ex perturbatione phantasiæ Arreptitiis imputantur ad culpam; maximè „ quùm ipsi non sint in causâ hujus „ perturbationis, sed unicè ex „ Dæmonis malitiâ oriantur.

At in suppositione, quòd Arreptitius sit compos sui, potest quidèm Dæmon (spectatâ virtute suâ naturali) nedùm impellere, sed & compellere illum ad actus ex objecto malos; at Deum id non permittere, satis probavimus in Sect. præced. Videantur, quæ ibi diximus ex D. Thom. & Sylvio: quæ si rursum à nobis transcriberentur, nil aliud esset, quam crambem (ut vulgò fertur) multotiès coctam recoquere.

660. Præterea, Doctor iste de Obsessis transit ad non obsessos; sed casus extendi nequit ubi non est identitas rationis; ut loquuntur U. J. Doctores: at, quàm sit dispar ratio inter hos, & illos, quilibet sanæ mentis intelligit. Nam Dæmon, quùm potestatem habeat suprà corpus obsessi, potest abuti ejus

mem-

Digitized by Google

membris, proùt sibi placuerit; non sic autèm discurrendum de non obsesso, cujus corporis non conceditur dominium. Cæterùm, Dæmon compellere nequit ad actus turpes, nec obsessum (saltèm dum est sui compos,) & multò minùs non obsessum; nisi volentem, & consentientem. Quia non decet Divinam Bonitatem, Providentiam &c. & proptèr absurda, quæ sequerentur, ex superiùs dictis.

661. Ad exempla adducta, expecto responsionem ab ipsomet, qui ea refert. Profectò idèm Auctor [eod. tom. 5. tract. præcedenti, idèst, 21. de Præceptis Decal c. 11. punct. 11. §. 2. n. 185.] loquens de accessu violento Dæmonis ad Virginem non sagam, sed pudicam, & sanctam, subdit intra parenthesim: *nec unquàm hoc Deum permisisse legimus*. Quo igitùr pacto hic refert exempla illarum Monialium? Si nunquam leginus, quomodò nunc legimus? Cogor dicere, vel quòd sibimet contradicit (ut sæpè accidere solet iis, qui non propria, sed aliena, & multorum placita colligunt, & transcribunt): Vel in priori tractatu loquutus fuit de semine Viri à Dæmone excepto, & violentèr immisso in Virginem pudicam, & sanctam [proùt fautores hujus Collectoris in suum sensum interpretantur]. Sed in quocumque sensu in utroque loco fuerit loquutus, non expugnat nostram assertionem; imò nèc impugnat; quùm nullam contrà eam afferat rationem. Nèc elucet ratio disparitatis, cur Deus non permittat Dæmoni fœcundare Virginem pudicam, & sanctam: & sinat violentiam inferre ei absolutam ad concubitum nefandum, dummodò in illam non immittat semen virile; ut mox arguebamus.

662. Ad auctoritatem Torre, & sui P. Provincialis, repono commune dictum, aliàs prolatum à D. Greg. [1. Dialog.] *Pluribus intentus, minor est ad singula sensus*. Viri isti, etsi docti in scholasticis, aliisque scientiis; utpotè variis curis applicati, non potuerunt casum subtili incernere cribro, & frumentum expurgare à paleâ. Indè citò crediderunt fœmellis, quæ facili negotio decipi possunt, tùm à malo naturali, eisque familiari, idèst; à furore uterino: tùm à morbo, etiam naturali, scilicèt, Incubo: tùm à propriâ phantasiâ, quæ facilè læditur; proùt D. August. [lib. de Trinit.] narrat de eo, *qui tantâ conversione recogitabat cujusdam mulieris imaginem, quòd ei carnaliter commisceri videbatur, etiàm vigilando*. Tùm quià, ex eodem Sanctissimo Præsule [Epist. 111. ad fortunatum] *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum, & laudatorum hominum; velut Scripturas Canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, aut respuere; si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet; Divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum: tales volo esse intellectores meorum*.

Denique D. Augustinus [loco allegato] hæc subdit: *Non hic diù quid audeo diffinire, utrum aliqui spiritus, elemento aereo incorporati, (nam hoc elementum, etiam quùm agitatur flabello, sensu corporis, tactuque sentitur) possint etiàm*

hanc

hanc pati libidinem, ut quemadò possunt, sentientibus fœminis misceantur. De reliquo, non legimus in cunctis operibus Sancti Præceptoris, ipsum docuisse, Deum permittere Dæmoni, vi præcisâ, cognoscere carnaliter mulierem invitam, & modis omnibus contradicentem; imò sparsim, & passim docuit oppositum; ut clarè patet legentibus ejusdem Opera, ac istud nostrum Opusculum.

663. Alia ab Adversariis cumulantur exempla: quæ si perlustrantur ab iis, qui oculos habent rectos, & puros, concludunt in favorem nostræ assertionis; si verò aspiciuntur ab eis, qui non pervident ad extrema nasi, vel prospiciuntur conspicillis coloratis, apparent nunc rubea, mox viridia, juxtà uniuscujusque passionis vitrum. Dum enim legitur in Vitâ S. Catherinæ Senensis, ipsam pœnas sustinuisse à Dæmone morte amariores; statim intelligunt Spurcitiarum Magistri, Virginem illam passam fuisse Incubum. Si in historiâ D. Magdalenæ de Pazzis enarratur, Christi Sponsam motus habuisse carnales: Dæmonem coràm eâ lusisse in specie juvenis pulcherrimi, ac nudi, incitantis ad concubitum; ex hoc inferunt, Malignum vim intulisse Dei famulæ, & violenter concubuisse cum eâ. Si de S. Elisabeth audiunt, quòd Diabolus, in formâ delicati Clerici, apparuit illi, & modis omnibus allicielat, & impellebat ad actum veneream; indè asserunt, hostem antiquum oppressisse nolentem, & compulisse prorsùs contradicentem. Et sic de aliis SS. Virginibus. Porrò excœcavit eos malitia *ipsorum*, & distinguere nolunt intèr *Impellere*, ac *Compellere*. Permittit sanè Deus, Viros sanctos, sanctasque Mulieres varias pati à Dæmonibus suggestiones, & sollicitationes ad turpia; nunquàm tamèn permisit, nèc permittet pervenire ad opus inhonestum, vi præcisâ Dæmonum. *Sinit Justus*, & *Rectus* Dominus, Dæmonem *impellere nos ad obscœna*; sed non permittit *compellere nos*. Pater est misericors, summè bonus, optimus Provisor, *qui non patietur nos tentari suprà id, quod possumus sustinere* (1. Corint. 10. v. 13.)

REFLEXIO.

664. NOvum non est, Mulieres proprias excusare culpas, easque imputare violentiæ Dæmonis; nam Mater Eva sic purgare voluit suam maculam; dicens: *Serpens decepit me*. (Genes. 3. v. 13.) Eò magis innuptæ, & maximè Moniales erubescunt fateri carnis peccata, si gnantèr Dæmoniaca; sunt enim Viris procliviores ad venerea, sed cautiores ad tegendas spurcitias. Hoc, inquam, haud novum malum est; quiá sordes celando, in eis marcescunt. At pessimum, & pernicioſum crimen est illorum Directorum spiritualium, qui filiis, & filiabus suis, pro ovo porrigunt Scorpionem: hi, nè contristarent delicias suas, veniam dant pœnitentibus, causam prætexunt, & Diabolum accusant. Hinc Magnus Gregorius (Moral. lib. 33. cap. 4. in Job. cap. 40.) in ea verba: *Pro-*

te-

Digitized by Google

tegunt umbræ umbram ejus, fortiter invehit contra hosce defensores iniquitatis, & ita appositè exponit: *Umbræ quippè sunt Diaboli omnes iniqui: qui dum imitationi iniquitatis ejus inserviunt, quasi ab ejus corpore imaginis speciem trahunt. Sicut autèm umbræ ejus sunt pluraliter Reprobi: ità singulariter umbra ejus est unusquisque Peccator. Sed dum doctrinæ Justorum mali contradicunt, dum ab eis iniquum quemlibet corrigi non permittunt, umbræ Bobemet istius umbram ejus protegunt: quia Peccatores quique, in quo sibi malè sunt conscii, in eo & alium peccantem defendunt. Umbræ umbram ejus protegunt, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur. Quod hoc nimirùm studio faciunt: nè dum culpa, in quâ & ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quandoque veniatur. Sic igitur tegunt, dum alios protegunt; quia suam vitam prævident impeti, undè alios confiderant liberâ correctione confundi. Sicque fit, ut summa criminum, dum defenditur, augeatur, & unius cujusque nequitia, eò fit ad perpetrandum facilis, quò difficilis ad puniendum. Scelera quippè peccantium, tantò majora incrementa percipiunt, quantò per defensionem potentium diù inulta tolerantur. Sed tales quique, seù extrà, seù intrà Sanctam Ecclesiam esse videantur, tantò se apertiores Dei hostes exhibent, quantò majores sunt patroni vitiorum. Contrà illam quippè suis defensionibus pugnant, cui ea, quæ displicent, defendendo multiplicant. Quod factum benè per Prophætam Dominus sub Babylonis specie redarguit, dicens:* [Esaiæ 34. v. 13.] *Orientur in domibus ejus spinæ, & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile Draconum, & pascua Struthionum. Et occurrent Dæmonia Onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invenit sibi requiem. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfodit, & fovit in umbrâ ejus: illùc congregati sunt milvi, alter ad alterum. Quid namque per urticas, nisi cogitationum prurigines? Quid verò per spinas, nisi vitiorum punctiones accipimus? In domibus igitur Babylonis urticæ, & spinæ pullulant; quia in confusione mentis reprobæ, & desideria cogitationum surgunt, quæ exasperant: & operum peccata, quæ pungunt. Sed hæc agentes, habent etiàm nequiores alios defensores suos. Undè illìc aptè protinùs subdidit (Et paliurus in munitionibus ejus). Paliurus quippè tanta spinarum circumdatione densescit, ut præ asperitate tangi vix possit. Intùs igitur urtica, & spina nascitur; sed utrumque hoc exteriùs per paliurum munitur: quia, videlicèt, minores iniqui mala quælibet faciunt; sed ea nequissimi majores tuentur. Undè benè & hìc dicitur (Protegunt umbræ umbram ejus). Dum enim malum pejor vindicat, quasi umbra umbram; nè à veritatis lumine irradietur, obscurat.* Hactenùs disertissimè, & luculentèr Sanctissimus Pontifex.

665 Nemò igitur nostrum sit Umbra protegens Mulierum impudicitiam: nemo Paliurus muniens Succubas Dæmoniacas. Una sit omnium cura, urticas malarum cogitationum evellere, spinasque concupiscentiæ effrænis explantare, ac Sancti Spiritus igne comburere.

Digitized by Google

Idque operoſum non erit, ſi faciemus, & docebimus, quod fecit, & docuit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Antiſtes Franciſcus Palanco. Attendamus ſcientiam experimentalem illius Viri celeberrimi, qui (tract. de peccabilit. & impeccabilit. q. 11. n. 35. 41. & 42.) poſtquàm egregiè (more ſuo) probaverit, Deum non permittere Dæmoni vim nobis inferre ad actiones, & tactus turpes, exhibet Adverſariorum fundamenta, quorum præcipuum hoc eſt. „ Licèt Voluntas in „ actibus elicitis non poſſit pati „ violentiam; certum tamèn eſt, „ eam pati poſſe in actionibus imperatis, ſivè in viribus corporalibus de ſe Voluntati ſubordinatis. Ergò contingere poterit, „ quòd manus, brachia, & aliæ vires corporeæ violentèr cogantur à Dæmone excitante ad eas „ turpes actiones, & tactus exercendos. Sed in dictis circumſtantiis nulla alia apparet cauſa „ talium actionum: ergò credendum eſt, eas eſſe violentèr à „ Dæmone cauſatas, & conſequentèr involuntarias. Nèc ad hoc „ judicium deponendum ſufficere videtur, quòd pœnitens ipſe „ violentiam non advertat, ſed „ potiùs dicat, ſibi videri conſenſiſſe, & voluntariè operatum „ fuiſſe. Nam, contrà opponunt, „ pœnitentem eo in caſu, & durante illâ turbatione, mentem „ habere confuſam, & obtenebratam, perturbatis à Dæmone ſpeciebus, & phantaſiâ; ac proindè non poſſe advertere reſiſtentiam Voluntatis: & conſequentèr nec violentiam, quæ illi fit; „ adeòque, quamvis pœnitens dicat, ſibi videri conſenſiſſe, non „ eſſe illi credendum, tamquàm „ ſcrupuloſo; ſed aſſecurandum de „ non peccato; niſi aſſerat id cum „ tantâ firmitate, ut jurare poſſit.

Ad hæc reſpondet doctiſſimus, & piiſſimus Præſul: „ Conceſſo antecedenti, & primâ conſequentiâ, nempè, quòd Dæmon poſſit „ cogere vires corporeas motivas, „ & executivas (intellige, ſi permittatur) ad eas turpes actiones; „ nego tamen minorem; quia fidelis eſt Deus, qui abſque culpâ „ tentati, non patietur ipſum ſupra vires reſiſtendi tentari. Undè in eis circumſtantiis debet „ credi (benè advertant Directores) ex parte Voluntatis conſenſus aliquis, ſaltèm virtualis, in „ eas actiones, & motus, ſufficiens „ ad peccatum mortale: qui conſenſus, ſi talis videatur delinquenti, ſeù pœnitenti, & ipſum „ affirmet, licèt ſinè juramento, „ minimè illius judicium pro mero „ ſcrupulo reputandum eſt: ſed „ pro certâ, & verâ confeſſione „ ſui peccati, eique in hoc credendum. Imò, etiamſi pœnitens „ ipſe de ſuo conſenſu dubitet, „ aut ſe neſcire dicat, aut ſibi videri non conſenſiſſe, nèc voluiſſe; contra potius monendus eſt, „ ut ſciat, & credat ſe peccaſſe „ mortaliter in illis actionibus, & „ contactibus; & ſimilitèr peccaturum, quotieſcunque iterum „ eas exerceat. Et hoc magnâ auctoritate, & firmitate ipſi intimandum eſt; ut Dei offendendi „ timor impulſus, illos refrænare „ poſſit.

„ In cujus confirmationem, „ teſtificare poſſum, quòd, quùm „ de prædicto caſu quidam Confeſſarius me conſuleret, ipſi hanc „ eam-

Digitized by Google

„ eamdem doctrinam firmitèr tradidi; & quòd pœnitentem de peccato mortali in illis actionibus certissimum faceret (N.B.) quòd, quùm ille ita feciſſet, poſt quatuor menſes mihi nuntiavit, pœnitentem penitùs emendatum fuiſſe, & non ampliùs eas actiones, & tactus exercuiſſe; quùm tamèn in illis anteà frequens ſatis eſſet, exiſtimans eas violentas, & inculpabiles, ſecundùm quod ipſi alius dictaverat, & putans ſe illas vitare non poſſe. Sed eventus ipſe contrarium monſtravit; nam, ſi reipsà eſſent violentæ, quantumvis certificatus, quòd eſſent culpa mortalis, violentiæ reſiſtere non poſſet; quià violentia, & coactio phyſica, quando talis eſt, retractivo morali peccati mortalis non ſuperatur: quod ſi ſuperatur, non jam violentia phyſica, aut coactio erit, ſed ad ſummum tèntatio gravis cum morali violentiâ; reſiſtibili tamèn phyſicè, & abſolutè, quod non aufert voluntarietatem, & libertatem. Quià tamèn ſeductus, in eis actionibus culpam mortalem non agnoſcebat; & eas violentas phyſicè judicabat, ex timore Dei, aut culpæ mortalis ad reſiſtentiam non toto conatu movebatur; quùm autèm reſcivit, eas eſſe peccatum mortale, expavit, & Dei timore transfixus, cepit fortitèr, & humilitèr declinare à tanto periculo, & reſiſtere, ut potuit, potuitque abſquè dubio & hâc experientiâ errorem ſuum agnovit, & depoſuit. Eſt ergò in illis actionibus, & tactibus aliquis conſenſus, ſaltèm virtualis, & implicitus, ſeù, ad minus, omiſſio libera reſiſtentiæ debitæ: & hæc cauſa debet ſempèr ibi agnoſci, non ſolùm quandò illam agnoſcit, aut opinatur pœnitens ipſe: non ſolùm quandò dubitat; ìmò potiùs etiamſi eam neget ſeductus; nam ſeductus erit, ſi neget. Ità laudatus Epiſcopus, qui ibidem cumulat alia omninò videnda; quià Cedro dignâ.

Hâc ego ſanâ inſtructus doctrinâ, & à pluribus conſultus Confeſſariis, num Deus permittat Dæmonem Incubum, Muliere omninò renuente? ſempèr reponſum dedi negativum: iiſque tradidi efficaciſſimum, & unicum remedium, quod exhibet Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Palanco: quo, ab illis adhibito, experientiâ comprobavit, nullam fuiſſe Succubam prorsùs involuntariam. Si ergò hoc valido ictu ſtirpitùs obtruncabitur radix errans, & lethifera Pſeudo-Myſticorum, eventu feliciſſimo adimplebitur prophætia Iſaiæ [35.v.7., & ſeqq.] *In cubilibus, in quibus priùs Dracones habitabant, orietur viror calami, & junci. Et erit ibi ſemita, & via ſancta vocabitur: non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa viâ; itaùt ſtulti non errent per eam. Non erit ibi leo; & mala beſtia non aſcendet per eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt, qui liberati fuerint. Et redempti à Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitiâ ſempiternâ: ſuper caput eorum gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.*

SECTIO VI.

An si Mulier aliquandiù consenserit Dæmoni Incubo, sed postea verè pœnituerit, & per Confessionem Sacramentalem deleverit maculam criminis tàm execrandi; adhùc tamèn deinceps nolens, ac totis viribus resistens, succumbere necesse sit Dæmoni Incubo: Deo sic permittente, in pœnam prioris consensus, & peccati primitùs patrati?

666. USquè adeò putavi, fuisse indocti Vulgi opinionem, quòd si qua Mulier fuerit voluntariè Succuba, non poterit deindè resistere Dæmoni volenti recumbere cum eâ; etsi modis omnibus ipsa contradixerit. Hinc nullam de hâc Vulgi sententiâ in toto isto opusculo mentionem fecimus; Vulgus enìm dicitur á volvendo, quòd stultè hùc, atquè illùc volvatur; undè Innoc. XIII. Pontifex Romanus (apud Beyerlink in Apop. Christi.) interrogatus aliquandò: *Quid foret á veritate remotius?* respondit: *Vulgi sententia. Quidquid enìm laudat, est vituperio dignum: quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falsum: quidquid improbat, bonum est: quod approbat, malum; & quidquid extollit, infame.* Ità plebs rudis [Job. 6. v. 14] existimabat, Asinodæum adamasse Saram, eique prorsùs nolenti vim intulisse ad copulam. Nunc autèm audio, nedùm populum stolidum, sed quosdam etiàm Doctores idipsum sentire.

Moventur. Quià, estò per Confessionem, & Pœnitentiam fuerit tota macula talis peccatricis; adhùc tamèn *in eâ manet reatus* ad pœnam; quamobrèm, Deus justissimè permittit, ut ipsa puniatur per illud idem, per quod peccavit. Id comprobant duobus exemplis relatis à Thoma de Cantiprato, & Auctore Vitæ S. Bernardi: quæ sunt sequentia.

EXEMPLUM I.

667. EX Cantipratensi [lib. 2. de Dæmonibus Incubis cap. 57. n. 13., & 14.] „ Quædam Virgo oppressa à Dæmone „ Incubo, quùm postea quasi doleret ad mortem, & confiteretur cum lachrymis (nam antea „ confessa fuerat, se nunquàm in„ concubitum consensisse: de quo „ plurimum admiratus, credere „ nullo modo potui, quomodò „ potuisset hoc permittere Omnipotens) nullâ tamèn arte, vel „ studio ab Incubo potuit Dæmone liberari; aut nec ulla ei valeret Crucis signatio &c. donèc „ post multos annos, oratione, & „ jejunio piæ Ildegardis, Dæmon „ Incubus totaliter fugaretur. Et „ nos quidèm credimus, & fatemur (salvo tamèn judicio sententiæ melioris) quòd postquàm „ de peccato suo amarè flevit, & „ doluit, potiùs ei concubitus Dæmonis pœna culpæ, quàm culpa „ fuit.

Idem

Digitized by Google

Idem, ibidem, addit de quâdam Chriſtianâ Moniali, quæ pœnam cujuſdam mulieris ſic oppreſſæ à Dæmone aſſumpſit; ſed valido conatu evaſit, & vinxit violentiam Dæmonis.

EXEMPLUM II.

668. EX Auctore Vitæ Sancti Bernardi lib. 2. cap. 6.

„ Erat autèm in regione illâ „ (Nanneti) miſera mulier, quæ à „ quodam petulante Diabolo vexabatur. Habebat autèm Virum, hujus tamèn tam execrabilis commercii prorsùs ignarum. „ Abutebatur igitùr eâ, etiam in „ eodem lecto cubante marito, inviſibilitèr impuriſſimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum; nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confuſa eſt in ſe ipsâ: & expavit, tum proptèr colluvionem tam continuæ turpitudinis: tum proptèr timorem Dei, cujus judicio ſingulis momentis timebat intercipi, & damnari. Confugit ad Sacerdotes, & piaculum confitetur: peragrat loca ſancta, & Sanctorum implorat ſuffragia; ſed nulla ei confeſſio, nulla oratio, nulla eleemoſinarum largitio ſuffragatur. Quotidiè ut priùs, & importuniùs à Dæmone infeſtatur. Deniquè in publicum ſcelus tantùm effuſum eſt. Quo audito, & cognito maritus ejus, conturbernium execratur. Intereà ad locum prædictum Vir Dei cum comitatu ſuo advenerat, cujus ut audivit adventum infelix mulier, ſe ad pedes ejus tremebunda projecit: Aperit ei, lacrymis perfuſa, horribilem paſſionem, & ludificationem inveteratam: & quòd nihil ei profuiſſent quæcunque feciſſet ſibi á Presbyteris imperata. Addit, ſibi ab oppreſſore ſuo adventum ejus prædictum, & minacitèr interdictum, nè ante ejus veniret præſentiam; quià nihil ei prodeſſet: & ipſe (recedente Abbate) qui fuerat amator, crudeliſſimus fieret perſecutor. Audiens hæc Vir Dei, blandis verbis conſolatur mulierem, & de cœlo promittens auxilium, præcipit, ut die alterâ (jam enìm nox inſtabat) confidens in Domino revertatur. Reversâ mane, quùm Viro Dei blaſphemias, & minas, quas eâdem nocte ab incubo ſuo audierat, retuliſſet: nè cures (inquit Vir Dei) minas ejus, ſed vade, tolle baculum hunc noſtrum, & pone in lectulo tuo, & ſi quid poteſt, agat. Egit Mulier quod juſſum fuerat, & recumbens in lectulo ſuo, ſigno Crucis munita, juxtà ſe baculum ponit. Adeſt ille continuò; ſed nec ad conſuetum opus, nec ad ipſum cubile præſumit accedere: minatur tamèn acerrimè, quòd, diſcedente Viro Dei, ipſe in ejus ſuppliciа reverteretur. Inſtabat dies Dominica, & voluit Vir Dei per edictum Epiſcopi populum in Eccleſiã accerſiri: quùmque ipsâ die maximus Populus ad Eccleſiam conveniſſet, intèr Miſſarum ſolemnia, comitãtibus Epiſcopis Gaufredo Carnotenſi, „ &

„ & Bricio Nattensi, ipse ad am-
„ bonem conscendit, & ut om-
„ nes, qui in Ecclesiâ erant, ac-
„ censas candelas in manibus te-
„ neant, loquuturus edicit. Quod
„ & ipse cum Episcopis, & Cleri-
„ cis faciens, inauditos Diaboli au-
„ sus publicè aperit, & fornicato-
„ rem spiritum, qui in tam hor-
„ renda inquinamenta, etiam con-
„ trà naturam suam exarserat, cum
„ omnium fidelium, qui aderant,
„ subscriptione anathematizat; &
„ auctoritate Christi, tam ad illam,
„ quàm ad omnes mulieres dein-
„ ceps interdicit accessum. Ex-
„ tinctis itaque sacramentalibus il-
„ lis luminibus, extincta est dein-
„ ceps tota virtus Diaboli; & mu-
„ lieri post confessionem commu-
„ nicanti, nunquàm posteà appa-
„ ruit inimicus, sed irregressibili-
„ ter eliminatus aufugit.

„ 669. Pro rectâ intelligentiâ horum exemplorum, ac totius hujus Sectionis, supponere debemus ex communi Theologorum, unum peccatum esse posse pœnam alterius; non quidèm ratione malitiæ moralis, sed ratione alicujus mali adjuncti; præsertim verò denegationis auxilii efficacis, quæ in omni peccato præsupponitur. Ratio est, quia pœna est effectus Justitiæ vindicativæ; ac proindè debet esse tale malum, quod Deus possit intendere, & efficere; sed malitia moralis nec intendi potest à Deo, & consequentèr secundùm se procedere nequit à Justitiâ vindicativâ Dei: sed solùm ratione mali adjuncti in punitionem peccatoris, & præsertìm ratione permissionis, & denegationis auxilii efficacis, quod Deus sæpè denegat propter peccata præcedentia. In hoc sensu Scotus [2. d. 36.] docuit, peccatum esse sposse pœnam peccati; nam [dist. 37.] ad illud argumentum: Omnis pœna justa est à Deo; nulla autèm culpa est à Deo; ergò nulla culpa est pœna peccati. Respondet Subtilissimus, quòd pœna, quæ est peccatum, non est à Deo efficiente, vel deficiente primò; sed tantùm est à Deo deserente voluntatem ratione primi demeriti: quæ deserta à Deo, cadit in secundum demeritum.

670. Certum etiàm esse debet apud omnes Catholicos, peccatum non posse esse pœnam peccati per pœnitentiam jam deleti: seù, Deus non permittit peccatorem emendatum à suo peccato, cadere in aliud peccatum, in pœnam illius peccati, de quo egit pœnitentiam. Ità expresè docuit D. Thom. [2. dist. 36. art. 3. ad 4.] *Hoc est per accidens, quòd ultimum peccatum per aliud peccatum non punitur: quia scilicèt, vel vita peccantis finitur: vel etiàm animus ejus per pœnitentiam in melius immutatur.* Undè Ezechiel [33. v. 11., & 12.] dicitur: *Vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat. Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis: & quare moriemini domus Israel? Tu itaque fili hominis dic ad filios populi tui: Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit: & impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate suâ..... Si dixero impio: morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato suo.... vita vivet, & non morietur. &c.*

Hoc idem habetur apud eumdem Ezechielem [3. v. 20.] ubi de Im-

Digitized by Google

Impio, qui non fuerit conversus ab impietate suâ, Deus ait: *Ponam offendiculum coram eo*; idèst, exponit Gloss. ex D. Greg. *Quià, in quo offenderat, pœnitere noluit, contemnenti ponit Deus ubi gravius impingat. Peccatum quippè, quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est, & causa peccati: aut peccatum est, & pœna peccati: aut peccatum simul & pœna peccati.... Quià pœnitendo noluit videre jám impegit, justo eum judicio deserens, ponam ei ubi gravius impingat. Hoc autèm non est ad peccatum impellere, sed á peccato non liberare. Sicùt illud* [Exod. 14.] *Indurabo cor Pharaonis. Obdurare dicitur Deus, quùm ab induratione non liberat. Non enìm cor peccantis obdurat.*

671. Confirmatur ex SS. Expositoribus textus Ezechiel. mox relati, in ea verba [Psal. 68. v. 28.] *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam.* Idèst, ait Lyran. *Appones, scilicèt, permittendo; quià Deus non est causa iniquitatis effectivè, sed tantùm permissivè.* [*Super iniquitatem eorum*] *Quià super peccatorum commissionem, apposuerunt obstinationem. Ideò subditur:* [*Et non intrent in justitiam tuam*] *revertendo de culpá ad gratiam.* Et Illustrissimus Jacobus de Valentia. „ O tu Pater appone „ iniquitatem super iniquitatem „ eorum, non effectivè, sed permissivè; idèst, non des eis gratiam, ut cognoscant peccatum „ suum; sed maneant sempèr in „ eâdem obstinatione, & cœcitate: & sic apponent obstinatio„ nem, & cœcitatem suprá primum peccatum, ut nunquàm „ intrent in justitiam tuam; idèst, „ quòd nunquám per pœnitentiam justificentur, sine quâ pœ„ nitentiâ peccator non potest „ justificari, nec in justitiam redu„ ci. Ita etiam Bellarmin., Incognitus, & alii passim.

672. Deniquè indubium est, quòd peccato jam condonato, adhuc tamèn remanet reatus ad pœnam; non quidèm æternam, sed temporalem. Porrò, virtute pœnitentiæ remittitur culpa, & pœna simùl æterna debita peccato mortali; quia in Justificatione, ex Tridentino [cap. 7. sess. 6.] homo accipit, non solùm remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & interiorem renovationem, per quam ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, *ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ*; proùt ait Apostolus [tit. 3. v. 7. & ad Rom. 8. v. 1.] *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Et ibid. [c. 6. v. 22.] *Nunc verò liberati à peccato, servi autèm facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Pœna igitùr æterna, quæ debebatur culpæ gravi, hâc deletâ per pœnitentiam, commutatur ex Dei misericordiâ in pœnam temporalem, vel in Viâ, vel in Purgatorio solvendam. Quod sancivit etiam Trident. [sess. 14. cap. 8.] Justum enìm est, quòd peccatum non remaneat impunitum; ideòque est puniendum, aut à Deo vindicante, aut ab homine pœnitente. Undè Divus Augustin. [in Psalm. 4.] *Prævenit illum: non vis, ut ipse puniat, tu puni: tu agnosce, ut ille ignoscat. Differt manum à peccatis tuis, tu noli differre.*

673. Sed hìc est valdè notandum,

dum, quòd pœna inflicta à Deo ob maculam jam deletam, nèc est æterna, ut mox diximus, nec pertinens ad damnationem, sed ad satisfactionem, & purgationem; ut etiam advertit Suarez (in 3. part. D. Thom. tom. 4. disp. 10. qu. 86. art. 6. Sect. 3. n. 16.)

CONCLUSIO.

674. DEus, in pœnam coitus cum Dæmone voluntariè patrati à Muliere, non permittit ipsam, verè posteà pœnitentem, & prorsùs renuentem, compelli, vi præcisâ Dæmonis, ad eumdem concubitum nefandum. Sequitur ex præcedentibus Sectionibus.

PATET EX S. SCRIPTURA.

PErcutiam cum eis fœdus in die illâ, cum bestiâ agri; & cum volucre etiam fiduciali ter. Et sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitiâ, & judicio, & in misericordiâ, & in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide; & scias, quiâ ego Dominus.

675. D. Hieronymus [hic] pro novâ Sponsâ tam Deo dilectâ, intelligit Peccatricem, jam pœnitentem, conversam ad Dominum, & cum eo desponsatam; ait enim: *Nota misericordiam Dei. Meretrix diù fornicata, ad virum revertitur, nec reconciliari viro dicitur: & vide distantiam inter Dei, & hominum conjugia. Homines de Virgine, non Virginem faciunt; sed Deus meretricibus junctus, virginales reddit.*

Promittit itaquè Deus iis mulieribus, quæ ab impietate convertentur ad ipsum. 1. *Percutiam cum eis fœdus cum bestiâ agri*; idèst, exponit Ribera. „ Quoniam eam „ nec feritas Diaboli, nèc ministro„ rum ejus immanitas terret, nèc „ ei nocet; sed illa potiùs utitur „ ad utilitatem suam, & majorem „ in viâ Dei profectum. 2. *Sponsabo te mihi in justitiâ*, idèst, ju„ stificando te; non enim potes à „ me diligi, nisi justa sis. 3. *Et in „ judicio*; quoniàm judicabo inter „ te, & eum, qui te captivam anè tenebat, *Diabolum*, & sen„ tentiam pro te feram, repellen„ do Diabolum injustum possesso„ rem, qui te insidiis, & malignitate ceperat; undè jure Diaboli „ esse desinas. Omnia ex Psal. 71. „ confirmantur. *Judicabit pauperes Populi, & salvos faciet filios „ pauperum, & humiliabit calumniatorem*; idèst, Diabolum; Dia„ bolus enim calumniatorem si„ gnificat. De hoc judicio dixit „ Dominus [Joan. 12. v. 31.] *Nunc „ judicium est mundi; nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*. „ 4. *Et in misericordiâ, & in mi„ serationibus*: perindè est, ac si „ dicat: faciendo tecum maximas „ misericordias, liberando te à mi„ seriis magnis, in quibus eras: id„ que non tuis meritis, sed misericordiâ meâ, & donis cœlesti„ bus te ornando; sicùt Sponsi ar„ rhas mittere solent ad Sponsas. „ Etenim quùm dicit Scriptura:

Mi-

„ *Misericordia, & Miserationes*, hâc geminatione maximam, & copiosissimam Misericordiæ effusionem, & omnia genera misericordiæ, & beneficentiæ, significat; ut Psalm. 102. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Eadem habet Cornel. à Lapide, qui pergit: *Et sponsabo te mihi in fide*. „ Tertia dos Sponsæ est fides; undè tertiò repetit *Te sponsabo*; ut certam, plenam, perfectam, & in æternum duraturam desponsationem faciat, & significet. Quo circà Chal. vertit: *consolidabo, & stabiliam sedem meam in te*. Sicut enim in matrimonio est mutua corporum traditio; ita hic Sponsa se tradit Deo; ac vicissim Deus se tradit Sponsæ, ut in eâ thronum sibi æternum constituat, in quo, quasi Rex, & Judex habitet, & sedeat, ac judicium exerceat, justos tuendo, impios puniendo. Undè, thronus Dei hic quatuor Virtutibus, quasi columnis, fulcitur: nimirùm, Justitiâ, Judicio, Misericordiâ, & Fide. Sic Psal. 88. 15. *Justitia, & judicium præparatio* (idest, fulcimentum: hoc enim significat Heb. *Mechon*) *sedis tuæ*. Porrò Fides hæc in Deo est fidelitas, & constantia in promissis, quæ in Scripturâ vocatur Veritas. Per hanc enim Deus Sponsæ assecurat nuptias has cum illâ fore perpetuas, „ nec ullo repudio divellendas. „ Ita à Castro. In Sponsâ verò accipi potest, tum eadem fidelitas, „ quâ Sponsa se fidelem promittat, & præstet suo Sponso, ut nil „ præter eum amet.

Concludit laudatus Ribera: *Et scias, quid ego Dominus*. „ *Te „ ipsam meum patrocinium, & beatitudinem expecta cognoscet*.

Intueantur hic Adversarii (si puros habent oculos) amorem, & zelum Sponsi Dei in peccatricem pœnitentem suam Sponsam; & postea judicent, an sinat Dæmonem Incubum vi compellere eam ad concubitum execrandum? An permittat, Malignum abuti illius corpore, quod fuit Deo traditum? An patiatur sedere in eodem throno, Altissimus, & Lucifer? An castum, & Divinum connubium possit compati cum copulâ Dæmoniacâ? Perpendant, quæsò, verba D. Bernardi [serm. 5. in Dedicat. Eccl.] ubi citat hæc Oseæ verba, & subdit: *Si non fecit ille, quod Sponsus: si non tanquam Sponsus amavit: si non zelatus est tanquam Sponsus; noli acquiescere Sponsam te arbitrari*. Et (serm. 2. Dom. 1. post Epiphaniam.) *Propter Æthiopissam istam* (nempè peccatricem) *Filius Dei de longinquo venit, ut sibi desponsaret illam: Moyses quidem Æthiopissam duxit in uxorem, sed non potuit ejus mutare colorem. Christus verò, quam adamavit ignobilem adhuc, & fœdam, gloriosam sibi exhibuit*.

1. JOAN. 5. v. 18.

Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum. Et Malignus non tangit eum.

Hoc nequaquàm significat, Dei filios, & veros Christianos, aut regeneratos per baptismum pœnitentiæ, non posse peccare: Hic

enim fuit error Joviniani, Lutheri, & Calvini damnatus à Concil. Tridentin. (sess. 6. can. 23.) & ab ipsomet D. Joanne (cap. 1. v. 8. & 9.) *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et mox subdit: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Supponebat igitur, nos, etiam post baptismum, in peccatum labi posse; quod confessione, & pœnitentiâ possemus expiare.

676. Sensus ergò genuinus est, (prout attinet ad rem nostram.) quòd fructus regenerationis, quâ quis per confessionem, & pœnitentiam renatus est in Christo, est præservatio à peccato, saltèm mortali; & á vi, & potestate Maligni, putà Diaboli; ut hìc exponit Cornel. á Lapide, Tirinus, & alii. Undè subdit: *Et Malignus non tangit eum.* Per antonomasiam, Diabolus vocatur *Malignus, & nequam*; ut passim à SS. PP. & Expositoribus intelligitur. *Non tangit eum*, Syrus, *non appropinquat ei*. Videantur quæ diximus Sect. præced. quid hìc significet *Tangere*; ea enim probata pro Virgine pudicâ, & sanctâ, magis, vel saltèm æquè militant pro fœminâ peccatrice ad Deum conversâ.

677. Porrò, Adversarii decipiuntur in hoc, quià mulierem respiciunt sub potestate Dæmonis Incubi, qualis fuerat antè conversionem: & eamdem non considerant jam liberatam à tyrannide Maligni; ideòque indecorum eis videtur, quòd dicatur Sponsa Christi, & filia Dei nominetur, & sit; atque Sponsæ, & filiæ gaudeat dote, ac privilegiis. Sed recogitent Magdalenam, de quâ Jesus ejecit septem Dæmonia, & confitebuntur cum Divo Chrysologo [Serm. de Peccat. & Pharis.] *Non amplius peccatrix permansit, sed illicò quavis Virgine castior, verecundiorque evasit.* Et cum D. Bernardo [Serm. 3. in Cantic.] *Ibi Æthiopissa mutavit pellem, & in novum restituta candorem, jàm tutò fiduciàliter, veracitèque exprobrabat: Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem.* Percurrant parabolam Filii prodigi, *qui cum meretricibus dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè*, (Lucæ 15. v. 21.) sed posteà rediens ad Patrem suum, & dicens: *Pater peccavi in cælum, & coram te: jàm non sum dignus vocari filius tuus*: statim *Pater ipsius misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum: dixitque ad servos suos, citò proferte stolam primam*, nempè, Gratiam justificantem: *& date annulum in manum ejus*, qui est index filii, liberi, divitis, & nobilis. *Et calceamenta in pedes ejus.* Servi enim incedebant sinè calceis; filii verò calcati. Hanc parabolam de Patre Æterno explicans D. Chrysologus (Serm. 1. de duobus filiis) ait: Deum ita diligere pœnitentem, ut ei non solùm stolam gratiæ justificantis, sed etiam pristinos restituat honores: *Paterna pietas contenta non est, innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem.*

Hìc denique Divina redeunt Oracula relata in Sect. præced. Quùm enim Apostolus jussit (1. Cor. 10. v. 13.) *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana*, & promisit: *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*;

non

non jussit, nec promisit solis Justis, sed etiàm peccatoribus. Similitèr, quùm Jacobus [4. v. 7.] testatur: *Resistite Diabolo, & fugiet à vobis*, loquitur absque alicujus exceptione, & nedùm innocentibus, verùm & pœnitentibus, imò & omnibus. Si ergò Adversarii non audent asserere, Deum permittere Dæmoni vim inferre Virgini pudicæ, & sanctæ, & ipsam violenter opprimere: ut consequentèr, & catholicè loquantur, affirmare utiquè debent, Deum non permittere Dæmoni Incubo, vi præcisâ, copulari Mulieri jàm pœnitenti, & prorsùs contradicenti; quamvis hæc priùs consenserit commercio Diabolico.

MONIMENTA SS. PATRUM.

SAnctus Antonius de Padua [Serm. 2. Domin. 1. Quadrag.] *Confessio est terribilis immundis spiritibus; undè dicitur* (*Genes.* 28.): *Quàm terribilis est locus iste? Non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Locus confessionis, imò confessio est terribilis immundis spiritibus. Undè Job* (3.) *Sicut inundantes aquæ, sic rugitus meus. Ad rugitum Leonis omnes bestiæ sistunt gradum: inundantes aquæ subvertunt obstaculum: Rugitus Leonis est confessio pœnitentis: de quo Psal.* (35.) *Rugiebam à gemitu cordis mei. Quo audito, maligni spiritus territi, ad tentationes procedere non præsumunt. Inundantes aquæ, sunt lacrymæ contritorum, quæ totum dissolvunt, & subvertunt quidquid maligni spiritus contrà lacrymas pœnitentis machinantur.*

D. Augustinus [Homil. 50. cap. 3.] *Non vehementiùs Diabolum prosternimus, nec acriores ei dolores infligimus, quàm quùm plagas peccatorum nostrorum confitendo, & pœnitendo sanamus.*

S. Bonav. [Serm. 1. in die Cinerum] *Fructuosa utiquè, & utilis est actio pœnitentiæ ad hominis expiationem, Diaboli spoliationem, Angeli congratulationem, Dei remunerationem.*

S. Joannes Chrysost. (de Pœnit. hom. 3.) *Pœnitentia, est delictorum medicina, iniquitatum consumptio, lacrymarum impensa, ad Deum fiducia, adversùs Diabolum arma. Pœnitentia est spes salutis, & desperationis occasus.*

Idem (homil. 9. in Epist. ad Hebr.) *Pœnitentia multam habet potentiam, etiàm in eum, qui peccatis valdè demersus est: si valuerit, potest eum liberare ex onere, etiàmsi ad ipsum fundum iniquitatis pervenerit.*

D. Cyprianus (de laud. Pœnit.) *O pœnitentia, quid de te nunc referam? Omnia ligata tu solvis: omnia clausa tu reseras: omnia adversa tu mitigas: omnia contrita tu sanas: omnia confusa tu lucidas: omnia desperata tu animas.*

Magnus Greg. (homil. 20. in Ezechiel.) *Pœnitentes fiunt jàm Domino locus suus, qui in peccato positi, fuerant locus alienus.*

S. Zeno (Serm. 7. ad Neophyt.) *Vetus quidèm videtur domicilium, sed novus est inquilinus.*

Euseb. (in Evangel. Matth. 12. v. 43.) in ea verba: *Cùm autèm immundus spiritus exierit ab homi-*

Digitized by Google

ne, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Exponit: *Facilè enim Malignus Spiritus intrat in hominem, & exit ab homine. Quotiès enim homo, & cogitatione, vel locutione, vel operatione nefandum aliquid cogitat, Diabolus adest: si verò ex corde pœnitere incipiat, Diabolus exit: exiens ambulat per loca arida, & inaquosa, eos videlicèt tentando, in quibus malitiæ, & voluptatis humorem non invenit; quoniàm fluxa, & humida quærit. Undè & de eo dicitur:* [*Job* 40. *v.* 16.] *Sub umbrâ dormit, in secreto calami, in locis humentibus, quibus loca genitalia significantur.* At iste locus Evangelicus clariùs lustrabitur infrà.

RATIONUM PONDERA.

I. SI Deus permitteret, Dæmonem, vi præcisâ, opprimere Mulierem peccatricem, sed pœnitentem, id evenire posset: Vel à justitiâ Dei vindicatrice? Vel à reatu relicto à priori peccato Dæmoniaco? Vel à dominio Dæmonis in illam Mulierem? Vel ex omnibus his? Atqui nullo ex capite horum id accidere potest. Ergò &c. Maj. constat ex sufficienti partium numeratione.

678. Min. probatur. Et quidèm I. Ex parte Dei punientis, nimis durum esset, tantam, ac talem infligere pœnam peccatrici jam conversæ ad eum. Quamvis enim illa miserrima, dum erat Succuba voluntaria, *erat nuda, & confusione plena*; ut ait Ezechiel. [16. v. 8.] eò quià serva, & captiva Diaboli Gratiæ Divinæ non habebat vestes, quibus suam tegeret impudentiam, ac impudicitiam; ut notant Sacri Expositores; verùm Miserator, & Misericors Dominus *transivit per eam, & vidit eam*, idèst, ad conversionem movit, & illuminavit ad cognitionem. *Et expandit amictum suum super eam*; juxtà illud Psal. [84. v. 1., & seqq.] *Avertisti captivitatem Jacob: Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab iræ indignationis tuæ.* Quo amictu *operuit ignominiam suam*, nempè, vilitatem illius sceleris tàm execrandi; nam, ex Hugo à S. Charo, *his servatur metaphora Mulieris; genitale enim corporis fœminæ sub hoc nomine ostendit.* Quinimò dixes in misericordiâ, *juravit ei, & ingressus est pactum secum*; idèst, (pergit idem Eminentissimus) *Veniam ei promisit, & pacis actum, ut illa esset Dei in servitio, et Deus illius in præmio. Et sic per hanc sponsionem, facta est illi copulata conjugio.* At quià Sponsus Divinus pascitur intèr lilia, & sordes odit; ante conjugium *lavit eam aquâ* pœnitentiæ, quæ, juxtà Zacchariam [13. v. 1.] *est fons patens in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Sic lotam, & emundatam, *unxit eam oleo*, quo ungi solebant Athletæ ad pugnandum. *Et cinxit eam byssio*, cingulo nimirùm continentiæ. *Et dedit armillas in manibus suis.* Gratiam, scilicèt, fortitèr nicandi, & virilitèr resistendi Diabolo. Calciavit eam hyacintho, idèst, (prosequitur laudatus Hugo) *Per Hyacinthum, de quo hic dicitur, Angelica vita, & conversatio*

sio Virginum significatur. Tandèm, Cœlestis Sponsus *dedit torquem circà collum ejus, inaurem super os ejus, circulos auribus ejus, & coronam decoris in capite ipsius.* Hæc autèm tanta Dei Misericordia, & rigidissima ejus Justitia ergà Mulierem, de quâ loquimur, non coherent. Certè, gravissimum fuit nefas Diabolicum: *Ubi autèm abundavit delictum, superabundavit gratia.* [ad Rom. 5. v. 20.] Si jam conversa, lachrymis lavit maculas criminum, sicque lotam Christus sibi desponsavit; *quæ conventio Christi ad Belial?* [2. Corinth. 6. v. 15.]

679. Præterea, non decet Divinam Justitiam sic punire peccatricem, ut in arcto posita, & in brachiis Diaboli, adhùc nolens patiatur Incubum. Hoc enim supplicio, de novo conversa ad Deum, necessitaretur, necessitate morali, ad pristinum consensum in copulam Dæmoniacam; nam delectatio carnalis jam percepta, quæ ordinariè aliqua post se relinquit vestigia: consuetudo inveterata labendi in illecebras: habitus vitiosus ad Venerem &c. juncta cum violentiâ Dæmonis, non solùm impellerent ad consensum, sed moralitèr compellerent; ut omnes fateri debemus. *Hæc enim consuetudo* (ait Cornel. à Lapide in verba Prov. 18. 3. *Impius, quùm in profundum peccatorum venerit, contemnit*) *necessitatem quamdam peccati adfert: quâ fit, ut homo quasi impos, rapiatur in suas concupiscentias, quibus ultrò se totum mancipavit.* Et D. Laurent. Justin. [de Perfect. grad. cap. 2.] *Volùntaria consuetudo delinquendi, inhabilem reddit hominem ad benè agendum, proclivem ad malum facit, exhibet culpæ obnoxium, & decordinat naturæ bonum, dona gratiæ, virtutum merita.* Rationem reddit Auctor Operis Imperfecti in præcit. locum Prov. *Sicùt quùm infirmus, donèc mediocritèr habet aliquam passionem, & sperat se posse curari, servat se à nocivis escis; si autèm intellexerit, insanabilem se esse, jam non sibi parcit: sic & homo, donèc mediocritèr peccat, & sperat salutem, quantumcunque potest observat se à malo; si autèm grevitèr peccando ceperit desperare, jam nihil dubitat facere, quasi quî jam peccatis suis vincit judicium Dei.* Egregiè quidèm, & scitissimè pro casu nostro. Nam, Mulier illa jam voluntariè succuba, si posteà conversa, contrita, & confessa, adhùc manet, Dei supplicio, mancipata Incubo, minimè obstante ipsiusmet resistentiâ viribus facilè desperat de æternâ salute, de Misericordiâ Divinâ, de liberatione tantæ violentiæ; indè Dæmoni Incubo habenas relaxat, & iterùm se præcipitat in barathrum sensualitatis, in quod priùs voluntariè cecidit, & voluptuosè recubuit. Id autèm, inquàm, non decet Divinam Justitiam, Bonitatem, Providentiam, Fidelitatem &c. & pia fidelium mens refugit credere.

680. II. Ex parte peccatricis non elucet, cur tali puniri debeat permissione, ut adhùc nolens sit Succuba Diaboli. Siquidèm ex Divo Gregorio (25. Moral. cap. 9.) *Peccatum, quod pœnitentia non delevit, mox suo pondere ad aliud trahit.* Vel, ut loquuntur Theologi, peccatum esse potest pœna alterius peccati nondùm dimissi. Atqui peccatrix, de quâ est sermo, supponitur pœnitens, ejusque macula jam deleta, existens in gratiâ, amica Deo,

Digitized by Google

Deo, filia Dei, & Sponsa Christi. Et quamvis in eâ remaneat reatus, seù dignitas ad pœnam luendam, quam Deus infligere potest; pœna autèm nequit esse ad damnationem, sed solùm ad purgationem, & satisfactionem; ut suprà adnotavimus ex Doctore emerito. Sed quæ purgatio in cœno libidinis, & in spurcitiis carnalibus? Quo pacto verum esset, quòd hujusmodi pœna nullo modo foret ad damnationem; si aliquo modo, scilicèt morali, duceret ad damnationem? Necessitaret enim, necessitate morali, ad consensum in concubitum Dæmoniacum & sic consequentèr ad damnationem. Videantur quæ diximus in præcedentibus Sectionibus de hac necessitate morali.

Dices. In eamdem incurreret necessitatem moralem peccandi, atque in damnationem peccator, qui in pœnam peccati incidit in aliud peccatum; nam desertus à Deo, necessitaretur, necessitate morali, ad labendum: & tamèn Deus justissimè hanc infligeret pœnam, scilicèt, subtrahendo auxilium efficax &c. Ergò paritèr, si Deus permitteret, hujusmodi peccatricem tradi in manibus Diaboli, eique succumbere carnalitèr, adhùc nolentem, æquissimè permitteret in pœnam prioris peccati.

681. R. Transeat ant. in sensu explicato Dissert. 1. Sect. 3. nego consequentiam. Maxima etenim est differentia intèr peccatorem actualem, & pœnitentem: ille quippè, proptèr peccatum, quod in se habet, meretur deseri à Deo, ac pœnam æternam, & damnationem: pœnitens verò nil horum meretur; nam pœna æterna, quæ debebatur existenti in peccato, jam pœnitenti commutatur in pœnam temporalem, in purgationem, & non in damnationem. Uno verbo, *Deus non deserit, ni deseratur*: ex Trid. [Sess. 6. de Justificat. cap. 11.] & quià peccator conversus ad Deũ, non desenit, sed amplectitur Deum, eique unitur; ideò & Deus benignissimus illum utique amplexatur, & osculatur.

682. III. Ex parte Dæmonis nullum est jus in Mulierem illam, quæ priùs fuit voluntariè succuba. Quamvis enim hæc, consentiens *illi* sceleri, se tradiderit sub potestatè Diaboli, & fuerit sub istius dominio, dum perseveravit in commercio nefando; attamèn fuit sub tyrannide Maligni quamdiù voluit; undè posteà, nolens ampliùs succumbere, libera manet à servitute, & captivitate *Incubi*. *Jus igitùr Dæmonis in* illam peccatricem, *nunquàm fuit juste acquisitum*: multominùs in pœnitentem aliquod habet imperium; nam pœnitens est in libertatem filiorum Dei. Quòd si Spiritus immundus, jam per pœnitentiam expulsus ab eâ peccatrice, adhùc jactabundus dicit: *Revertar in domum meam, undè exivi*. [Luc. 11. v. 24.] mentitur, eam vocando suam; est enim Christi, cujus pretiosissimo Sanguine lota est ab omni maculâ: est sui arbitrii: est Domina ipsius Dæmonis, & *ejus caput conterere potest*. [Genes. 3. v. 15.] prout fusiùs infrà.

Hic tandèm recurrunt argumenta, & inconvenientia allata in Sect. 4. & 5. præcedentibus, quæ non adducimus, nè iteremus jam dicta.

DIS-

Digitized by Google

683. Miror, quomodò Thomas de Cantipratano credere nullo modo potuit, Deum permittere Virginem illam, omninò invitam, violenter opprimi à Dæmone; & posteà credidit, vi præcisâ Dæmonis, carnaliter cognosci ab Incubo. Allucinatur; quia prius illa dixerat, *se nunquàm in concubitum consensisse: de quo plurimùm admiratus, credere nullo modo potuit, quomodò potuisset hoc permittere Omnipotens.* Deindè credidit illi perjuræ, quia opinatur, *quòd, postquàm de peccato suo amarè flevit, & doluit, potiùs ei concubitus Dæmonis pœna culpæ, quàm culpa fuit.*

Planè, si concubitus iste violentus potuit esse *pœna culpæ*, scilicèt, prioris concubitus voluntarii; quarè *credere nullo modo potuit, quomodò potuisset permittere Omnipotens* primum concubitum involuntarium? Potuisset enim permittere in pœnam Superbiæ, & aliorum criminum illius Virginis: Nonnè Deus est alligatus ad hanc, & non aliam pœnam? Vel punire debet peccatorem pœnâ ejusdem generis, speciei, & individui, ac peccati patrati? Nemo Theologorum hæc audet asserere: potest quidèm, si vult: punit multotiès, permittendo relapsum in idem peccatum: sed liberum est Deo hâc, vel illâ pœnâ punire peccatorem.

Itaquè Doctor iste, sicùt prudès fuit non credendo primæ assertioni illius fœminæ: ita paritèr levis fuit corde, citò credendo ejusdem assertioni secundæ; eò vel maximè, quia convicerat illam de perjurio in primâ confessione. Videantur, quæ scribunt, & docent Criminalistæ, de fœminâ teste: de teste in facto proprio: de teste vario, perjuro &c.

684. Aliud, quod adest exemplum *de Christianâ Moniali, quæ pœnam cujusdam mulieris sit oppressè à Dæmone assumpsit, sed validè conatus evasit, & vicit violentiam Dæmonis*; non infirmat, sed magis confirmat veritatem nostræ sententiæ; imò destruit, quod in fine prioris exempli dixerat: *postquàm de peccato suo amarè flevit, & doluit, potiùs ei concubitus Dæmonis pœna culpæ, quàm culpa fuit.* Nam, exemplum additum de illâ Moniali satis probat, Virginem illam sempèr fuisse voluntariam Dæmonis Concubinam; & falsò dixisse, ac lacrymis testatasse: *Nullâ arte, vel studio potuisse se ab Incubo Dæmone liberari.* Sicùt enim Monialis *validè conata evasit, & vicit violentiam Dæmonis*: ita Virgo illa (sed solo nomine) potuerat viriliter repellere Incubum, & vincere Dæmonis violentiam, quæ nequit esse physica, & absoluta, sed tantùm moralis, & secundùm quid; in eo sensu, quo suo loco diximus cum communi Theologorum. Placuit ergò illi fœminæ scelestissimæ concubitus Dæmoniacus, & hunc sempèr voluit, primò expressè, & posteà saltèm interpretativè.

Dixi num. 683. quòd Deus potuisset permittere primum concubitum Diabolicum, & violentum in pœnam superbiæ, vel aliorum criminum illius Virginis: non quidèm id affirmando, sed arguendo ad hominem contrà Cantipratensem. Cæterùm absolutè negandum est,

est, Deum illum permittere in aliquo casu, etiám raro, in pœnam cujuscumque peccati enormissimi, adhùc non remissi. Quia casus non est permissibilis; utpotè suprà potestatem resistendi; & consequenter repugnans Summæ Bonitati, suavissimæ Dei Providentiæ &c. ex probatis in omni Sectione, quæ repetere non lubet. Sententiam tantummodò Apostoli millies promam [1. ad Corinth. 10. v. 13.] *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis.* Quæ promissio facta est, nedùm justis, seù justificatis, sed etiám peccatoribus; nam D. Paulus loquitur fidelibus, qui erant Corinthi, quorum multi non erant electi, sed aliqui contentiosi, scandalosi, ebrii; ut patet in eádem Epist. c. 11. v. 21. & hic advertit Cornel. á Lapide, Tirinus, Calmet, & alii.

ALIUD EXPLODITUR EXEMPLUM.

685. DOctor eruditissimus, æquè ac fidelissimus in historiis referendis, Cornelius à Lapide, exponens cap. 6. Tobiæ v. 14. & 15. idem allegat exemplum ad probandum, Asmodæum non fuisse incubum Sarræ; & rationem subdit; *quid scilicet illum a tali coitu retineret, si eo ipso eum gaudere faceret?* Ex quo infertur, quòd mulier illa Nunnoti, quam refert Auctor Vitæ D. Bernardi, fuit succuba quamdiù voluit, seu non restitit constantissimè Diabolo.

Quandoquidèm, non credimus totam historiam; sed cum grano salis. Dicitur ibi: *Confugit ad Sacerdotes, & piaculum confitetur: peregrat Loca Sancta, & Sanctorum implorat suffragia; sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla eleemosynarum largitio suffragatur. Quotidiè, ut perhibent, & importunius à Daemone infestatur.* Porrò infestatio Dæmonis, vel fuit in tentando ad concubitum *ut prius, & importunius*, suadendo, alliciendo, & modis omnibus, ac artibus incutiendo metum, timorem, atque terrorem: & in isto sensu, non inficior, id posse accidere, post confessionem, peregrinationem &c. Si verò pro infestatione Dæmonis, *ut prius, & importunius*, intelligitur Concubitus violentus, omninò renuente illâ muliere, nego absolutè, Deum id permittere post Sacramentalem Confessionem, & peccatorum expiationem. Siquidèm, ex suprà citato B. Antonio de Padua: *Confessio est terribilis humanis spiritibus.* Fugere potuit, minari, terrere, Leo infernalis; sed mordere non potuit, nisi volentem; ut sæpiùs diximus ex D. Augustino. *Leonum omnium* (prosequitur S. Antonius) *totum dissipavit, & subvertit quidquid Maligni Spiritus contrà lacrymas pœnitentis machinatur.* Itaquè, ea confessio, vel non fuit vera confessio cum dolore de præteritis, & propósito resistendi Incubo: vel si fuit comitata necessariis; postea tamèn confessa, magnis terroribus Dæmonis perculsa, consensit in pristinum piaculum.

686. Præterea, in isto exemplo considerare oportet, 1. quàm fœmina ex naturâ sua pusillanimis sit; & quàm terribiles fuerint Dæmonis minæ. 2. quòd *vix sunt infestationes*

re-

rabilia: Infernus, & os vulvæ &c. [Prov. 30. v. 16.] 3. quòd ista mulier, voluntariam, & consuetam septem annis habuit rem cum Dæmone, in forma juvenis pulcherrimi, amatissimi &c. 4. Quòd ex habitu pravo, & inveteratâ consuetudine erat sic infirmata, ut desperaret de liberatione: fiducia autèm in Deum est maximè necessaria ad superandum Diabolum, & signantèr in his Succubis; ut ex Brognoli prænotavimus num. 644. 5. Tandèm, quòd Dæmon Incubus facilè redire potest ad Succubam suam, nisi hæc majori resistat conatu, quò si nunquàm succubuisset. His, & omnibus aliis circumstantiis exempli allati benè perpensis, inconcussa permanet nostra sententia: eaque historia allegari debet prò, (proùt affert laudatus à Lapide) & non contrà nostram assertionem.

REFLEXIO.

687. TOtus processus præsentis negotii describitur in Evangelio [Matth. 12. v. 43.] & [Lucæ 11. v. 24.] *Quùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam, undè exivi. Et veniens, invenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Pervicassimus ille humanæ salutis hostis, nunquàm malitiæ suæ otium facit; imò tunc maximè sævit, quùm hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimùm accenditur, dum extinguitur: ut doleat, & ingemiscat necesse est, veniâ peccatorum concessâ, tot in homine mortis opera diruta, tot damnationis titulos jam erasos. Itaque, cum *immundus spiritus* Incubus *exierit* post contritionem, & Confessionem Sacramentalem, à Succubâ priùs voluntariâ, *ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.* Explorat aliorum corda fidelium, si quos gressus ibi figere possit: quod, quia nequit, *Tunc dicit: Revertar in domum meam, undè exivi*, nempè, in illam Succubam: quam suam vocat domum; non quidèm per creationem; quia solius Dei est; sed per antiquum domicilium, & per possessionem jam habitam in eâ, & de eâ: dicit: *Revertar*; non quòd liberum sit illi reverti; sed quia tentat, & conatur reverti ad eamdem Succubam; eò quià expertus est jam se prævaluisse in eam, fuisse dilectum ab eâ &c. & sperat denuò allicere ipsam, proùt priùs allexit, ad concubitum: sibi promittit facilem ingressum in eam, cum quâ diuturnum habuit congressum: domum vocat suam, quam suo insignivit charactere: & ubi aliquid reliquit pessimi seminis prioris vitii, & propensionis iniquæ. *Et veniens, invenit eam vacantem*, idèst, feriantem, & otiosam; nam illa Succuba putat, sat esse peccata semèl fuisse confessa; indè vivit otiosa, & in utramque dormit aurem, oblitâ suorum scelerum. *Invenit eam scopis mundatam.* Scopa mundat tantummodò pulverem, non autèm aufert durum lutum, quod

Digitized by Google

Solo adhæret; opus est ferreo aliquo instrumento, ut Solum radatur; quia scopa non satis est. Ità sordes carnales piceæ sunt, viscosæ, ac tenaces; indè opus est, nedùm scopa confessionis eas mundare, sed magnâ solertiâ, vigilantiâ, & curâ radicitùs evellere. *Invenit eam ornatam.* Lectulus enim, si benè compositus sit, & paratus, invitat ad concubitum: sic mulier, quæ Dæmonem Incubum per Confessionem Sacramentalem expulsit ab animâ suâ, si non tollit occasiones prioris sceleris, excitat illum ad hospitandum in domo suâ, & recumbendum cum eâ. Tunc immundus spiritus inveniens domum illam vacantem virtutibus, & ornatam supellectili deliciarum, *vadit, & assumit septem alios spiritus nequiores se.* Sicùt enim verè pœnitentibus multiplicatur septiformis Spiritus Sancti gratia; ità isti peccatrici, perfunctoriè tantùm pœnitenti, cumulatur omnis Dæmonum injuria. *Et ingressi habitant ibi*, quia non est, qui resistat. *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*, ob gratiæ Divinæ contemptum, ob ingratitudinem ergà Liberatorem, ob timoris Dei abjectionem, ob comparationem Diaboli cum Deo, ejusque præ Deo electionem.

Hic est compendiosus processus Succuborum. Attendamus sententiam diffinitivam. *Facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam* [Psalm. 72. v. 19.]

SECTIO VII.

Violentia Carnis, & Dæmonis ad actus turpes, relata, & propugnata à LAURENTIO APONTE, appenditur in Staterâ Theologicâ.

VIr ille celeberrimus Laurentius Aponte Clericorum Minorum, qui in exponendis Sacris Scripturis haùd infimum tenet locum, fœmellis citò credens, fuit levis corde. Tantus Doctor, in Sapientiam Salomonis [cap. 11. v. 21. homil. 37. §. 2. *de Numero, Pondere, & Mensurâ tribulationum*] tàm egregiè ostendit, Deum nunquam permittere nos à Carne, aut à Dæmone tentari ultrà vires, ut nulla alia requiratur probatio, vel ex Scripturâ, vel ex SS. Patribus, aut ex rationibus ad hanc evincendam veritatem. At posteà, expendens Matth. Evangelium [cap. 8. digressio 2.] quærens: *An vexati à Dæmonibus, & Obsessis, hoc illis semper eveniat propter peccata propria, quæ admiserunt: an verò nullis existantibus peccatis, sed tantùm ad eorum exercitium virtutis, & gloriæ augmentum?* resolvit, id aliquandiù accidisse ad exercitium virtutis, & gloriæ augmentum. Indè, digressionem faciens ad violentiam Carnis, aut Dæmonis, jàm oblitus sanæ doctrinæ, quam tradidit in præcitatum caput Sapientiæ, incidit in errores, quos mox retegam.

CA-

Digitized by Google

CASUS PROPOSITUS, ET PROTECTUS AB EODEM IBIDEM.

688. „ QUædam filia spiri-
„ tualis, sic pura, &
„ virtutis studio-
„ sissima; ut quàm non amplius,
„ quàm quinque esset annorum,
„ perfectam de Christo, ac de ejus
„ SS. Genitrice cognitionem ha-
„ buerit: ipsumque, ac ipsam vi-
„ dens, ac cum eâ alloquens (nè
„ quid amplius dicam). Hæc, sic
„ pura, sic simplex, & quæ nun-
„ quàm incentiva, nè quidèm mi-
„ nima, passa fuerit libidinis; præ-
„ venta à SS. Virgine MARIA,
„ post transactam quamdam affli-
„ ctionem, ut ad alteram se præ-
„ pararet, bonoque esset animo;
„ quià ipsa in ejus esset auxilium,
„ cujus gratiâ, ejusque Filii, libe-
„ ra, immunisque evaderet. Post
„ duos menses, repentè extempo-
„ re, & in instanti, tales Carnis in-
„ centivos est passa, sic vehemen-
„ tes, sic furiosos, tales in partibus
„ pruritus sic efficaces, ut, nullâ
„ voluntatis obsistentiâ sufficiẽte,
„ propriis manibus se refricans,
„ pollutionem sit passa; ignorante
„ penitùs ipsâ quid esset, nequè
„ nomen rei agnoscens à me inter-
„ rogata, si se polluisset. Quid
„ crudiùs? Quid acerbiùs excogitari
„ potest? Quod etiam nec semèl
„ fuerat. Quam omninò immunem
„ à peccato judicavi.

„ At dices; Quid in hoc ca-
„ su feci? Sanè id, quod in simi-
„ libus, & felicissimo exitu eve-
„ nit. Primò, omninò feci, ut me
„ informarent de actibus Voluntatis: de libertate ejus: de con-
„ sensu libero, & coacto, & simili-
„ bus; ut scientificæ evadant, quo-
„ ad possibile; de distinctione in-
„ ter consensum liberum, & ex-
„ tortum, vel violentum.

„ Secundò. Ut nullo modo,
„ neque si Angelus è Cœlo illis di-
„ cat, se consensisse, illum credant;
„ sed semper, usquè ad mortem
„ certando, stent firmitèr, se nun-
„ quàm consensisse; millieſque
„ proponere se non consensuros.

„ Tertiò. Ut solâ Voluntate
„ belligerent fortissimè, quoàd
„ possunt: parùm curando de actio-
„ nibus externis. Undè, etsi ali-
„ qualem adhibere debeant resi-
„ stentiam, tamèn firmâ Voluntate, & omnibus viribus ad confir-
„ mandam recollectis, de cætero
„ parùm curent, sivè ex violentiâ
„ passionis, sivè ex potestate Dæ-
„ monis, aut corpus moveatur, aut
„ manus adhibeatur. Experto cre-
„ dant: externâ obsistentiâ, non
„ solùm nihil efficitur, quinimò
„ crescit tentatio, & in rabiem de-
„ venit. Nàm, semèl jussi, quem-
„ dam funibus se ligare, nè ma-
„ nus ad pudenda admoveret: no-
„ cte, crescente tentatione, in ta-
„ lem rabiem deveniebat, ut den-
„ tibus funes dilaniaret, ac solve-
„ ret. Et ideò experientiâ edo-
„ ctus, nullum magis aptum inve-
„ ni modum, quàm dictum.

„ Quartò. Ut nullum scru-
„ pulum, nullamque de tentatio-
„ ne faciant æstimationem: nul-
„ lam interiorem patiantur in-
„ quietudinem; sed, quoàd fie-
„ ri potest, summâ resignatione,
„ humilitate, ac subjectione in ma-
„ nibus se reliquant Altissimi.

„ Quintò. Ut nulli unquàm

„ suam communicem tentationem: neque ulli unquàm de illà confiteantur. Nam, pauci admodùm sunt sic experti, ut talia non judicent peccata: sicùt & mihi accidit cum hâc filiâ spirituali, me absente, cum altero confessâ, qui inexpertus, in Infernum eam detrudens, infinitis eam oneravit peccatis.

„ Sextò tandèm, frequentia SS. Sacramenti in hoc casu est remedium excellens: sicùt SS. Virginis devotio, ac fervens Magistri oratio. Scio te expectare exitum hujus casus. Mense transacto, sic totum evanuit, ac si non fuisset. Quod, ut jacet, apponere volui; quià Magistris spiritualibus commodum fore spero. Nam hæc & simjlia difficultèr in libris invenjuntur sic practicè, & nisi experientiâ teste.

Demùm in eâdem digressione num. 12. circa finem, sic concludit. „ Omnes quidèm rationes optimæ; sed afferam unam ex secretâ Dei Providentiâ, quam cuidam revelavit: meam sententiam talibus undequàque sanctis vallatam bonis circumstantiis, ut nullus remaneat scrupulus, sententiam esse Divinam. Quædam Sancta Monialis, quùm obstupesceret, ac veluti cum Deo conquereretur, cur tantam, talemque licentiam Dæmonibus in hâc tempestate permitteret, ut sic corpora Sanctorum, ac Sanctarum, viva ejus templa possiderent, affligerent, torquerent, quod vere usque ad stuporem est hoc videre? In ecstasim rapta, talè in fundo animæ audivit responsum, ut mihi retulit: *Filia, in primitivâ Ecclesiâ, per martyrium multos lucratus sum animas, ac totidèm amisi Tyrannorum ense martyrizantium: nunc volo, & martyres efficere, & animas non perdere; idèò licentiam do Infernis Dæmonibus, ut indè excruciet, corpora tormentando, martyres animas efficiant.* Prende sententiam, & non solùm dignam Charitatis Christi eam invenies, sed undequàque sic vallatam, ut impossibile non eam Divinam dicas, sivè ejus objectum consideres, sivè finem, sivè motivum, sivè gravitatem, sivè majestatem, sivè ad quæstum satisfactionem; sivè tandèm occultissimum motivum ratione humanâ penitùs insrutabile.

EXAMINATUR HISTORIA.

689. NArratio præfata, à Prudentibus hyperbolica, & nimis affectata judicatur, à Medicis irridetur; à Theologis proscribitur, tamquam erronea in fide. Quòd enim ea puella quinque annorum fuerit pura, & simplex, nec mirùm, nequè novum in cæteris etiam puellis ejusdem ætatis. Quòd perfectam de Christo, ac de ejus SS. Genitrice cognitionem hauerit, transeat. Quòd cum Christo, ejusque SS. Matre locuta fuerit; credimus; nam *cum simplicibus sermocinatio ejus.* [Prov. 3. v. 32.] Sed quid innuere voluerit Aponte, dum subdidit: *Nè quid amplius dicam*, hujusmodi revelatio videtur

tur suspecta, & plus æquo verborum concinnata.

690. Physici quoquè cachinnantur, dum audiunt, impubem tenellam passam fuisse pollutionem iteratam. Siquidèm, Impuberes nec semen emittunt, nec emittere possunt; testibus Aristotele, Alberto Magno, & aliis apud Paulum Zacchiam [quæst. Medico-Legales lib. 1. tit. 1. q. 4. n. 43., & q. 6. n. 80.].

691. Theologis tandèm multum displicet, quod in casu subdit ille Doctor: *Ut nullâ voluntatis obsistentiâ sufficiente, propriis manibus se refricans, pollutionem sit passa.* Profectò, ex sanâ Theologiâ, Concupiscentia, quantumvis ardens, & vehemens, cogere nequit ad actus externos ex se turpes, renuente prorsùs Voluntate. Nam actus sensuum externorum subduntur Voluntatis imperio, & quidèm despotico. Undè D. August. [8. Confess. cap. 9.] ait: *Imperat animus, ut moveatur manus; & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium.* Et D. Thom. [p. 1. q. 81. art. 3. ad 2.] inquit: *Anima dominatur corpori despotico principatu; quia corporis membra in nullo resistere possunt imperio animæ, sed statim ad appetitum animæ movetur manus, & pes, & quodlibet membrum, quod natum est moveri voluntario motu.* Nec est intèr Catholicos, qui oppositum doceat; nisi in casu, quo passio sit ita vehemens, ut penitùs perimat rationis, & libertatis usum: ut evenit in amentibus; tunc enim actus turpis non esset actus humanus, sed diceretur actus hominis. At in casu, quem refert Aponte, illa puella resistebat Voluntate, & quidèm omni conatu (ut ait); & consequentèr non erat sic mente perturbata, ut nèc discerneret, nèc deliberare posset; poterat ergò imperare manibus ne refricarent pudenda. Quod si dicat, id accidere potuisse violentiâ præcisâ, & absolutâ Dæmonis vim inferentis in illud corpusculum, dicit à nobis hucusquè impugnatum.

692. Præterea, ad ostendendam nimiam credulitatem illius Directoris, & quòd sinè fundamento aliquo putavit eos pruritus vehementes, & furiosos suæ filiolæ spiritualis, processisse á Dæmonis violentiâ; adverto ex communi Medicorum, quòd *pruritus pudendorum est morbus naturalis valdè molestus, ortus ex humore salso, descendens magnâ cum acrimoniâ, & mordacitate in verenda Viri, aut Fœminæ.* Ita Aëtius [tom. 4. serm. 4. cap. 82. de Satyriasi; & cap. 68. de uteri strangulatione; & cap. 74. de furore uterino]. Petrus Paulus Rosada Valentinus [in method. curandi e. de uteri suffocatione]. Masseado [de affectionibus mulierũ lib. 2. cap. 10.]. Rodericus à Fonseca [tom. 2. Consult. 68 lit. D.]. Castro [de morbis mulierum lib. 2. cap. 11.]. Marquardus [in pract. lib. 2. cap. 8.]. Plateus [in pract. tom. 2. v. genera cap. 17.] ubi ait: *tantam molestiam pruritum parere, ut ad fricandam, dilacerandamque cutem unguibus, aliovè impellat.* Et Paul. Zach. [Quæst. Medico-legales lib. 1. tit. 1. q. 22. n. 11.] inquit: *furor uterinus, est uteri ipsius super excalefactio cum delirio circà Venerem, & ad eam pertinentia: in eam enim, adeò acutis stimulis exagitantur, ut penè in furorem agantur; garrulæ enim evadunt, & circà Venerem*

rem

rem quamplurima effutiant.

Hæc si resciviſſet ille Confeſſarius, vel Phyſicos conſuliſſet, non violentiæ Dæmonis, ſed morbo naturali imputaſſet pruritus illos ſuæ filiolæ ſpiritualis.

DOCTRINA EJUSDEM AUCTORIS TRUTINATUR.

693. PRimò, pro primâ regulâ caſus propoſiti, diſtinguit *conſenſum liberum à coacto: conſenſum liberum, & extortum, vel violentum.* Sed ex quâ Theologiâ didicit hujuſmodi diſtinctionem? Eſtò Voluntatis conſenſus dici poſſit extortus, precibus, ſcilicèt, importunis, minis, ſeù metu gravi; nunquàm tamèn eſſe poteſt violentus. Conſenſus enim eſt actus elicitus Voluntatis; atqui nulla violentia, quæcunquè ſit illa, poteſt facere, ut actus eliciti à Voluntate ſint involuntarii. Ergò Voluntas cogi nequit quoàd ſuos actus elicitos. Nam, actus eſſentialitèr voluntarius, nunquàm eſſe poteſt coactus; voluntarium enim, & coactum ex naturâ rei opponuntur: atqui omnis actus à Volũtate elicitus, eſt eſſentialitèr voluntarius; quia eſt, ut ſupponitur, à principio intrinſeco cum cognitione; quùm omne coactum ſit ab extrinſeco. Porrò, illud dicitur coactum, quod eſt à principio extrinſeco contrà inclinationem Voluntatis: cujuſmodi eſſe nequit actus Volũtatis elicitus; etenim ipſiſſima Voluntatis inclinatio implicat, ut ſit contrà Voluntatis inclinationem: ſed actus eliciti Voluntatis ſunt ipſa voluntatis inclinatio. Hinc D. Anſelmus [de liber. arbitr. cap. 6.] inquit: *Invitus neme poteſt velle aliquid; quid non poteſt velle, nolens velle.* Vellet autèm nolens, ſi cogeretur ad volendum, ſeù ad conſenſum. Hinc D. Auguſt. [lib. 1. contrà duas Epiſt. Pelagian. cap. 18.] ait: *Nèc ex Dei potentiâ, vel in malum, vel in bonum, invitum aliquem cogi.*

694. Proindè [in cap. Merito 15. q. 1.] & [L. Similitèr §. penult. & cap. *Vides* 23. q. 6.] ſtatuitur, quòd *Coacta voluntas, voluntas eſt ſimpliciter*; Voluntas enim non patitur coactionem, ſeù violentiam, niſi conditionalem, & ſecundùm quid; ut omnes fatentur Doctores. Quæ coactio, ſeù violentia non excuſat in re intrinſecè, & ex objecto mala. At in caſu noſtro agitur de re venereâ, quæ nèc admittit parvitatem materiæ. Ad quid ergò illa diſtinctio inter conſenſum liberum, & coactum? Judicent Doctores Catholici.

695. Secundò, dat præceptum: Ut nullo unquàm modo, neque ſi Angelus è Cœlo illis dicat, ſe conſenſiſſe, credant &c. Hæc locutio malè ſonat. Si docuiſſet, ut nullo modo crederent Diabolo, benè dixiſſet: *Diabolus enim mendax eſt, & pater ejus* [Joan. 8. v. 44.] nempè mendacii; Angelus verò è cœlo poteſt in myſticis edocere hominem; ut cum S. Dionyſio (de Cœleſti Hyerarchia cap. 7., & D. Thom. q. 12. de Veritate art. 8. ad 4.) omnes ſentiunt Myſtici. Locutio igitùr Laurentii Aponte, eſt in ſe nimis dura, & plus æquo mollis erga filias ſuas ſpirituales.

696. Prætereà, undè in Fœminis tanta ſecuritas, talis fortitudo, *ut ſtent firmitèr ſe nunquàm conſenſiſſe; etiamſi Angelus è Cœlo illis*

Digitized by Google

illis dicat, se consensisse? Salomon ait: [Prov. 31. v. 6.] *Mulierem fortem quis inveniet?* Quià fœmella dixit, vel flendo, sibi displacuisse actus, & tactus illos obscœnos, eosque commisisse ex vi præcisâ Dæmonis; ideò tantus Doctor plenam adhibet fidem ejus verbis? Quis prudens citò credidit mulierum lachrymis? Ignorare non debebat, quod S. Isidorus Hyspanus experientiâ docuit [lib. 2. de Synonim. cap. 16.] *Quamvis veri sint, credenda non sunt, nisi quæ certis indiciis demonstrantur: nisi quæ ordine judiciario publicantur.* Et [lib. 2. de Summo Bono cap. 31. sent. 5.] *Interdùm falsis lachrymis seducti* decipimur, quùm credimus, dum plorant, iis, quibus credendum non erat.

697. Tertiò, maximè dolendum, quòd Aponte subdidit: *Ut solâ voluntate belligerent fortissimè, quoàd possunt: parum curando de actionibus externis; sivè ex violentiâ passionis, sivè ex potestate Dæmonis, aut corpus moveatur, aut manus adhibeatur.* Nonnè hæc fuit ipsissima fœda doctrina Michaelis Molinos. Ex istâ graveolenti cloacâ prodierunt immundissimæ propositiones illius Magistri Spurcitiarum, intèr damnatas ab Innoc. XI. num. 17. *In tentationibus, si natura commoveatur, oportet sinere ut commoveatur, quià est natura.* Et alia num. 41. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiàm non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat eorum corporibus; easque actus carnales committère faciat, etiàm in vigilia, & sinè mentis offuscatione, movendo physicè illarum manus, & alia membra contrà earum voluntatem: & idem dicitur quoàd alios actus per se peccaminosos: in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.*

698. Omnes autèm Theologi, imò & ipsimet Philosophi, uno ore proclamant, quòd homo vigilans, & cum rationis advertentiâ operans, est Dominus suarum operationum. Et quamvis sæpè experiamur, quòd membra genitalia concitentur, & moveantur contra voluntatem; attamèn his motibus virilitèr, & omni conatu resistendum. Multò fortiùs tenere debemus manus, aliaque membra, quæ subduntur disposito imperio Voluntatis; dicente Divo Augustino (lib. 14. de Civit. cap. 23.) *Quùm alia membra retinentur, sinè quibus illa, quæ contrà voluntatem libidine concitantur, id quod appetunt, implere non possunt, pudicitia custoditur.* Et (tract. 41. in Evang. Joann. in verba Apostoli ad Rom. 6. Non ergò regnet peccatum &c.) ait: *Non fiat, quod jubet. Surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum, noli dare iræ manum, aut pedem ad feriendum.... Tolle illi regnum: non habet arma, undè contrà te pugnet: discet etiàm non surgere, quùm arma ceperit non invenire. Non exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed induite arma justitiæ; alioquin toti captivi eritis, & non erit dicere* (N.B.) *mente servio Legi Dei. Mens enim si teneat arma sua, jam membra non moventur in ministerium furentis peccati. Hoc age interim quandiù sunt illicitæ concupiscentiæ in carne tuâ: posi concupiscentias tuas non eas.... Noli tu*

dare

Digitized by Google

dare concupiſcentiis tuis vires: ſequendo eas, vires eis addis; dando vires, quomodò vincis, quandò contrà te inimicos nutris viribus tuis? Et (ſerm. 3. in Pſalm. 118.) loquendo de concupiſcentiâ, quæ à Trid. [ſeſſ. 5. in decreto de Peccato Originali can. 5.] appellatur peccatum, quiâ ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat; inquit: *Undè intelligere debemus, quandò peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis; Tunc nos id non operari, quandò nequaquàm ei voluntas noſtra conſentit, & tenet etiám* (N. B.) *corporis membra, nè obediant deſideriis ejus. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, niſi ſola illicita deſideriu? Quibus ſi voluntatis non adhibeatur aſſenſus, movetur quidem nonnullus affectus, ſed nullus ei relaxatur effectus.* Tandèm [ſerm. 128. de Verb. Evang. Joan. 5. cap. 10.] *Noli armari Adverſarium tuum contrà te. Tene pedes, nè eant ad illicita. Libido ſurrexit, tene tu membra: tene tu manus ab omni ſcelere: tene tu oculos, nè malè attendant: tene aures, nè verba libidinis libentèr audiant: tene totam corpus: tene latera: tene ſumma: tene ima. Quid facit libido? ſurgere novit, vincere non novit.* Quid clariùs ad oſtendendam neceſſitatem reſiſtentiæ externæ?

699. Nèc minùs dolendum de ratione, quâ firmat errorem; quia, ſcilicèt, *Externá obſiſtentiá, non ſolùm nihil efficitur, quinimò creſcit tentatio, & in rabiem devenit.* Bone Deus! Nonnè inutilitèr, tum Viri Sanctiſſimi, tum Virgines pudicæ obſtiterunt carnis tentationibus, obſiſtentiâ etiam externâ? Si *nihil efficitur obſiſtentiá externâ*; cur meus Patriarcha Franciſcus, D. Benedictus, aliique Chriſti Athletæ, ad extinguendam libidinis facem, nunc nivem adhibebant, nunc urticarum manipulos, nunc flagellationem cruentam, nunc alia mortificationis inſtrumenta, quibus carnem ſubjecerunt ſpiritui? *Si obſiſtentiá externá creſcit tentatio, & in rabiem devenit*; quarè Apoſtolus [ad Coloſs. 3. v. 5.] præcepit: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam?* Et de ſemetipſo teſtatur (1. Corinth. 6. v. 9.) *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo.* Undè D. Auguſt. (de Perfect. Juſtit. cap. 8.) *Quoniám in caſtigatione corporis frænatur concupiſcentia.*

700. Rursùs, intelligi nequit loquela Laurentii Aponte: *Belligerent fortiſſimè, quoàd poſſunt, ſolâ voluntate; parùm curando de actionibus externis; ſivè ex violentiá paſſionis, ſivè ex poteſtate Dæmonis, aut corpus moveatur, aut manus adhibeatur.* Nam Voluntas, utpotè Regina potentiarum, etiam executivarum, in prælio tentationum tunc belligerat fortiſſimè, quoad poteſt, quùm imperat omnibus potentiis ſibi ſubordinatis, ut obſiſtant tentationibus: & conſequentèr dum prohibet, & jubet manibus, nè admoveantur ad pudenda, ſed potiùs apprehendant diſciplinas &c. Tunc, inquam, belligerat fortiſſimè, & quoàd poteſt, quandò utitur membris corporis, tamquam armis, ad expugnandam Carnem. Hinc D. Auguſt. (lib. 6. contra Julian. cap. 7.) ſic arguit: *Quomodò obtemperat Apoſtolo dicenti: mortificate fornicationē; niſi quùm diſ-*

Digitized by Google

desideria ejus, quibus non consentit, expugnat, quæ in benè facientibus, & omninò non fornicantibus, nèc consensione, nèc opere (N.B.) *etsi non desunt, tamèn quotidiè minuuntur? hoc igitùr in templo Dei, quandò, adjuvante Deo, agitur, quod præcepit Deus. Opera spiritus eriguntur, opera carnis mortificantur. Si enim secundùm carnem vixeritis, inquit ad Rom. 8. moriemini; Si autèm spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Et (serm. 51. aliàs 45. de Verbis Apostoli c. 3.) ait: *Rebellant, rebella: pugnant, pugna: expugnant, expugna. Hoc solùm vide, nè vincant.*

701. Exemplum allatum ab eodem Doctore Laurentio Aponte, apertissimè ostendit ejus perniciosissimam doctrinam. Non inficimur, quòd in tentationibus Luxuriæ, aliquandiù consultissimum est remedium, de eis parùm curare; non quidèm in sensu Pseudo-Mysticorum, & ipsius Aponte; sed quatenùs cum eis disputare non debemus; sed mòx mentem applicare ad alia objecta licita, vel sancta, aut honesta. Exemplum dedimus [Dissert. 2. Sect. 2.] de eo, qui cum sævissimâ belluâ colluctatur: si enim per violentiam, aut vim conaretur eam subjugare, quantumcumque illam humi jacentem teneret, magis ferveſcentem redderet, ac furiosam. Si autèm industriâ, & arte vires ei eriperet, & debilitaret, nullam illius (reportatâ victoriâ) furiam experiretur, nec ferveſcentiam. Sic in tentationibus impuris: si per violentiam tentatur compesci Appetitus, potiùs inardescit, & magis accenditur. Undè Angelicus Doctor (2. 2. q. 35. art. 1. ad 4.) docet: *Impugnatio peccati, quandòque est vincenda fugiendo, quandòque resistenda: fugiendo quidèm, quandò continua cogitatio auget peccati incentivum, sicùt est luxuria.* At in exemplo allato à Laurentio Aponte, res est toto Cœlo diversa; ut sistamus in colluctatione cum belluâ. Si quis parùm curaret de canis latratu, & pertransiret, tamquàm surdus non audiens: benè quidèm, & prudentèr ageret: at si parùm curaret de ejus morsibus, insanus esset, & stultus. Jàm in re nostrâ: Concupiscentia est Molossus terribilis; indè multòtiès expedit parùm curare de ipsius latratu, idèst, de suggestione; at semper curare debemus, nè dentes infigat, nè discerpet, nè cruentet nos: quod certò eveniret, si perveniret ad opus consummatum. Itaque, quòd *ille funibus ligatus, nè manus ad pudenda admoveret, nocte crescente tentatione, in talem rabiem devenichat, ut dentibus funes dilaniaret, ac solveret?* Quid indè? Tanta rabies relinquebat illum hominem sui compotem, an non? Si ejus mens sana erat, & libera; cur dentes non tenuit, nè funes dilaniarent, ac solverent? Rabies enim libidinis excitare potest, non autèm compellere ad opus pravum; ut omnes clamant Catholici contrà Lutherum, Calvinum, aliosque spurcitiarum patronos. Itèm, Voluntas dispoticè dominatur ori, dentibus &c. Si verò in tantam devenit rabiem, ut insaniret, nèc esset sui compos; tunc discurrere debemus de tali homine, *veluti de Equo, & Mulo, quibus non est Intellectus.* [Psalm. 31. v. 9.]

702. Ex quo vides, quàm illegitima, & erronea fuerit ea consequentia Aponte: *Ideò experientiâ edoctus, nullum magis aptum*

Digitized by Google

inveni modum, quàm dictum, nimirùm, partim curare, sivè ex violentiâ passionis; sivè ex potestate Dæmonis, aut corpus moveatur, aut manus adhibeatur. Certò certiùs, dum quis indulget carnis oblectamentis, suasionibus, incitamentis: dum manum admovet ad pudenda consummat pollutionem, modum invenit sedandi pruritum venereum; nam *habito fine, cessat motus*, habet axioma philosophicum. Verùm, quòd iste modus sit magis aptus ad sedandam conscientiam; est dogma hæreticum. Fides enim docet: [Sap. 10. v. 12.] *Certamen dedit illi forte, ut vinceret.* Et [Eccli. 4. v. 33.] *Pro justitiâ agoniza, & usque ad mortem certa.* Undè Apostolus [ad Hebr. 12. v. 4.] ait: *Nondum usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.*

703. Fatemur & nos Carnis vehementiam, & Dæmonis potentiam: quamobrèm ingemiscimus cum D. Paulo [2. ad Corinth. 12. v. 7.] *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*, sed catholicè credimus, & firmitèr confitemur, quòd, nèc Carnis tentatio, quantumvis vehementissima; nèc Dæmonis quælibet potentia, cogit nos ad actus ex objecto malos. Hinc D. Thom. [2. 2. q. 1. 56. art. 1.] docet: *Unumquodque attribuitur magis ei, quod est causa per se, quam ei, quòd solùm occasionem præstat: id autèm, quod est causa ex parte corporis, solùm occasionem præstat inconstantiæ; ex dispositione enim corporis potest contingere, quòd insurgant passiones vehementes in Appetitu sensitivo, qui est virtus corporis organici; sed hujusmodi passiones, quantumcumque vehementes, non sunt efficiens causa incontinentiæ, sed occasio sola; eò quòd, durante usu rationis, semper homo potest passionibus resistere. Si verò passiones adeò insurgunt, quòd totaliter auferant usum rationis: sicut accidit in iis, qui propter vehementem passionem amentiam incurrunt; non remanebit ratio continentiæ, neque incontinentiæ; quia non salvatur in eis judicium rationis, quod continens servat, & incontinens deserit. Et sic relinquitur, quòd, per se causa incontinentiæ sit ex parte animæ, quæ ratione passionibus non restitit &c.* Quod priùs idem Doctor Angelicus docuerat [1. 2. q. 14. art. 5.] ubi ait: *Ratio dupliciter habet actum: unum quidèm secundùm quid in comparatione ad proprium objectum, quod est cognoscere aliquod verum. Alius autèm rationis actus est, in quantum est directiva aliarum virium. Utroque ergò modo contingit esse peccatum in ratione: & primò quidèm in quantum errat in cognitione veri, quod quidèm tunc imputatur ei ad peccatum, quandò habet ignorantiam circà id, quod potest, & debet scire. Secundò, quandò inordinatus actus inferiorum virium vel imperat, vel etiam post deliberationem non coercet.* Alia sunt S. Præceptoris testimonia [1. 2. q. 20. art. 1. & 2. & 1. p. q. 114. art. 3.] Videatur nostra Dissert. 2. Sect. 3. & 4.

Quoad violentiam Dæmonis, satis abundè diximus per totam hanc Dissertationem. Hìc unam, vel alteram addimus sententiam D. August. [lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 27.] *Tentandi voluntatem habet Diabolus; in potestate autèm, nec ut faciat habet, nec quomodò fa-*

Digitized by Google

facies. [& cap. 22. in Joan.] *Non enim cogendi potentiam Diabolus habet, sed persuadendi versutiam.*

Dices: Quamplurimi Doctores opinantur, patientem morbum pruritus, posse licitè refricare pudenda ad illum sedandum, etiamsi adsit periculum pollutionis; dummodò non sit periculum consensus. Imò aliqui putant id licere, adhùc cum periculo consensus. Ergò, vel pruritus proveniat violentiâ Carnis, vel Dæmonis, fas est admovere manum ad verenda; estò sequatur indè pollutio.

704. R. Ea opinio non benè olet, saltèm in praxi. Undè Sanchez, qui eam docuerat (de Matrim. lib. 9. disp. 17. n. 19.) posteà se corrigens (in Decal. lib. 5. cap. 6. n. 12.) ait, non licere. Verùm, data, & non concessa tali opinione; nego consequentiam. Disparitas est, quia pruritus ortus ex morbo, & causatus ex humore salso, per se non tendit ad Venerem; ideòque refricans pudenda affecta tali acrimoniâ, repellit tantummodò illam morbosam qualitatem: quòd si exindè sequitur pollutio, sequitur per accidens. At pruritus procedens ex Concupiscentiâ effreni, seù à Carne, naturalitèr, vel ope Dæmonis alteratâ, tendit ad effusionem seminis. Undè, in isto secundo casu fricto pudendorum juvaret ad magìs excitandos spiritus ad ejiciendum semen; & esset causa proxima, ac per se influens in pollutionem.

705. Quartò. Laurentius Aponte prosequitur viam Quietistarum, dum suis filiis, & filiabus spiritualibus jussit: *Ut nullum scrupulum, nullamque de tentatione faciant æstimationem: nullam interiorem patiantur inquietudinem; sed, quoad fieri potest, summè resignatione, humilitate, ac subjectione in manibus se relinquant Altissimi.* Hæc doctrina est affinis erroribus Beguardorum, qui delirantes dicebant: *Foràs emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores.* Et coincidit cum propositionibus Michaelis Molinos, intèr damnatas ab Innoc. XI. n. 9. 11. 17. & 37. quarum ultimam solùm referam: *Quùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum; sed permanere debet homo in suo nihilo; & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejores, non est opus seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores.*

Hæc manifestasse, sat est confutasse; hi enìm sunt, de quibus Jeremias [cap. 7. v. 14., & 15.] loquitur: *Dicentes: Pax, pax: & non erat pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt; quin potiùs confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt; quàm ob rem cadent intèr ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus.*

Porrò, si *nullum scrupulum, nullamque de tentatione facere debemus æstimationem*; Igitùr abs re loquutus fuit Apostolus (ad Ephes. 5. v. 15.) *Videte quomodò cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes.* Et (1. ad Thes. 5. v. 21.) *Omnia autèm probate: quod bonum est tenete: ab omni specie mala abstinete vos.* Si nullam de tentatione facere debemus æstimationem; cur ergò Christus præcepit (Matth. 26. v. 41.) *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Spiri-*

tus quidem promptus eſt, caro autem infirma? Vigilare debemus, nè introeamus in tentationem; & quùm fuerimus jam intrati in eam, fas eſt dormire ſopore gravi? *Si nullam inferiorem partem aperiret ingreſſum diræ,* dum urget Carnis tentatio, ſollicitat, premit; poſſumus ergò, imò & debemus nil curare de rabido Serpente, dum eum habemus in ſinu? Indè incongruè prædicavit Apoſtolus (ad Epheſ. 6. v. 11.) *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias Diaboli. . . Stote ergò ſuccincti lumbos veſtros in veritate. . . Vigilantes in omni inſtantiâ &c.* Inanitèr Coapoſtolus Petrus (Epiſt. 1. cap. 5. v. 8., & 9.) hortatur: *Vigilate, quiâ Adverſarius veſter Diabolus, tanquàm Leo rugiens circuit, quærens quem devoret: Cui reſiſtite fortes.*

706. Audiamus SS. Patres, & attendamus quid ſentiant de hac ſtultâ ſecuritate, ac quietudine Molinoſâ.

D. Auguſtinus [ſerm. 2. in Sabb. poſt Dom. Quinquageſ., & in ord. 63.] *Nemo eſt tantâ firmitate ſuffultus, ut de ſtabilitate ſuâ debeat eſſe ſecurus.* Et (ſerm. 3. Dedicat. Eccleſ.) *Cavendum eſt, nè quis, ubi ſummum periculum eſt, in ſuâ ſit ſecuritate ſecurus.* Et (lib. de Pat. Domini cap. 22.) *Si vis pacem, & ſecuritatem veram habere, vide nè unquàm ſecurus ſis: ſciens pro certo, nihil tibi tam timendum, quàm præſentem ſecuritatem, quæ ſinè dubio æternam generat Dominum.*

D. Hieronym. (Epiſt. 14. ad Cœlantiam.) *Timor virtutum cuſtos eſt: ſecuritas ad lapſum facilis.*

S. Gregor. [lib. 2. Moral. cap. 22.] *Sæpè quem tentationis certamen ſuperare non valuit, ſua deteriùs ſecuritas ſtravit.* Et (lib. 9. cap. 7.) *Sæpè mens, dum de virtutis ſuæ ſecuritate reſolvitur, inſidiante Adverſario inopinatè culpæ telo perforatur.* Et (lib. 20. cap. 5.) *Sæpè multis grave periculum, incauta ſecuritas fuit: ac callidis laſtis inſidiis, non tentati, ſed jam proſtrati cognoſcerent.*

D. Bonavent. (in Eccleſiaſten cap. 9.) *Ex ſecuritate naſcitur voluptas.* Et [ſerm. 2. Dom. 3. poſt Paſch.] *Oſculum Diaboli eſt falſa ſecuritas.*

S. Cæſar. Arelat. (homil. 34.) *Tunc maximam impugnationem ſuſtinet, quando ſe quis impugnari non ſentit.*

S. Cyprian. (Epiſt. 62. ad Pomponium cap. 1.) *Nemo diù ſuus periculo proximus.*

D. Chryſoſt. (homil. 3. Oper. Imperfect.) *Qui ſecurus eſt, non timet: qui non timet, nec cavet: qui autem non cavet, quandò ſperet, ſupplantatur à Diabolo, & dejicitur.* Et (homil. 31. ibid.) *Multò magìs laborioſum eſt in ſecuritate concupiſcentias vincere, quàm in periculo divitias poſſe contemnere.*

D. Laurent. Juſtin. (in Speculo Amoris cap. 2.) *Quid tibi proſit aquoris evaſiſſe procellas, maris-que pertranſiſſe pericula, & in portu pro negligentiâ perire?* Multi namque pereunt ſecuritate: periculo, quippè, hominem circumſpectum, vigilantem, ſollicitum, & robuſtum faciunt: ſecuritas, dormitantem, lentum, impudentem, & remiſſum. Et (de Diſcipl. Monach. cap. 14.) *Donec vivis caro, donec Diabolus inſidiatur, nulla eſſe ſecura: nullum locum, nullum tempus in-*

Digitized by Google

inveniat, in quo veleas esse securus.

Alia omitto PP. testimonia; hæc enim allata sufficiunt, ut *confundantur omnes iniqua agentes superbiæ* (Psalm. 24. v. 4.)

707. Quintò Concludit Laureatius Aponte: *Ut nulli unquàm suam communicent tentationem; neque ulli unquàm de illâ confiteantur; nam pauci admodùm sunt sic experti, ut talia non judicent peccata.* En error pejor priori, & cognatus illi Michaelis Molinos: qui Propos. 47. inter proscriptas ab Innoc. XI. ait: *Quum hujusmodi violentia occurrunt . . . . . præ omnibus non opus est hæc confiteri.* Mavult iste Director, & jubet suis pœnitentibus, ut potiùs jaceant in carnis sentinâ fœtidissimâ, quàm vadant, & ostendant se Sacerdotibus, ut mundentur ab omni libidinis inquinamento. *Visitabo super viros defixos in fæcibus suis*, ait Dominus [Sophon. 1. v. 12.] Undènam hausit doctrinam tam fœtulentam: *Ut nulli unquàm suam communicent tentationem; neque ulli unquàm de illâ confiteantur?* Omnes Mystici, omnesque PP. docent, commendant, & jubent, nedum Religiosis, sed & iis, qui student Virtutibus, ut Confessori totam aperiant conscientiam, omnem communicent tentationem, signanter libidinosam; præsertim verò si pervenerit ad opus; proùt in casu proposito. Non tedeat iterùm audire SS. Patres.

D. Gregor. [in septem Psal. Pœnit. in Psalm. 2. v. 5.] *Quandò, & ubi, & quomodò: sive vel ignorantiâ, vel casu, vel studio quisque deliquerit, confiteatur.* Et [lib. 7. Moral. cap. 3., ac lib. 3. Pastor. admonit. 15.] *Vulnera clausa plus cruciant, quàm quùm putredo, quæ intrinsecùs fervet, ejicitur ad salutem, dolor aperitur.*

S. August. [de 21. sententiis sent. 33.] *Non parvum malum est, ad defendendum peccatum, à medicamento Confessionis aversi.* Et [lib. Soliloq. Animæ cap. 4.] *Sacerdotem Angelum Dei existimâ: aperi ei penetralium tuorum abditissima latibula, conscientiæ verecundæ, pœnitiora revela repagula.*

D. Bernard. [Epist. 113. in illud Psalm. 95. Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus]: *Res verò ubi Confessio, ibi pulchritudo, ibi decor; si peccata sunt, in Confessione lavantur; si bona opera, mundantur.*

S. Antonius Abb. [in Vitâ PP. p. 2. §. 104.] *Si potest fieri, quot passus ambulat Monachus, vel quot Calices aquæ bibat in Cellâ suâ, habet declarare Senioribus, ut non devietur in ipsis.*

D. Basilius [In quæst. fusiùs disp. resp. 24.] *Debet unusquisque eorum, qui inferiores sunt, nullum animi sui motum apud semetipsum celatum retinere. Hoc enim modo fiet, ut, & quod laude dignum sit, in nobis confirmetur, & quòd minùs probandum, congruo remedio sanetur.*

Cassian. [collat. 2. Abb. Moysis cap. 10.] *Tandiù suggestiones Dæmonis nexiæ dominantur in nobis, quamdiù celantur in corde. Illicò enim ut patefactæ fuerit cogitatio maligna, marcescit: & antequàm discretionis judicium præferatur, Serpens teterrimus, velut è tenebroso, & subterraneo specu, virtute confessionis protractus ad lucem, & traductus quodammodò, ac dehonestatus abscedit.* Et [lib. 4.

de

de inst. renunc. cap. 4. *Certum namque, & evidens judicium Diabolicæ cogitationis esse, pronuncient* (Patres) *si eam Seniori confundamus aperire.*

708. Nèc ratio, quam affert Laurentius Aponte, *ut nulli unquàm de eâ* (tentatione violentâ Carnis, aut Dæmonis, quæ & opere turpi consummatur) *confiteantur*; ob id, *quiá pauci admodùm sunt sic experti, ut talia non judicent peccata*; dici potest ratio; sed potiùs vera ejus præsumptio, & mera deceptio. Præsumptio quidèm, quiá existimat se aliquid esse magnum, & non sicùt cæteri hominum. Cur *pauci sunt sic experti, ut talia non judicent peccata*? Nonnè, quiá, tot post sæcula, Confessores, Directores, Doctores, adhùc non didicerunt hanc sententiam experimentalem? Nonnè, quiá & SS. Patres illam ignoravere? Nonnè, quiá casus est novus, tentatio nova, doctrina nova, quæ non fuerit sæculis retroactis? Hæc sunt deliramenta, quæ improbat Apostolus (ad Hebr. 13. v. 8. & 9.) *Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

709. Est & deceptio. Nam adhùc dato, & nunquàm concesso, quòd *pauci sunt sic experti, ut talia non judicent peccata*; Quid indè? Ergò *nulli unquàm de eâ* (tentatione usquè ad opus consummatâ) *confiteantur*? Hæc consequentia, quàm sit illegitima, quàm dissona, quàm pernicioſa, patet omnibus Catholicis. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea*, dicebat David (Psalm. 31. v. 3.): quem locum exponens D. August. ait: *Remansit in vetustate, qui confitendo noluit habere novitatem.* Omnes Mysticæ Magistri oppositum docent, nempè, debere nos confiteri, nedùm peccata, sed & tentationes ad peccata, & signantèr tentationes impuras, & aperire omnia Confessario, seu Directori, etiam ignaro. Hæc semper fuit praxis omnium SS., & eorum, qui effugere voluerunt Dæmonis insidias, & insultus. Tot intèr Mysticæ Præceptores, unum, & alterum referam Societatis Jesu. P. Franciscus Stadiera (Inganni dell'vivere Cristiano parte 2. tratt. 5. cap. 7.) hæc habet:

„ Se con la debita semplicità, e
„ confidenza si scuopre tutto al
„ Padre Spirituale; benchè ancora esso non sia gran savio, nè così santo; nulladimeno si vedrà
„ quell'Anima caminare a gran
„ passi nel corso di ogni virtù. Si
„ leggano, e *considerino* li gran
„ progressi de' maggiori *Santi* di
„ questa età, che tutti andarono
„ per questo sentiero della sincerità verso li loro Padri Spirituali:
„ tantocchè S. Ignazio Fondatore
„ della Compagnia di Gesù, così parlava verso il Signore:
„ *Si vel Catulum Præceptorem mihi, & perturbatæ mentis pacificatorem dederis; ego verò non recuso: libentèr illum ducere, illum vitæ Magistrum, te auctore, sequar.* (Ribad. in vitâ lib. 2. cap. 6.)

Alium afferam, idèst, Paulum Segneri, cujus doctrinam, & sanctitatem sua prædicant Opera. Tantus Theologus, & in Mysticâ eruditus, prudens, & expertus, sic docet (Manna dell' Anima 8. Maggio in ea verba Apostoli ad Ephes. 6. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias*

Dia-

Diaboli; punct. 5.) postquàm advertit, nullam Dæmonis esse vim, quâ possit nos cogere ad malum, multaque tradidit salutaria documenta ad resistendum Tentatori; tandèm Meditationem illam sic concludit. „ Tu anzi ti atterrirai „ à quanto si è detto, nè crederai „ di poter mai resistere ad un Esercito di così maligni nemici. Ma „ fatti cuore, perchè non senza „ ragione disse l'Appostolo, che „ tutto il loro Regno sta nelle tenebre: *Mundi Rectores tenebrarum harum*; come vengono a „ luce, han perduto il Regno. „ Però quì sta la salvezza, che tu „ gli sappi far tutti venire à luce, „ con uno scoprimento intensissimo di coscienza. La dove senza „ questo, misero te! sei facilmente perduto. E' dunque necessario di armarsi colla orazione; come da principio io ti dissi; ed è „ necessario di armarsi coll'esercizio delle virtù. Mx che ti vagliono l'armi, se tra le tenebre „ non discerni il nemico? O', se ingannato alla voce, ò ingannato alle vesti, lo credi amico? „ Speri tu forse di poter giungere mai pienamente à discernerlo da te stesso, ò col lume, „ che Dio ti doni nell'orazione, „ ovvero con quella perizia, con „ quella pratica, che tu acquisti „ nell'esercizio delle virtù? T'inganni assai; perchè Dio vuole „ (En ratio præcisa) che tu non ti „ fidi mai totalmente di te medesimo, per perfetto che sii; ma ch'eserciti l'ubbidienza; ma ch' „ eserciti l'umiltà, con manifestare á un altro Uomo le tue fiacchezze; com'egli manifestò già „ le sue fin'a' suoi discepoli, (N.B.) „ a' discepoli sì idoti, a' discepoli „ sì inesperti, quando nell'Orto „ non si vergognò di dir loro: *Tristis est anima mea usque ad mortem*. E non sai tu, che tutti i „ Capitani, ancora più antichi, „ mai non si sdegnano di tener „ consiglio di guerra, e di udire „ ancora il parere de' più novelli, „ e di seguitarlo? E questo è quel, „ ch'hai da fare nel caso nostro. „ Non dire, che il Padre Spirituale „ è un uomo ordinario; perchè anzi allora il Demonio abborrisce „ più, che gli scuopri le sue furberie, le sue trame, i suoi tradimenti; e così allora fugge più „ presto. Commnque sia. Il „ Demonio è come il Serpente, è „ amante di tenebre: vuoi che si „ fugga quanto prima? e tu scuoprilo. [Eccl. 17.15.] *Si denudaveris abscensa illius, non persequeris post eum*. Se tu lo scuopri, non averai necessità di correrli punto dietro à persequitarlo, *non persequeris*; perchè „ egli sarà il primo à fuggir da te.

Id totum jam docuerat D. August. (lib. 2. de Visit. infirm. cap. 7.) *Melius est ignorantiæ Presbyterorum consulere, quàm ignorantes in ignorantiâ suâ inexaspiratos remanere.*

710. Quod autèm Laurentius Aponte post ea verba: *Pauci admodùm sunt sic experti, ut talia non judicent peccata*; mox subdit: *Strues & mihi occidit cum hâc filiâ spirituali, me absente cum altero confessâ, qui inexpertus in Infernum eam detrudens, infinitis eam oneravit peccatis*; id, inquam, magis, magisque accusat eum de præsumptione, & deceptione. Certè, Molinosis exceptis, omnes Confessarii, Directores, ac Theologi judi-

judicant, talia turpia eſſe, ac peccata. Neque, ſic judicantes, pœnitentes detrudunt in Infernum: nèc immeritò onerant peccatis. Audiamus Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Epiſcopum Panomenſem Franciſcum Palanco, qui (de peccabilit. & impeccabilit. q. 11. n. 57.) ita occurrit hiſce falſis circumventionibus.

711. „ A prædictis Directoribus ſcire vellem: quale ſit inconveniens, in aſſerendo, illas actiones, & tactus eſſe peccatum mortale, & hoc pœnitenti intimando? Si primò dicant, inconveniens eſſe, quià pœnitens, præſertim ſi ſit fœmina puſillanimis, forsàn deſperabit. Contrà eſt, quià, ut dicebam, ſi eſt in tàm alto gradu perfectionis, talis non erit, ſed ſpiritus generoſi, & magnanimi: & non ob lapſum in peccatum mortale deſperabit; imò nec propter relapſum, & reincidentiam; ſed tunc magis adversùs peccatum animoſior exurget, & Dei auxilio confidens. Quod ſi revera eſt adhùc fœmineæ puſillanimitatis: in primis tractetur, non ut perſonæ altiſſimæ perfectionis, ſed ut peccatrix facilis, & puſillanimis, cum charitate, & compaſſione exhortando illam ad fiduciam. Deindè, ſi talis eſt, magis timendum erit, ſi illi indicatur eſſe Dæmonium, à quo ſic agitur: in hoc enim puſillanimis fœminis dicendo, maximam debere ſervari cautelam, monet D. Thereſia. Et meritò; quià multò magis ſolent expaveſcere ad vexationem, aut illuſionem Dæmonis, quàm ad peccatum mortale; nili forsàn velis, illas generoſas eſſe ad tolerandum ſe vexari à Dæmone ad tales actiones, & tactus impuriſſimos; ſed in deſperationem agendas, ſi ſe peccaſſe mortaliter audiant. Quòd jam erit lignum evidentis ſuperbiæ, & præſumptionis: & neſcio, an implicitus conſenſus Diabolicæ ſuggeſtioni, ut Diaboli eſt.

712. „ Si ſecundò dicant, timendum eſſe, nè præ timore animam exhalet, ſi ſemèl perſuadeatur peccaſſe mortaliter, ob acutiſſimum Dei amorem in corde regnantem. In primis, ſi tali dolore ex amore Dei concepto animam exhalaret, non inconveniens, ſed felicitas quàm maxima foret. Deindè, hoc ſinè fundamento timetur, præſertim ſi prævenia ſit, ſe peccabilem eſſe, & reverà (ſi Deus permiſerit) peccaturam; quià in ſe omnimodam firmitatem collocare non poteſt. Si tertiò dicant, totum inconveniens eſſe, quià falſum diceret Director, ſi aſſereret, illam peccaſſe mortaliter; ſo falſum non eſſe dicendum pœnitenti. Contrà eſt, quia Director non poteſt certò ſcire, eam non peccaſſe mortaliter, quàm ſciat per Doctrinam Chriſtianam eos tactus, & actiones eſſe peccatum mortale. An verò ſint, vèl non ſint ſufficienter voluntarii? ipſe ſcire omninò non poteſt; tùm ex dictis, quià ſatis probatum manet, eos non poſſe eſſe violentos; attentà Dei fidelitate. Tùm quià, etſi poſſent tales eſſe, poſſunt etiàm eſſe voluntarii: Voluntarietas autèm, aut Violentia ad internam experientiam agentis, vèl patientis pertinet: quam, niſi lumine

„ pro-

„ prophætico, ſcire non poteſt Di-
„ rector.

713. „ Quòd ſi forſan ille ta-
„ lis ſit, quòd de ſe dono Prophæ-
„ tiæ, & Diſcretionis ſpirituum
„ pollere affirmat; ex hôc ipsô,
„ quám ſuſpectus reddatur, agno-
„ ſcitur. Si verò dicat, creden-
„ dum eſſe pœnitenti: In primis,
„ pœnitens, in caſu propoſito, non
„ affirmat ſe pati violentiam phy-
„ ſicam; quià non affirmat, ſe actù
„ reſiſtere, dum exercet illos ta-
„ ctus, & illas actiones; ſed potiùs
„ vel hæſitat, vel ſibi videtur con-
„ ſenſiſſe. Deindè, quamvis affir-
„ maret; in rebus tamèn omninò
„ extraordinariis, ubì tantum pe-
„ riculum eſt, non debet Director
„ tàm facilè credere pœnitenti:
„ ſicùt nec in Revelationibus, &
„ Viſionibus. Ac demùm, ſi timet
„ Director dicere falſum, aut con-
„ trà mentem, dicat illi, quod cer-
„ tò ſcit; nempè, illos tactus, &
„ actiones eſſe peccatum mortale.
„ An verò ratione violentiæ excu-
„ ſentur? ſi neſcit, non temerè
„ dicat; ſed conſcientiæ, & expe-
„ rientiæ ipſius pœnitentis com-
„ mittat: ſemper ipſi conteſtans,
„ eos tactus, & actiones eſſe pec-
„ catum mortale, quotieſcunque
„ ab agente vitari poſſunt, & re-
„ ſiſti: & ſic exhortare ipſum ad
„ reſiſtendum. Et hoc pacto libe-
„ rabitur.

714. „ Si demùm dicant, non
„ eſſe illi pœnitenti faciendam
„ conſcientiam peccati mortalis,
„ ubi peccatum mortale non eſt,
„ nè in poſterùm ex conſcientiâ
„ erroneâ peccet mortalitèr. In
„ primis, jam oſtendimus ibi eſſe
„ peccatum mortale. Deindè, da-
„ to caſu, quòd ratione violentiæ
„ excuſaretur à culpâ; etiamſi Di-
„ rector illum faciat credere cul-
„ pam in eis actionibus; non pro-
„ ptereà ex conſcientiâ erroneâ
„ peccabit; quià, quantumvis ali-
„ quis ſe exiſtimet peccare in ali-
„ quo facto, ſi in illo non habet li-
„ bertatem, minimè peccat; quià
„ defectus libertatis ſemper excu-
„ ſat: ut contingit in perplexo, qui
„ æqualitèr putans eſſe peccatum
„ mortale, in die feſto non audire
„ Sacrum, & deſiſtere ab aſſiſten-
„ tiâ infirmi, neceſſitatus ad unum
„ de duobus, in nullo peccat; quan-
„ tumvis per conſcientiam exiſti-
„ met, ſe in quolibet extremo
„ peccaturum. Et ſimilitèr in eo,
„ qui exiſtimaret, alterationem
„ merè paſſivam ſenſualitatis, abſ-
„ que omni causâ voluntariâ, eſſe
„ peccatum mortale, minimè pec-
„ caret mortalitèr ob talem con-
„ ſcientiam erroneam; quià defi-
„ ceret omnis libertas. Non ergò
„ eſt periculum, quòd ex conſcien-
„ tiâ erroneâ peccet mortalitèr,
„ ſi verè in illis tactibus, & actio-
„ nibus phyſicè cogitur. Eſt au-
„ tèm ingens periculum in excu-
„ ſando illum à culpâ mortali; qui,
„ ſi forſan non cogitur phyſicè;
„ putans tales actiones, & tactus
„ inculpabiles, non curabit illis
„ reſiſtere, nec timebit, utpotè
„ aſſecuratus de non culpâ: & ſic
„ fient reipsâ voluntariæ; quamvis
„ demus, quòd anteá eſſent coactæ.
„ Undè, quamvis Director exiſti-
„ maret, illas eſſe coactas, ſecu-
„ riùs diceret pœnitenti, eſſe cul-
„ pas mortales: quod verum eſſet
„ ſimplicitèr, & per ſe loquendo,
„ ſilendoque violentiam per acci-
„ dens excuſantem; ut ſic pœni-
„ tens validiùs reſiſteret, & fuge-

Digitized by Google

„ ret, confugeretque ad Deum.

Hactenùs laudatus Antistes, qui paulò antè efficacitèr probat, Deum propositum casum non permittere; his tamèn verbis, Cedro dignis, respondet Adversariis; non quidèm concedendo casum esse permisibilem à Deo; sed ad refellendas Directorum Pseudo-Mysticorum excusationes in peccatis, & ad obstruendum os loquentium iniqua.

715. Ultima tandèm verba Laurentii Aponte, quibus suam opinionem appellat *Sententiam esse Divinam*, stomachum movent, nec legi possunt absquè nauseâ: transeant. Ea utiquè, quæ subdit: *Licentiam do Inferni Dæmonibus, ut indè exeuntes, corpora tormentantes, Martyres efficiant animas*; non placent Theologis, qui putant, Dæmones vagantes in hoc aëre vexare homines; sed adhùc transeant; non enìm faciunt ad propositum. At illa verba illius Monialis, quam Doctor ille, [quo jure nescio] vocat sanctam, relata, & ab eo approbata, credita, tamquàm Oraculum Divinum, quæ sunt: *Filia in primitivâ Ecclesiâ, per Martyrium multas lucratus sum animas, ac totidèm amisi Tyrannorum eas martyrizantium: nunc volo & Martyres efficere, & animas non perdere; ideò licentiam do Inferni Dæmonibus &c.* Hæc, inquam, verba sunt ipsissima Michaelis Molinos, proscripta ab Innoc. XI. Propos. 43. in quâ ille scelestissimus ait: *Deus, præteritis sæculis efficiebat Sanctos Tyrannorum ministerio; nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum &c.* En, in quot, & quales Propositiones Molinosias incidit Laurentius Aponte! De ejusmodi Directoribus, & Martyribus pronunciavit D. Augustinus [contrà Donatist. lib. 3. cap. 19.] *Error eorum veritas appellatur, & scelus eorum justitia putatur.* [Et de Fide, & oper. cap. 24.] *Libertatem illis promittentes, quùm ipsi servi sint corruptionis.* [Et de Verb. Domin. serm. 50.] *Nomine Martyrii se jactant, ut hoc pallio dealbati, facilius furentur, quià Lupi sunt.* Absit tamèn à nobis hæc objicere huic Directori Aponte; sed nos cohibere non possumus, nec debemus, quin post examen casus ab eo propositi: post trutinam suarum rationum; post doctrinæ illius ponderationem, dicamus ei; *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* [Dan. 5. v. 27.]

REFLEXIO.

716. NEmo, qui hanc legit Sectionem contrà insignem Laurentium Aponte, obstupescat de istius erratis; sed potiùs recogitet monitum Apostoli [ad Galat. 6. v. 1.] *Considerans teipsum, nè & tu tenteris.* Advertat, nimiam credulitatem deducere, usque ad insaniam, Viros, etiam celeberrimos; imò in pejus; juxtà sententiam D. Antonii de Padua [serm. 1. Pentec.] *Omnis, qui habet prurientes aures, qui omnia verba credit, non homo, sed brutum animal dignus est appellari.* Ex hâc enìm facili credulitate, horrenda fuere magnorum Virorum deliramenta, præcipitia: quorum, quùm plurima proferre valeam exempla, unum pro mille sufficiat. Quis intèr

ter Ecclesiæ proceres sapientior Tertulliano? Hic, mira ingenii capacitate, omnes Philosophorum Sectas: omnes complexus disciplinas: insanas cujusdam Mulieris fabulas susscipiens, tamquàm veras prophætias, & revelationes, judicio præcipiti: ex Magistro Ecclesiæ, factus est Orthodoxæ Fidei hostis acerrimus. Quæ, quùm ita sint, nè nobis Diabolus vitrum pro margaritâ, falsum pro vero obtrudat; illa Domini nostri sententia, quam SS. PP. sæpè commemorant, & cõmendant, sequenda est: Ut simus probabiles Trapezitæ, probos nummos ab adulterinis subtilissimè discernentes. Sicùt enim Trapezita, non ea solùm examinat numismata, quæ faciem exprimunt Tyrannorum; sed & quæ veri Regis imagine, sed non legitimè, figurata sunt; inquirendo ad lancem, an quidpiam justi ponderis iis desit. Ita nos debemus, tùm nostros, tùm nostrorum pœnitentium, animi motus, omnesque actus externos, sagacissimâ indagine perscrutari; non quidèm humanâ librâ; verumtamèn *mendaces filii hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum:* [Psalm. 6. 1. v. 10.] Sed justissimâ trutinâ Sanctuarii, & SS. Patrum, ac Christi Doctrinâ, veluti ad lydium lapidem, examinare; dicente D. Joanne [Epist. 1. 4. v. 1.] *Charissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniàm multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum.*

SECTIO VIII.

An sint censurâ dignæ hæ Opiniones, seù Propositiones.

I. TEntatio Carnis vehementissima, cogere potest hominem sui compotem, & Voluntate prorsùs obsistentem, ad exercendos propriis manibus actus ex se turpes.

II. Deus permittit, quòd in aliquibus animabus, etiam non Arreptitiis, Dæmon violentiam inferat eorum corporibus: easque actus carnales committere faciat, etiàm in vigiliâ, & sinè mentis offuscatione: movendo physicè illarum manus, & alia membra contrà Voluntatem. In quo casu, non sunt peccata; quià in his non adest consensus.

III. Deus permittit, Dæmonem esse Incubum, Viro, aut Muliere omninò renuente.

IV. Deus, in pœnam prioris coitus cum Dæmone voluntariè patrati à muliere, permittit eamdem posteà, vetè pœnitentem, compelli vi præcisâ Dæmonis, ad iteratum, & nefandum concubitum.

V. Inferendis Censuris Theologicis, summam adhibendam esse cautelam, fateor cum communi Doctorum. Quamobrèm, manu tremebundâ hanc ultimam conscribo Sectionem; eò vel maximè, dum mei ingenii pondero crassitiem. Verùm, quia præfatæ Opiniones hâc nostrâ irrepserunt ætate, magno cum detrimento Animarum; ideò *Charitas Christi urget nos* [2. Corinth. 5. v. 14.] & *Zelus Domus Dei comedit me.* [Psalm. 68. v. 10.] Hinc quantùm sapio, quantùm capio, eas expurgare conabor erisi Theologica; nam ex meo Seraphi-

co D. Bonaventura [Apolog. Pauper.] *Scripturæ Sacræ Catholici Tractatores, monuit subsistri sensêrunt perversorum dogmatum germina, magno studuere conatu illorum convulsioni operam diligentèr impendere; nè si in altum succrescerent, fatienis Dominicæ semina suffocarent.*

Veniat igitùr (enixè deprecor) Lux splendidissima Sapientiæ æternæ, & illuminet tenebras meas. Doceat me Dominus Voluntatem suam. Det mihi Legi suæ scribere consona, qui occulta scientiæ suæ, non prudentibus hujus sæculi, sed parvulis revelare dignatur. Sub hac fiduciâ, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum; Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* [Psalm. 26. v. 1. 2. 3.]

Ut autèm sciamus reprobare malum, & eligere bonum [Isa. 7. v. 15.] aliqua præmittere debemus.

718. I. Censura nomen est æquivocum, quod dicitur de Censurâ, tum Theologicâ, tum Ecclesiasticâ: quæ Censuræ interse valdè differunt. Censura quippè Ecclesiastica afficit immediatè Personam, utpotè pœna privans hominem baptizatum aliquo bono spirituali. Censura verò Theologica, (quæ alio nomine dicitur *Nota*) afficit immediatè Doctrinam, & mediatè Personam, seù Auctorem. Rursùs, Censura Theologica aliquo modo (etsi non ità proprio) dici potest potiùs culpa, quàm pœna; exprimit enim pravitatem Doctrinæ, aut Personæ. Tandèm, Censura Ecclesiastica non tribuitur Personæ per eumdem actum, quo Censura Theologica tribuitur Doctrinæ.

719. II. Censura Theologica (de quâ hìc loquimur) definiri solet: *Judicium, seù sententia, quâ Nota prava, & maligna cuidam inuritur doctrinæ, tanquàm Fidei aliquo modo nocivæ.* Dicitur: *Judicium, seu sententia*; quià Censura tradit, quid sit sentiendum de Doctrinâ, circà quam versatur. Additur: *Quâ Nota prava, & maligna*; nam Censura sempèr in malam partem usurpatur, & exponit quale nocumentum inferat Fidei ea perversa doctrina. Subjungitur: *Cuidam inuritur doctrinæ*; siquidèm, Censura non attingit unicè verba propositionis, sed potissimùm eorum sensum, atquè doctrinam iis enunciatam. Tandèm concluditur: *tanquàm Fidei aliquo modo nocivæ.* Quia Censura non fertur, nisi in ordine ad custodiendum Fidei depositum. Undè Opiniones merè philosophicæ, & quæ nèc mediatè, nèc indirectè adversantur Fidei; quantumvis falsæ sint, non subjiciuntur Censuræ Theologicæ.

720. III. Ejusmodi Censura multiplex est, & in diverso gradu. 1. Propositio notatur ut *Hæretica*, quæ, scilicèt, apertè opponitur, sivè contradictoriè, sivè contrariè, alicui Veritati, quam esse de fide liquidò constat. Sic Propositio *Schismatica*, quæ immediatè opponitur Unitati Ecclesiæ. 2. Erronea, quæ non opponitur immediatè Propositioni revelatæ, sed solùm Conclusioni Theologicæ erutæ de præmissis de fide: qualis esset Propositio negans, Christum Dominum esse risibilem; quùm tantùm revelatum sit, esse hominem: ex quo infertur, esse risibilem. 3. Sa-

plena hæresim, quæ tantummodò reddit hominem de Hæresi suspectum. Idque tunc accidit, quandò Propositio opponitur Conclusioni Theologicæ, non evidenter erutæ ex præmissis de fide, sed probabilissimæ, & juxtà communem Theologizationem. Similiter Propositio dicitur, *Hæresi proxima*, vel *Errori proxima*, quæ nimirùm habet affinitatem cum Propositione Hæreticâ, aut Erroneâ. Vel si loqui velimus cum de Lugo [disp. 20. de fide Sect. 3.] & cum Dominico à SS. Trinitate [lib. 2. Biblioth. Theolog. Sect. 7. cap. 3.] Propositio *Hæresi proxima* (idem, proportione servatâ, dicendum *de Erroneâ*) ea est, quam major, & sanior Theologorum pars, ex Scripturâ, aut Traditione, judicat esse *Hæreticam*; quamvis non audeat absolutè, & simpliciter eam pronunciare *Hæreticam*; eò quòd aliqui graves Theologi contendunt, ipsam Censurâ hujusmodi inuti non debere. Vel ex Reverendissimo Patre Antonio à Panormo [*Scrutin. doctrinarum cap. 6. art. 1. n. 12. 13. 18.*] Propositio *Hæresi proxima* ea est, quæ ex consensu ferè omnium Theologorum directè, & immediatè adversatur doctrinæ revelatæ; paucis dumtaxat ex adverso dissentientibus Theologis, levi ductis motivo. 4. *Malè sonans*. Hujusmodi est Propositio Æquivoca, quæ potest quidèm habere sensum Catholicum; sed passim usurpatur in sensu hæretico; ut si quis diceret: Fidem justificare: Christum esse immensum. 5. *Piarum aurium offensiva*, idèst, quæ non solùm malè sonat, sed aliquid quoque indignum præsefert in materiâ Religionis. Sicùt *Injuriosa*, vel *Blasphema*, aut *Impia* dicitur Propositio, quæ Deo, vel Sanctis cum Deo habentibus habitudinem, est contumelioſa, & dehonorativa. 6. *Scandaloſa*, quæ immediatè, & de se, præbet aliis occasionem ruinæ spiritualis; undè vocatur etiam *Perniciosa*. Quùm autèm in materiâ ferè omnium Virtutum possit præberi scandalum; dicitur tamèn (antonomasticè) Propositio *Scandaloſa* ea, quæ in materiâ doctrinæ pertinentis ad Fidem, occasionem præbet Fidelibus errandi, vel malè sentiendi. V. g. Si dicatur: Christi Imago non est adoranda. 7. *Temeraria*, quæ nimirùm, sinè rationis regulâ profertur. Verùm enim verò, quià in materiâ Theologicâ, Norma rationis ad aliquid asserendum est, vel auctoritas extrinseca, vel ratio solida ab intrinseco; ideò Propositio dicitur *Temeraria*, quæ utrâque careret. Et quidèm dicitur *Negativè tantùm Temeraria*, si merè iis careat. *Positivè* si opponatur auctoritati PP. & Theologorum aliter sentientium. Hujusmodi esset v. g. quòd B. Virgò non fuerit cum animâ, simùl & corpore assumpta in Cœlum: Quod Angeli non sint incorporei &c.

Sunt, & aliæ Notæ expressæ in diversis Censuris, videlicèt, quòd propositio sit *Arrogans*, *Aspera*, *Superstitiosa* &c. At, quùm sint minùs usitatæ, & commodè revocari possint ad recensitas, ab ampliori enumeratione, & expositione libentèr abstineo. Qui omnium ferè Censurarum desiderat Alphabetum, perlustret opus eruditissimum laudati Antonii à Panormo.

IV. Interdùm eadem Propositio, ratione sui, est *Hæretica*; sed judicatur *Hæresi proxima*.

Quùm

Quùm enim in ferendis Censuris summa sit necessaria cautio, non mirùm, si Theologi, ut securiùs incedant, afficiunt Propositiones iis solis Censuris, quas judicant certiores, & à quolibet dubio remotiores. Hinc, si de Hæresi præsertim habeatur sermo, prudentiores se abstinent ab eâ alicui Propositioni inferenda, dum veritas opposita adhùc non sit expressè definita: idque, etiàmsi certò, aut ferè certò judicent, contineri in aliquo Scripturæ textu, aut innixum esse Divinæ Traditioni. Quo sensu patet, quòd si ex hoc motivo unicè non asseratur Propositio Hæretica, nominari potest *Hæresi proxima*; dummodò communissimè censeatur definibilis ut *Hæretica*.

722. V. Ad rationem propositionis *Sapientis Hæresim*, essentialiter requiritur, ut sit capax duplicis sensus, Hæretici, scilicèt, & Catholici: quorum quilibet non metaphoricè, & impropriè, sed cum aliquâ proprietate ipsi competat. Item, estò dicta propositio sit capax utriusque sensus; attamèn involuere debet sensum pravum, qui prævaleat: sivè ratione sui, sivè ratione circumstantiarum, loci, temporis, personarum &c. idèst, quòd verba ex se nata sint majori cum proprietate exprimere sensum pravum, quàm sanum. Nam propositiones meræ Æquivocæ, quæ, sivè attentis vocibus, ex quibus constant: sivè consideratis omnibus circumstantiis, exprimunt sensum Catholicum, perindè ac Heterodoxum, damnari nequeunt tamquàm *Hæresim sapientes*. At propositio, quæ spectatis duntaxat vocibus, quibus constat, est indifferens ad bonum, & malum sensum; sed ex adjunctis circumstatiis, potissimùm Auctoris proferentis, vel quia passim ab auditoribus detorquetur in sensum perversum, quem non excludebat; potest proscribi, ut *Sapiens Hæresim*.

723. VI. *Propositio Scandalosa*, sivè *Perniciosa*, duplicis est generis. Alia *Activa, & per se*; idèst, quæ ex se habet generare ruinam spiritualem in proximum. Alia tantùm *Passiva, & per accidens*, ex quâ proximus, ob suam propriam fragilitatem, potest desumere occasionem ruinæ spiritualis. Porrò, Nota, seu Censura Scandali, propriè cadit in Scandalum Activum; sed per accidens in Passivum; undè propositiones, passivè duntaxat, & per accidens scandalosæ, interdici possunt, earumque usum prohiberi; dummodò id fiat cum debitâ cautione, & circumspectione. Ut advertit laudatus Antonius à Panormo [ibi cap. 7. art. 2. n. 10.]

Quod clarissimè docuit Doctor Angelicus [2. 2. qu. 43. art. 7. in corpore] ubi quærit: Utrùm bona spiritualia sint propter scandalum dimittenda? Et *Dicendum, quòd quidem duplex sit Scandalum, Activum, scilicèt, & Passivum; quæstio ista non habet locum de scandalo activo: quia quidem scandalum activum sit dictum, vel factum minùs rectum, nihil est cum scandalo activo faciendum. Habet autèm locum quæstio, si intelligatur de scandalo passivo. Considerandum ergò quid sit dimittendum, nè alius scandalizetur. Est autèm in spiritualibus bonis distinguendum. Nam quædam horum sunt de necessitate salutis, quæ prætermitti non possunt sinè peccato mortali. Manifestum est autèm, quòd nullus debet*

mortaliter peccare, ut alterius peccatum impediat: quia secundùm ordinem Charitatis, plùs debet homo suam salutem spiritualem diligere, quàm alterius: & ideò ea, quæ sunt de necessitate salutis, prætermitti non debent propter scandalum vitandum. In his autèm spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum: quia scandalum, quod ex eis oritur, quandòque ex malitiâ procedit; quùm, scilicèt, aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando: & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrinâ Domini scandalizabantur: quod esse contemnendum Dominus dicit (Matth. 15.). *Quandòque verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantiâ: & hujusmodi est scandalum Pusillorum: propter quod sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiám interdùm differenda, ubi periculum non imminet, quousque, redditá ratione, hujusmodi scandalum cessèt. Si autèm post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitiâ esse. Et sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda.*

724. Ex his infert idem à Panormo [ibid. cap. 7. art. 2. n. 6.] quòd, ut *Nota Scandali* Propositioni, aut Doctrinæ adaptetur, non dependet ex intentione Proferentis; sed, vel ex ipsius Propositionis naturâ, quatenùs est inductiva ruinæ spiritualis in audientes, aut legentes. Vel ex fragilitate, aut malitiâ, non quidèm Proferentis propositionem, sed ipsorummet Audientium, seu legentium: ratione cujus quandòque suspenditur assertio, quæ aliàs incapax esset, ut ullâ Theologicâ afficeretur Censurâ. Ratio est, quia alioquin, vel nunquàm, vel rarò proscribi possent Propositiones, ac Doctrinæ, tanquàm scandalosæ: præsertim quotiès sustinentur à Doctoribus Catholicis, de quibus prava ejusmodi intentio minimè est præsumenda.

725. Hinc Cardenas [tract. 1. de probabil. disp. 9. art. 8. n. 364.] advertit, posse esse Propositiones veras, quæ sint scandalosæ, nempè, in quæstione facti. Quod notavit Canus [lib. 12. de locis Theolog. cap. 11. §. Propositionem] ubi ait: „ Non solùm error, sed ipsa etiam „ isthæc veritas, qualiscumque illa „ sit, quæ fortè in his dictis inve„ niri potest, scandalum affert idio„ tis, & infirmis. Non enìm solùm „ falsa scandalum faciunt, sed ali„ quando etiam vera.

726. VII. Omnis Opinio *improbabilis positivè*, idèst, certò falsa: & omnis Opinio *Non probabilis*, scilicèt, carens gravi fundamento: si sit laxa, nempè, affirmans partem minùs tutam, & faventem libertati, est *Scandalosa*; dummodò procedat in materiâ gravi pertinente ad mores. Ratio est; quià peccat gravitèr quisquis in materiâ gravi dirigit conscientiam ex Opinione certò falsâ, aut absque prudenti, & gravi fundamento. Hujusmodi est doctrina improbabilis positivè, aut negativè; suadet enìm hominibus dirigere conscientiam ex seipsâ, quæ est, aut certò falsa, aut gravi destituta fundamento: & consequentèr, in materiâ morum suadet hominibus id, quod est peccatum grave; & sic *Scandalosa*. Et, nè quis patiatur æquivocationem, advertat, quòd in qualibet quæstione, ea Opinio dicitur *Laxa*, quæ favet libertati: *Stricta* verò, seù *Severa*

Digitized by Google

vera, quæ favet obligationi, & præcepto. Ita eruditiſſimus Cardenas [ibi art. 7. n. 362.]

727. VIII. Dari poteſt Opinio ſpeculativè probabilis, quæ non ſit talis practicè. Ratio eſt, quià poteſt dari actio aliàs licita, quæ in praxi exerceri nequeat abſquè circumſtantiâ ſcandali; in ſpeculatione autèm poteſt conſiderari abſquè tali circumſtantiâ. Similitèr, poteſt dari actio, aliàs probabilitèr licita, quæ in praxi inſeparabilis ſit à periculo gravi labendi in mortale; in ſpeculatione verò poteſt conſiderari præciſâ eâ circumſtantiâ periculi. Omni ergò probabilitati practicæ, debet correſpondere ſpeculatio, quæ conſideret omnes circumſtantias ejus praxis: ſed, non omni probabilitati ſpeculativæ, debet correſpondere ſimilis probabilitas practica. Poteſt enim dari ſpeculatio, quæ præſcindat circumſtantiam repertam in praxi. Ita videtur ſpeculativè probabile, ſaltèm ab extrinſeco, quòd licet procurare abortum fœtus inanimati, ad vitandum periculum vitæ imminentis Matris ab extrinſeco; ex aliquorum ſententiâ. Quod non eſt probabile practicè; nam omnes (etiam ii, qui probabilem putant illam opinionem) expreſsè conveniunt in eo, quòd ubi eſt dubium de animatione fœtus, certiſſimè eſt illicitum procurare abortum. Quià in nullo caſu honeſtari poteſt hoc, quod eſt exponere ſe periculo directè occidendi fœtum animatum: atqui ſempèr eſt hoc dubium; nam; omninò incertus eſt dies, incerta hora animationis. Hæc ingeniosiſſimus Cardenas [tract. 1. de Probabilit. diſp. 14. cap. 2.]

728. Ex quo, Idem [Diſſert. 23. cap. 1. art. 3. n. 28.] infert. 1. Improbabile eſſe, quòd ſi Propoſitio eſt vera ſpeculativè ſub quibuſdam conditionibus, quæ in praxi nullo modo poſſunt concurrere, poſſit valere à tali ſpeculativâ ad practicam. 2. Improbabile eſſe, quòd valeat à ſpeculativâ ad practicam, quandò in praxi datur circumſtantia, quæ non reperitur in ſpeculatione, idèſt, impoſſibilitas concurſus earum conditionum, ſub quibus verificatur propoſitio ſpeculativa. Ex his defoſſis fundamentis, deducitur

CONCLUSIO I.

729. EST hæretica hæc Propoſitio: *Tentatio Carnis vehementiſſima, poteſt cogere hominem ſui compotem, & Voluntatem prorsùs obſiſtentem, ad exercendos propriis manibus actus ex ſe turpes.*

Probatur. Illa eſt Propoſitio hæretica, quæ apertè opponitur, ſivè contrariè, ſivè contradictoriè, alicui Veritati, quæ liquidò conſtat eſſe de fide; ex mox præmiſſis. Atqui hujuſmodi eſt allata Propoſitio. Ergò. Minor patet ex Scripturâ [Geneſ. 4. v. 7.] *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* [ad Rom. 6. v. 12. 13. 14.] *Non ergò regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato: ſed exhibeatis vos Deo, tanquàm ex mortuis viventes: & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Peccatum enim* (idèſt fomes peccati) *vobis no-*

do-

dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.

Quem locum exponens D. Ambrosius, ait : *Non regnet peccatum in corpore vestro : idèst, non faciat, quod illicitè cupit. Et non solùm non regnet in vobis per consensum, sed etiàm non regnet per operationem. Et hoc est : Non obediatis per consensum illicitis concupiscentiis ; sed neque exhibeatis, idèst, tribuatis peccato, idèst, fomiti peccati, membra vestra arma, idèst, instrumenta iniquitatis, hoc est, pravæ actionis, quâ virtutes debellantur, sicut quibusdam armis.* Videatur Dissert. 2. Sect. 3. & 4., ubi plurima cumulavimus contrà Lutherum, & Calvinum, Auctores illius fœdæ Opinionis.

CONCLUSIO II.

730. SUnt impiæ, scandalosæ, in praxi perniciosissimæ, & magnâ ex parte, ut minimùm, proximæ erroribus Beguardorum (falsò Illuminatorum), & Michaelis Molinos, Propositiones sequentes.

I. *Deus permittit, quòd in aliquibus animabus, etiàm non Arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus : easque actus carnales committere faciat, etiàm in vigiliâ, & sine mentis offuscatione movendo physicè illarum manus, & alia membra contrà voluntatem. In quo casu non sunt peccata ; quiâ in his non adest consensus.*

II. *Deus permittit, Dæmonem esse Incubum, viro, aut mulieri omninò renuente.*

III. *Deus, in pœnam prioris coitus cum Dæmone voluntariè patrati à muliere, permittit eamdem postea, verè pœnitentem, compelli, vi præcisâ Dæmonis, ad iteratum, & nefandum concubitum.*

731. Explicatur. In primâ Propositione recitantur eadem verba Propositionis 41. Molinosiæ, damnatæ ab Innoc. XI., & solùm omittitur ly *Vult*. Profectò, hoc addito verbo, omnes tres Propositiones præfatæ, non tantùm dicerentur impiæ, scandalosæ, in praxi perniciosissimæ, & proximæ erroribus Beguardorũ, & Molinos ; sed etiàm forent hæreticæ, & de verbo ad verbum, à primo ad ultimum, concordarent cum Propositionibus horum Hæreticorum.

732. Diximus, *magnâ ex parte, ut minimùm, proximæ erroribus &c.* Tum quiâ, in his tribus Propositionibus prætermittitur ly *Vult* ; Quod est aliqua pars ipsarum Propositionum ; Tùm, ut demus locum Theologis Doctioribus, ut præallatas tres Propositiones majori, & graviori afficiant Censurâ. Scimus tres Galliarum Antistites Illustrissimos, Ludovicum Antonium de Noailles Episcopum Parisiensem, & S. R. E. Cardinalem : Jacobum Benignum Bossuet Episcopum Maldensem : Paulum Godet de Marcis Episcopum Carnotensem ; quos refert Graveson [Hist. Eccles. fol. mihi 88.] ostendisse hæreticas præfatas tres Propositiones, utpotè apertè repugnantes Scripturæ. Nos autèm contenti sumus de Notâ, quæ illis, *ut minimùm*, competit ; sequentes Censuram laudati Illustrissimi Francisci Palanco, qui eas, velutì Impias, Scandalosas, in praxi perniciosissimas, & magnâ ex par-

Digitized by Google

te, ut minimùm, proximas erroribus Beguardorum, & Michaelis Molinos, egregiè, & eruditissimè confutat.

733. Probatur assertio quoàd primam Notam Impietatis. Et quidem omnes tres illæ Propositiones, sunt contrà Dei Pietatem; dum enunciant, Deum relinquere hominem in manu Dæmonis: vel physicè, & violentèr moventis vires inferiores ad actiones, & actus turpes: vel vi compellentis ad concubitum nefandum, & Diabolicum; non obstante virili resistentiâ ipsius hominis. „ Quis enim tàm durus „ fuit unquàm, (ait Vega Concil. „ Trid. lib. 11. cap. 13.) tàm crudelis, tàm immanis, ab omni humanitate alienus Tyrannus, ut „ ea suis subditis imperaverit, vel „ ab eis exegerit, quæ præstari eb „ ipsis non poterunt? Talis autèm esset Deus, si permitteret Dæmoni violentiam inferre homini ad illas spurcitias. Nam, jubet per Apostolum suum Jacobum [4. v. 7.] *Resistite Diabolo*. Et per D. Petrum [Epist. 1. cap. 5. v. 9.] *Cui* (Diabolo) *resistite fortes*: ac etiam punit pœnâ æternâ non resistentes Diabolo. *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi, & Dei.* [ad Ephes. 5. v. 5.] Et tamèn permitteret, tentationes hujusmodi, suprà potestatem resistendi eis. Id autèm, quàm longè sit à Pietate Divina, à dilectione Dei, qui velutì Pater amans, sollicitus, & providus, nos summo complectitur amore, testatur Regius Prophæta [Psalm. 102. v. 13.] *Quomodò miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus*. Et [Psalm. 144. v. 9.] *Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus.*

734. Ostenditur quoàd secundam *Censuram Scandali*. Ea est Opinio, seù Propositio *Scandalosa, & in praxi perniciosa*, quæ involuit certum periculum incurrendi gravis damni spiritualis. Atquì ejusmodi sunt illæ tres Propositiones in Conclusione recitatæ. Ergò &c. Major est omnium Theologorum; itaùt etiàm ii, qui putabant, in Sacramentis conferendis non esse illicitum uti opinione tantùm probabili de valore Sacramenti, relicta tutiori, (quæ Opinio modò est damnata), hanc addebant limitationem: *Nisi lex vetet periculum gravi damni incurrendi*. Suadetur quoque ratione. In moralibus, idem est aliquid facere; ac exponere se periculo *illud faciendi*; ut præclarè docuit Suarez [tom. 3. in 3. p. D. Th. disp. 16. q. 2.] Quià recta ratio sic dictat, ut nimirùm, pro viribus vitare debemus periculum. Quòd si id præscribit in rebus adhùc temporalibus, à fortiori idem mandat in spiritualibus, & æternis; quùm mala spiritualia sint incomparabilitèr majora. Videatur subtilissimus Cardenas [Cris. Theol. tom. 1. disp. 18. cap. 3. 4. 5. & 6.]

Minor constat ex Sectionibus præcedentibus. Quis enim sanæ mentis negabit, adesse periculum certum labendi in consensum delectationis venereæ, in casibus prædictis, in quibus Deus permitteret, Dæmonem violentiam inferre, & quidèm absolutam, & physicam, corporibus nostris ad actus carnales &c.? Nam tactus vehemens pudendorum, multò magis confricatorius, eò vel maximè diuturnus, est causa

per

per se influens in pollutionem; pollutio autèm affert secum inevitabilitèr delectationem veneream: quam sentire, naturale est: in eam non consentire, in casibus propositis, impossibile est, moralitèr.

735. Confirmatur. Aspectus fœminæ nudæ, eò fortiùs actionum ejus obscœnarum, & præcipuè diù durans, perducit virum usquè ad pollutionem, etiàm invitum; est enìm causa per se notabilitèr influens, & determinans ad talem pollutionem. Ex communi DD. Idem dicendum de muliere aspiciente virum nudum, & multò magìs in actu libidinoso. Ergò multò magìs tactus vehemens, & confricatorius; proùt in primâ Propositione: magìs, ac maximè concubitus nefandus; proùt in secundâ, & tertiâ, perducunt ad pollutionem, ad delectationem veneream, ad consensum. Si quis negare præsumet, in his casibus, adesse periculum proximum, tùm pollutionis, tùm delectationis, tùm consensus; experiatur ignem in sinu suo, & videat si comburetur.

736. Ostenditur 2. Opiniones sunt scandalosæ, & in praxi perniciosæ, quùm deducunt ad viam latam, & obliquam, quæ ducit ad perditionem, & animæ interitum. Hujusmodi sunt Opiniones allatæ. Ergò &c. Maj. est certa. Min. patet ex hucusque, in cunctis Sectionibus, probatis. Nam, semèl admissâ primâ propositione, nempè, Deum permittere Dæmoni vim inferre corporibus nostris ad actus carnales; non esset major ratio, cur non permitteret ad patranda furta, homicidia, incendia, aliaque cujusvis generis flagitia. Verùm, his stantibus permissionibus, spatiosissima esset via, quam ambularent scœlestissimi; & quidèm impunè. Intendens enìm, & volens nequitèr vivere, carnis spurcitias, & cætera piacula; facili negotio his mendaciis excusaret: *Ego nollem: Mihi displicet: Non consentio: Invitus ago, & vi præcisâ Dæmonis compulsus*. Indè, quæcumque Lex, Civilis, Ecclesiastica, Divina, Naturalis, ad nihilùm valeret ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Indè, nec Dominus servum infidum, nec Pater filium improbum, nèc Judex reum convictum, arguere possent, & juremeritò punire. Indè tota Respublica improbaretur, & perverteretur. Indè, quisque inobediens Dei, & hominum mandatis, fronte obscœnâ, simùl & lætâ, gloriaretur in malis, & exultaret in pessimis, dicens: [Eccli. 5. v. 6.] *Peccavi, & quid mihi accidit triste?* [Luc. 18. v. 4.] *Etsi Deum non timeo, nec hominem revereor*.

Eædem ruinæ spirituales, imò & graviores, sequerentur, datâ secundâ, & tertiâ Propositione. „ Si „ enim permitteret Deus (exclamat Serarius (in Tob. cap. 6. quæst. unicula 7. & cum eo Cornel. à Lapide, Tyrinus, Menochius, Celada, Calmet, aliique illius Capitis Expositores) „ ut pro suâ libidine fœminis Dæmon abuteretur, „ easque, nullo earum impetrato „ consensu, iniret; quæ ulla usquàm, „ contrà malum hoc, septa satìs, & „ clausa mulier? Quis, ab impurissimo illo, Thorus non commacularetur? Quæ aut conjux non „ violaretur? Non poeticas profectò, sed verissimas, & quàm „ plurimas omnis regio Danaas, & „ Lædas experiretur]. Porrò, fœmi-

mina quæcumque procax, & voluntariè succuba, facillimè se defenderet, & evaderet impunita, allegando absolutam Dæmonis Incubi violentiam, contrà suam voluntatem omninò renuentem. Quæ autèm ex iis sequerentur animarum ruinæ, vident etiam cœcutientes.

737. Præterea, si Deus permitteret Dæmoni vim inferre in iis tribus Casibus in Conclusione propositis, sequitur ea spurcissima Michaelis Molinos Propositio inter damnatas num. 42. *Potest dari casus, quòd hujusmodi violentiæ ad actus carnales, contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicèt, maris, & fœminæ: & ex parte utriusque sequatur actus.* Nàm, si Deus permittit Dæmoni movere violenter, & physicè nostras manus, aliaque corporis membra, ad patranda obscœna: si etiàm permittit Incubo, vi præcisâ, subagitare virum, aut mulierem; cur non permittet etiam Dæmonis violentiam inferre absolutam, vel utrique, mari, scilicèt, & fœminæ; vel alteri eorum, ad concubitum carnalem? Certè nulla est major ratio: & eadem, in unoquoque ex iis tribus Casibus, sequerentur absurda.

Nec dicere juvat, quòd mulier, aut vir posset occasionem vitare, & ab ea fugere, nè commisceantur carnaliter; non sic verò in casu aggressionis ipsius Dæmonis, à quo evadere non posset. Nam huic effugio occurrit laudatus Palanco. Cur non poterit utiquè mas, aut fœmina, vel etiam hæc, & ille se excusare, quòd violenter, & vi præcisâ Dæmonis, ducti fuerunt in illam occasionem, violenter detenti, violenter amplexati &c.? Si enim Dæmoni permittitur cogere manus ad actus impuros; cur non permittitur ei movere pedes viri, aut mulieris, sivè amborum, ad occasionem quærendam, & illâ inventâ, ad non fugiendum? Uno verbo ad concubitum? En quot, & qualia suborirentur inconvenientia, & scandala in animarum perniciem, admissâ vel unâ ex illis putridis Propositionibus.

738. Convincitur pars tertia nostræ Assertionis; nimirùm, quòd præfatæ Propositiones essent magnâ ex parte, ut minimùm, proximæ erroribus Beguardorum, & Molinosiorum. Quandoquidèm, Beguardi errabant, quiâ titulo Sanctitatis, & perfectionis, seù unionis cum Deo, dicebant inculpabiles in eis tactus obscœnos; & actiones turpes; nè deponerent suæ *sanctitatis, & perfectionis* tenacem existimationem. Atqui *hoc ipsum* docent Pseudo-Mystici per dictas Propositiones; ut patet benè, sinè passione aliquâ, consideranti. Ergò, ut minimùm, sunt proximæ illorum erroribus.

Nèc dici potest, eos sensisse, actiones illas esse voluntarias, & nihilominùs licitas; ideòque errasse, & fuisse hæreticos. Non valet; quia plerique illorum non asserebant eas fœditates esse voluntarias; sed potiùs ad purgationem passivam spiritus pertinere: & spiritum, respectu illarum actionum, merè passivè se habere. Ità discurrunt Molinosii; ita & Pseudo-Mystici.

739. Confirmatur. Opinio dicitur *proxima hæresi, aut errori*, quæ affinitatem habet cum hæresi, aut errore. Atqui Opiniones, seu Propositiones relatæ in Cõclusione, affinitatem habent cum Propositionibus

nibus Molinosiis, damnatis ab Innoc. XI. Ergò &c. Minor, in quâ posset esse difficultas, probatur, conferendo Propositiones. Profectò, ille impius hæreticus Michael Molinos ait propos. 41. *Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiàm non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigiliâ, & sinè mentis offuscatione: movendo physicè illarum manus, & alia membra, contrà earum voluntatem: & idem dicitur quoàd alios actus per se peccaminosos. In quo casu non sunt peccata; quià in his non adest consensus.* Et propos. 42. *Potest dari casus, quòd hujusmodi violentiæ ad actus carnales, contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicèt, maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.* Propositiones autèm à nobis recitatæ, omisso ly *Vult*, concordant in toto, & quoàd totum cum Propositionibus Molinosiis; ut clarè patet legentibus, & conferentibus utrasque. Ergò Propositiones, quas retulimus, & impugnamus, sunt, ut minimùm, proximæ Propositionibus Molinosiis; si enim eis adderetur ly *Vult*, essent numero eædem.

Dices. Magnum, & latissimum est discrimen intèr hæc duo verba: *Vult*, & aliud: *Permittit*. Quùm enim Molinos dixerit: *Deus permittit, & vult, quòd Dæmon violentiam inferat ad actus turpes &c.* dixit duo: unum, scilicèt, Catholicum: alterum Hæreticum. Catholicum quippè est asserere, Deum permittere peccata; ut omnes fatentur Theologi. Sed hæreticum est affirmare, Deum velle peccata; testante Regio Prophæta [Psalm. 5. v. 5.] *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et [Sap. 14. v. 9.] *Similitèr autèm odio sunt Deo Impius, & impietas ejus.* Undè Trident. [Sess. 6. Can. 6. de Justificat.] decernit: *Siquis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera: itaùt bona Deum operari, non permissivè solùm, sed etiàm propriè, & per se; adeoùt sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit.* Hâc igitùr de causâ fuerunt proscriptæ eæ Propositiones Molinos. Quòd si in illis omittatur ly *Vult*, sunt Propositiones veræ, & Catholicæ.

Et quidèm, quùm aliqua integra propositio plures continet partes, earum unâ damnatâ, cæteræ partes non censentur damnatæ. Ita, si quis docuerit sic: *Christus est verus homo, & Joseph est verus ejus Pater, non solùm nutritius.* Hæc propositio copulativa est damnata per secundum membrum; quamvis primum sit verissimum, & de fide. Paritèr Alex. VIII. proscripsit eas duas longiores propositiones de Peccato Philosophico &c. de bonitate objectivâ, & formali, &c. sed non profligavit singula in illis Propositionibus contenta. Eodem igitùr modo discurrere debemus de Propositione copulativâ: *Deus Permittit, & Vult &c.*

740. Contra. Dum Summus Pontifex damnavit illam Molinosiam Propositionem, nullam adhibuit distinctionem intèr utrumque verbum, *Permittit, & Vult*. Ergò utrumque damnavit. Porrò, si primum membrum, *Permittit*, esset

pro-

Digitized by Google

probabile, utiquè diſtinxiſſet. Non enim cœco modo, ſed attentè, viſis omnibus, damnavit. Tum quià, ſi permiſſio caſus foret probabilis, non proſcripſiſſet totam Propoſitionem, includendo ly *Permittit*; ſed inciperet proſcriptionem: *Deus vult &c.* Tum, eò vel maximè, quià omiſſo verbo, *Permittit*, maneret integra Propoſitio, enunciando: *Deus vult &c.* Cur ergò Summus Pontifex, in proſcriptione illius Propoſitionis, amplectitur ly *Permittit*, & non alia verba Michaelis Molinos? Non quidèm ineptè; ſed quià damnavit etiam ly *Permittit*. Sic arguit in ſimili doctiſſimus Cardernas [tract.5. de Caſtit.diſp.40. c.7. num. 72.]

741. Sanè, Deus permittit peccatum, permiſſione negativâ, idèſt, ſinendo cauſas ſecundas ſuos motus agere; in ſenſu quo loquuntur Theologi; ſed non permittit Dæmoni violentiam inferre corporibus noſtris ad actus nefandos &c. Quia caſus illi tres enumerati in Concluſione, repugnant Summæ Dei Bonitati, ſuaviſſimæ Providentiæ, Promiſſionibus Divinis &c. ideoquè non ſunt permiſibiles, ex probatis jam ſatis. Sufficiat hìc dumtaxat addere auream D.Chryſoſtomi Sententiam (homil. 23. in Geneſ.) *Nequè Diabolum ipſum quis tantùm putet, ut prohibere quempiam poſſit, quominùs ad viam, quæ ad virtutem ducit, eat: ſupplantat quidèm, & decipit ſocordiores; non togit autèm, nèc prohibet.*

Inſtabis. SS. Pontifex totam illam Molinoſiam damnavit Propoſitionem, quia in ſenſu Auctoris tota proſcribi debuit: ille namque ſcœleſtiſſimus Molinos intendebat fræna laxare ad quamcunque impudicitiam. Verùm, ſi ab eâdem propoſitione auferatur ly *Vult*, & intelligatur in ſenſu Catholico, non fuit damnata, nec eſt damnabilis.

742. Contra. Ea Propoſitio: *Deus permittit Dæmoni violentiam inferre &c.* abſquè eo quòd addatur ly *Vult*, ſumi nequit in ſenſu Catholico; quidquid ſit de mente Proferentis. Ergò &c. Ant. evincitur. Ea Propoſitio, quæ ſolam Dei enunciat Permiſſionem illam, clarè, & apertè opponitur Scripturæ. Quid eſt enim dicere: *Deus permittit Dæmoni violentiam inferre &c.* quàm aſſerere, Deum pati, nos tentari ſupra poteſtatem reſiſtendi, contrà illud, quod teſtatur Apoſtolus [1 Corinth. 10. v. 13.] *Fidelis autèm Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id, quod poteſtis?* Quid eſt contendere, Dæmonem vi opprimere, & irreſiſtibilitèr ſubagitare mulierem, aut virum omninò renuentem, quàm contradicere D. Jacobo prædicanti [4. v. 7.]: *Reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis?* Non juvat ergò effugium ad interiora mentis Proferentis; quùm illæ Propoſitiones, ex naturâ ſuâ, nullum admittant ſenſum ſanum, & Catholicum.

743. Ulteriùs probatur noſtra propoſitio quoàd omnem ſui partẽ; & fortiùs roborantur jam probata. Etiamſi Propoſitiones illæ nullam in ſeipſis continerent pravitatem, nullumque involuerent ſenſum malum; adhùc eſſent cenſurandæ, veluti *in praxi ſcandaloſæ, & perniciоſæ*; ob inconvenientia, & ruinas ſpirituales, quæ ſuborirentur ex eis, & nos pluries adduximus. Audiamus communem Theologorum do-

Digitized by Google

doctrinam, quam scitissimè affert P. Viva [Trut. Theol. damnat. Thesium ab Alex. VII. prop. 27. num. 9.] „ Potest aliquandò Propositio aliqua considerari secundùm se, depurata à circumstantiis, à quibus in praxi impossibile moraliter est, quòd depuretur. Sicùt in casu adducto (de viro honorato occidente invasorem, qui nititur calumniam inferre; si aliter hæc ignominia vitari nequit) impossibile moraliter est, quòd nequit aliâ viâ vitari ignominia orta à calumniâ, quàm per occisionem calumniatoris. Et idcircò (N.B.) ne aperiatur ostium homicidiis, & vindictis, nunquàm licet has Opiniones in praxim deducere; etiamsi aliquandò quis credat evidens esse, quòd alia via non suppetat. Idemque dicendum de pluribus Opinionibus ad Simoniam, ad Usuram, ad Luxuriam spectantibus: quæ solùm speculativè à DD. admittuntur, ut probabiles; non tamèn practicè: etiamsi alicui videatur, nullum subesse periculum in praxi. Tum quiá, (En rationes) facilè homo, passione abreptus, hallucinatur. Tum etiàm quia, ad vitandum periculum proximum gravis damni, debuit á naturâ, & á rationis dictamine universim prohiberi, quod de se cum hujusmodi periculo conjungitur. Sicùt parvitas materiæ in delectatione venereâ gravitèr prohibetur; adeoùt nunquàm liceat illam deliberatè admittere citrà mortale; quià de se est conjuncta cum proximo periculo gravis lapsus.

„ Nequè dicas: Leges, quæ in „ præsumptione fundantur, si constet de carentiâ ejus, quod præsumitur, non obligare. Nàm aliquandò Leges fundantur, non in præsumptione alicujus mali, sed solùm in præsumptione periculi proximi alicujus mali imminentis; ut liquet in exemplis adductis. Quandò autèm Leges in præsumptione talis periculi fundantur; quamvis constet evidentèr, quòd cessat malum in aliquo casu particulari; si tamèn nunquám cessat periculum proximum talis mali, nunquàm cessant illæ Leges obligare. Ut communitèr docent cum Suarez [lib. 5. de Legibus cap. 7.].

744. Deniquè, accedit auctoritas Tribunalis SS. Inquisitionis hujus Regni Siciliæ. Ortâ enim disputatione inter DD. cujusdam Civitatis ejusdem Regni, suprà præallatas Propositiones: An sint censura dignæ, vel deducendæ ad praxim, saltèm in aliquo casu raro? Et pro veritate addiscendâ, ac edocendâ, habito recursu ad prædictum SS. Tribunal, sub die 14. Maji Anni 1744. Post maturam, & accuratam discussionem, etiàm cum interventu Qualificatorum, & Consultorum, unanimi omnium voto decisum fuit 7. Julii ejusdem Anni, ut legitur in hâc Epistolâ missâ ad Parochum Commissarium SS. Inquisitionis illius Civitatis: quam fidelitèr exscribo.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO SIGNORE.

„ HO differito un Ordi-
„ nario dare riſpoſta
„ alla lettera di V.S. de'14. Mag-
„ gio; perchè la gravità dell'affa-
„ re mi obbligò à non riſolverlo
„ da me ſolo, ma doverlo commu-
„ nicare agli altri due Illuſtriſſimi
„ Signori Inquiſitori miei Colle-
„ ghi; acciocchè unitamente or-
„ dinaſſimo, convocarſi una Con-
„ ſulta de' più dotti, e fondati
„ Conſultori Teologi di queſto
„ S. Tribonale; per indi col voto,
„ e cenſura de' medeſimi, ſi daſſe
„ da Noi la provvidenza neceſſa-
„ ria, e propria, per reprimere
„ ne' ſuoi maligni ſcandaloſi prin-
„ cipj l'errore moſtruoſo: ed im-
„ pedire, non ſolo l'avanzamen-
„ to, ma ancora le conſequenze
„ pernicioſe, ed ereticali, che
„ dalla ſparſa erronea dottrina ſi
„ poſſono argomentando dedurre
„ in grave pregiudizio della Reli-
„ gione, della Morale, e della
„ Fede Cattolica medeſima: non
„ ſolo in codeſta Città, per altro
„ aſſai religioſa, e culta; mà nel
„ Regno tutto. Fu letta adunque
„ à 19. Maggio à RR. Conſultori
„ Teologi la Propoſitione, che
„ V.S. ſtimò degna di cenſura,
„ cioè: [Alcuni Confeſſori Seco-
„ lari, e Regolari, quali guidano
„ varie Anime, che pretendono
„ attendere alla ſanta perfezione,
„ e dicono, che patiſcono molte
„ moleſtie, e violenze da' Demo-
„ nj: à ſegno tale che (dicono eſ-
„ ſe) ſono sforzate á polluirſi col-
„ le proprie mani, contro la loro
„ volontà. E li Confeſſori ſudetti
„ le liberano dal peccato: Quia
„ non adeſt conſenſus]. Intorno al-
„ la quale Propoſizione fattaſi tut-
„ ta la rifleſſione, furono di unani-
„ me voto, non ſolo li Conſultori,
„ ma anche con me gli altri due
„ Signori Inquiſitori, ed Ordina-
„ rio, di eſſere la Dottrina conte-
„ nuta in detta propoſizione [In
„ pratica Erronea, Scandaloſa, e
„ Moliniſtica]. Perlochè fù con-
„ chiuſo, che per sbarbicare nel
„ primo ſpuntare queſta cattiva
„ zizzania, ſi riſpondeſſe da me à
„ V. S., e ſe le ordinaſſe: Che in
„ ſecreta Conferenza cogli altri
„ Eccleſiaſtici dell'uno, e l'altro
„ Clero, ſi pubblicaſſe la cennata
„ Cenſura; acciocchè doveſſero, la
„ *dottrina contenuta in detta*
„ Propoſizione, riconoſcere, e *ri-*
„ *fiutare*, come dottrina in pra-
„ tica Erronea, Scandaloſa, e Mo-
„ liniſtica. E inoltre ſe l'incariſce,
„ ſotto Scomunica maggiore ri-
„ ſerbata al S. Tribunale della In-
„ quiſizione, l'obbligazione di de-
„ nunziare e li Maeſtri, che l'
„ avranno inſegnata, ed anche
„ quelli, che, ingannati, l'avranno
„ appreſa: e molto più tutti colo-
„ ro, li quali nelle moleſtie, e
„ violenze delle tentazioni, aveſ-
„ ſero, per dettame di detta peſti-
„ fera dottrina, commeſſa colle
„ proprie mani la polluzione, o
„ altri tatti impudici: attribuen-
„ doli alla violenza del Demonio,
„ e perciò non imputabili ad eſſi,
„ ed à peccato &c.

Palermo 26. Maggio 1744.

Di V. S.

Divotiſſimo Servidore

Angelo Serio Inquiſitore, e Promotor di Fede.

Et

Digitized by Google

745. Et quamvis auctoritas hujusce Tribunalis non sit infallibilis; (hoc enim privilegium soli competit Cathedræ Romanæ) attamèn, quùm prædictum Judicium SS. Inquisitionis processerit ex cognitione Causæ; idèst, cognoscendo certitudinem partis oppositæ; (stultum enim est aliter opinari de Viris doctissimis, qui, antè publicam damnationem, rem examinarunt accuratissimè, & lento gradu) magnum argumentum est certitudinis nostræ Assertionis. Ità in simili casu discurrit ingeniosissimus Cardenas [tract. 5. de Castit. disp. 36. cap. 4. num. 25.]

Hæc sunt, quæ pro modulo meo, contrà illas Propositiones, in Conclusione recitatas, meditabar. Utrùm benè? Judex erit infallibilis Summus Sacerdos, Pontifex Maximus, Christi Vicarius: cujus Censuræ, à Pseudo-Mysticis pronunciata, hactenus confutata, & me totum submitto.

APPENDIX I.

Via formidanda, quam nonnulli in prædictos Errores incidere, & alii possunt incidere; & propterea maximè cavenda.

Ex Rmo Illmo Antistite Francisco Palanco de Peccabilit., & Impeccabil. q. 11.

746. Solet contingere, quòd ad Directorem Confessarium (qui zelo ducendi animas ad perfectionem, ei ministerio deservit) accedat Pœnitens bonæ indolis, qui doctrinam illius audiens, eâ excitatus, viam perfectionis ferventèr arripit, illius Directoris imperio se ex toto submittens, continuat cum illo Confessiones, & Collationes spirituales, in dies magìs, & magìs proficiens in Obedientiâ, exercitiis spiritualibus, & Virtutibus, & præsertìm in Oratione, in quâ speciales à Deo favores experitur. Quùm autèm naturalissimum sit, Magistrum diligere discipulum proficientem, & ex familiari, & frequenti intimâ communicatione amorem strictissimum exoriri; si Director tantillùm incautus sit, personam dilectam continuò majori affectu prosequitur, & majori amoris vinculo ergà illam afficitur. Interea tamèn communis Inimicus silet, nullas, vel admodùm leves tentationes adjiciens, etsi ea persona diversi sexus sit, nihil inhonesti, aùt turpis proponit; ut sic Director, & Directa de mutuo amore nihil mali suspicentur, sed ut spiritualem dilectionem eum existimantes, in eo proficiant magìs, & magìs. Et hic est primus gradus, quo incipiunt cadere.

747. Quùm amor ex suo genere mutuam collocutionem, & communicationem promoveat, & illo amore Collationes, vel personales, vel per literas frequentiores fiunt, & quidèm adhúc de rebus ad perfectionem spectantibus; quùm etiàm amor familiaritatem generet, continuò familiaritas augetur,

Digitized by Google

& mutua confidentia. Quùm itèm amor etiam facilè credat perfectiones, & virtutes amati, Director in dies magìs, & magìs credit, & fidit dictis, & scriptis discipulæ spiritualis: quùm etiàm hujusmodi confidentia, familiaritas, & intima communicatio, non solùm sint effectus amoris, sed etiàm illius causa; ex illis supramodùm crescit amoris vinculum, quo crescente, jamque prævalente, Director facilìus credit gradus Orationis eximios, & perfectionis, secundùm relationem discipulæ directæ, & majorem de illius perfectione existimationem concipit; & quùm se occasio præsentet, illam ut talem commendat; & sic paulatím amor ille, existimatus spiritualis, majores radices habet, & mutua utriusque de altero existimatio similitèr obfirmatur. Et hic est secundus gradus cadendi.

748. Postquàm autèm fraudolentus Satan agnoscit, intèr illos vinculum amoris adeò increvisse, quòd faciliùs Anima Corpus, quàm Director discipulam deserere possit; tunc jam, vel per illusiones tentat discipulam decipere, fingendo favores extraordinarios Dei, aut Visiones, aut Revelationes, quas Director audiens, qui jam illam animam singularis perfectionis existimabat, non judicat alienas à veritate; imò in examine illarum cum affectione jam ponderatâ ducatur, facilè decipi potest, & credere illas veras: & exindè altiorem conceptum format de discipulâ, quin & de suâ directione, quæ ad tam altas cum Deo communicationes perducit. Ex quo nihil mirùm, quòd in varias uterque incidat illusiones Satanæ, & in alios errores; ut experientia ipsa satìs demonstravit; sed hoc periculo obitèr indicato, redeo ad institutum nostrũ.

749. Alitèr enim solet Satanas in eo statu tentare; nempè, excitando sensualitatem discipulæ, alterationesque, & motus passivos turpes in illâ, quos, in primis, magnâ sui pœnâ, & ingenti tormento patitur, resistens pro posse illis vehementèr. Sed est aliud tormentum majus; nempè, eos motus aperire Confessario Directori: si eos occultare velit, videtur sibi jam deficere integritati Confessionis, Obedientiæ, propositæ fidelitati, & claritati; & fallitatem, simulationem, & infidelitatem incurrere, ac sub falsò procedere fundamento; Confessario ignorante eos motus, & cogitationes. Si verò, conscientiâ sic agitante, quod sentit propalare *velit*, *occurrit* jam pudor retardans, jam periculum *imminens*, jam timor, nè à Confessario deseratur, & alia hujusmodi; itaque, adeò contrariis his affectibus agitatur, ut Director non possit novitatem non advertere: interrogat, perscrutatur, monet, jubet, adjurat ipsam, ut quid *novi illi* accidat, adaperiat: id tamèn assequitur, ipsâ non parùm reluctante, & quod uno verbo, in momentoque confiteri possit, paulatìm reluctans, & per plura verba, vix integrè confitetur, sempèr inquieta, & nondùm satisfacta, quòd plenè se declaraverit, obligans forsàn Confessorem, ut eos motus, & alterationes exponat, interrogando, an ita, vel ita contingerint? Qui modus confitendi, periculosissimus, & perniciosissimus esse solet, etiám Confessario, qui, ut supponitur, affectus ergà illam, vix poterit non eosdem

in se

in se sentire motus. Et hic est jam tertius gradus cadendi.

750. Quod tamèn ubì Satan jàm assequutus est, videns fornacem utrinque accensam, ignem exsufflare non cessat, adeòut jam nihil aliud reputet habere confitendum pœnitens, nisi motus illos, de illis fit tota collatio, inquisitio, examen, & collocutio; & utrinque periculum magìs augetur. Remedium opportunissimum, & efficacissimum erat, quòd ex tunc totalis separatio fieret, & ipsa alterum quærere Confessarium, & Directorem; idque ipsum efficaci imperio exequi faceret talis Confessarius. Sed jam id penè impossibile est; nàm vinculum mutuæ affectionis, & amoris, tàm altas jam radices egit, tàmque robustum, & indissolubile factum est, ut sinè gratiæ miraculo rumpi non possit. Quòd non diffitebitur, qui legerit, Magnum Augustinum ità amico copulatum fuisse, ut eo mortuo, vix vivere posset præ ingenti pœnâ, & tristitiâ; & opus fuerit terram interponere, ut illius posset memoriam intermittere. Alia etiàm exemplaria leguntur, & experientiâ semper ostenduntur, in quibus, quanta sit vis amoris, quàmque indissolubile illius vinculum, quùm adoleverit, & radices altas egerit, manifestè comperitur. Eaquepropter, non obstante tanto animi periculo, Director ille cum directâ, in suis Collationibus prosequuntur, crescentibus sempèr igniculis, & stimulis sensualitatis; hoc unum habentes solatium, quòd illos motus involuntarios censent, & absque periculo consensus, de se ipsis plùs debito fiduciam habentes. Sed indè sequitur, quòd illi magìs, ac magìs exardescunt, eòusque, ut jàm per tactus, & actiones impuras sensualitatem exercere, & satisfacere audeant: nec possibile moralitèr est, occasione non sublatâ, communicatione intimâ, & dilectione, ac affectione jam viscosâ durante, ab illis abstinere. Nulla enìm vota; nulli conatus ad continentiam sufficiunt, ubì illa incentiva non subtrahuntur. Et hic est quartus gradus cadendi.

751. Tunc Director, præsertìm si ex illis est, qui doctrinis variis, & peregrinis abducitur, de purgatione passivâ spiritus, & vexationibus, quas in eo statu solent animæ ab immundis spiritibus pati, de quibus aliqua rarissima, & singularissima reperiuntur scripta, omnia prædicta violentiæ Dæmonis attribuit, purgationem passivam spiritus esse contestabitur; ac jubet discipulam bono animo esse; bonum nàmque esse signum talia tolerare; nullum ibi peccatum, aut culpam, sed meritum eximium, & alia hujusmodi allegare solet, seù non cessat, ut discipulæ conscientiam quietare possit. Quòd si illa, in præsenti urgentiâ, aut in gradu antecedenti, alium consulere velit Directorem, aut Confessarium doctum; ab hoc salutari consilio eam retrahit, allegando pauciissimos esse, qui eam spiritus viam intelligant: raros, qui de his, quæ illi contingunt, judicare possunt: multos consulere Directores imperfectorum esse; imò propterea Dæmonem eas vexationes in illam exercere, ut suum deserat Directorem, cum quo hactenùs tantùm profecerit, ut viam benè ceptam non prosequatur; Quìn, addit, si cum aliis conferat, ut ignorantes scan-

Digitized by Google

dalizandos esse: hisque, & aliis allegatis, jubet eam secretum omninò in eis rebus servare. Si verò ejusdem doctrinæ sciat alium inveniri alicubi, (quod solet contingere) ad eum illam remittit, quo magis confirmetur; vel aliquandò, si potest, illam casum cum aliquo docili tractat, eumque ad suam doctrinam trahit, & tunc ad illum discipulam mittit, & omnes vias exquirit, ut secretum à Theologis integræ vitæ, & doctrinæ abscondatur, quos eam singularem proficiendi viam ignorare putat. Ut autèm eam magis assecurare posset de firmitate in tali doctrinâ, magnâ auctoritate eam jubet suum modum orationis prosequi, inconfessam, post dictos tactus, & actiones, ad Eucharistiam accedere; docetque, remorsus conscientiæ meros scrupulos esse, ad perturbandam pacem, & quietem internam: Et hic est quintus gradus cadendi.

752. Postquàm autèm eos Satan jam in prædicto gradu lapsos, assecuratos tenet, non solet ibi sistere; sed ad mutuos tactus, & obscœnitates urget; quin & ad mutuam conjunctionem carnalem, ad quam honestandam, (oh quot errores Director intentat!) jam vexationi Dæmonis, ac violentiæ attribuit; quòd si hanc prætendere non possit, dispensatione Divinâ id sibi licere asserit; quia in alto illo gradu Orationis, quietis, & contemplationis peccatum esse non potest, spiritum intèr opera carnis purissimum consistere; imò conjunctione corporum unionem spiritualem augeri. Omitto alios innumeros errores, quos, nisi Deo revelante, secretum illud Ecclesia, & sacrum fidei Tribunal reprimeret, *oriri possent, & orti fuere aliquandò.*

APPENDIX II.

Cautela observanda contrà viam labendi expositam.

Ex eodem Rev. Illmo Antistite Francisco Palanco.

753. PRæcipua cautela est tota doctrina præmissa, & prævia illius viæ cognitio; propterea enim, eam Theologi, qui ad ministerium dirigendi, & pascendi animas plerumque creantur, hìc describere volui; puto enim, neminem, qui illam prænoverit, incautum adeò futurum, ut per illam nec primum gressum, aut gradum incedere velit; nam, licèt sit via, quæ initio videtur homini recta, novissima tamèn illius in Errorum voraginem ducunt.

754. Igitùr tota illius series consistit in eo, quòd, amor primò spiritualis degenerat in naturalem, de naturali in sensibilem, de sensibili in excitativum sensualitatis, de excitativo in sensualem formalitèr: & hoc adeò insensibilitèr descendendo, quòd, quantò sic degenerat amor, tantò magis augetur deceptio in viâ spiritus, & perfectionis, volendo utrumque conjungere, & indè simùl cum passionibus Carnis incrementum accipit error mentis. Putant aliqui impossibile, quòd mens adeò decipiatur, & er-

Digitized by Google

& erret, ut hæc, quæ memorabimus, mente credere possint, qui talia agunt. Sed, in primis, eos Ecclesia, non ut solùm hypocritas, sed ut hæreticos damnat. Deindè vim amoris tàm humani, quàm Carnalis ignorat, qui talem cœcitatem, ac decreptionem mentis inducere possit, negat, ut eos phanaticos errores illi uti verissimos credere, & cum pertinaciâ tueri possint.

755. Igitur cautelâ maximâ opus est, quæ incipere debet à primo gradu cadendi, juxtà illud:

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Quàm mala per longas invaluere moras.

Initio igitùr Director debet discernere intèr amorem naturalem, & spiritualem. Amor enìm spiritualis, purè talis, solùm tendit, ut Persona directa proficiat in Dei amore, mundique, & vanitatis despectu, ac Deo in spiritu, ac veritate servire discat, in quo si aliquem perfectum viderit, Deo, ut unico Authori attribuat; sciens, quòd neque qui plantat est aliquid, nequè qui rigat, sed, qui incrementum dat, Deus; & propterea Deo soli honorem, & gloriam deberi certissimè credit, exindèque eum magis diligit, & laudat: Et indè amor spiritualis alitur, & augetur. E' contrà, amor naturalis pascitur ex frequenti conversatione, & amorum simpathiâ, ex promptâ discipulæ obedientiâ, ex dulci colloquio, ex fideli correspondentiâ, ex honore, & existimatione indè sibi sequutâ, ex complacentiâ in his, & in fructu suæ doctrinæ, vi cujus de se, suoque modo dirigendi nonnihìl præsumit, quasi ipse aliquid sit. Debet ergò Director discernere, quantùm possit, intèr illum, & istum amorem, & hunc devitare quantùm possit, declinando communem vanam complacètiam, ac sui æxtimationem: nèc contentus sit in generali cognoscere, quòd omne bonum perfectum ex Deo est, & cætera, quæ diximus; sed in singulari frequentèr sui cordis secreta scrutetur, attendens, de quo complaceat, de quo verò displiceat; ut indè, quis amor in corde suo regnet, possit discernere: & intereà, cum personâ, quam dirigit, non prolixiores collationes habeat, nèc de aliis rebus vanis, nisi de illis, quæ ad illius profectum spiritualem conducent, & tantùm præcisè, quantùm oportet, servando sempèr gravitatem in stylo, & integritatem in modo docendi, & superioritatem sui ministerii.

756. Non diffiteor propterea, quòd aliquandò opus est cum aliquibus incipientibus aliquantulùm gravitatem deponere, & amorem tenerum, ac naturalem simulare, illisque, tamquàm parvulis in Christo, lac potum dare; ut sic illos ablactare possit à Mundi vanitatibus, à terrenis deliciis, & ab aliis amoribus noxiis: sed tamèn, sic amorem simulando, & affectum, sempèr curare debet interiùs sui animi libertatem, ut, scilicèt, intùs vinculo illius amoris non teneatur; nec illo visco, quo utitur simulatè ad captivandas animas in obsequium Christi, ipse captivetur ab illis in obsequium illarum, aut ad sui complacentiam; hoc enìm sempèr debet in se maximè timere, examinare, & cavere pro posse, ad destinatum finem gloriæ Dei sempèr, quâ puritate possit, respiciens. Et propterea cum viderit animam sufficien-

Digitized by Google

cientèr à Mundi vanitatibus avulsam, & in proposito sancto constantem, & quòd jam solido cibo pasci possit, paulatìm ad debitæ integritatis, & gravitatis stylum redire debet, eamque ad hoc ipsum, ut ipsi utile assuefacere. Quod, si ita observaverit in principio, credo sanè, quòd vitabit lapsum in sequentes anfractus.

757. Si verò incautus forsàn fuerit, advertat, se jam esse in gravi periculo deceptionis, à quo pro tunc adhùc liberari potest, si, scilicèt, periculum animadvertens, sibi vim faciat, abstinendo à tantâ familiaritate, & colloquiis; Et oportebit sanè, ex aliquo prætextu, discipulam, per aliquod tempus, ad alium Confessarium remittere, designando illi regulas, interdùm observandas, in quo, si difficultatem sentiat, quantò majorem, tantò majus sui periculum esse cognoscat, & tantò magis hoc remedio egere advertat, & sibi violentiam faciat, abstinendo ab illius colloquio, usque dum ab illâ sollicitudine, anxietate, & visco se liberum inveniat, suique plenè dominus. Et postea poterit, cum cautelâ præmissâ, alitèr illam audire majori, & minori frequentiâ, cum præmissâ gravitate, & integritate; cavens semper, nè vinculo amoris humani, & naturalis captivetur; sed purè absquè omni interesse propriæ complacentiæ, aut satisfactionis, suum ministerium exerceat ad illius animæ salutem, & Dei gloriam. Itèmque, illius Revelationibus, de interiori vitâ, deque Dei favoribus, non tantam deferat fidem; sed semper præ oculis habeat, possibile esse, eam vel fallere, vel falli in sui cognitione, & in suis expressionibus; credatque magis operibus, & aliis signis, quàm ejus verbis: & in fide adhibendâ, & conceptu formando de illius vitâ interiori, integerrimus sit Judex, & incorruptus, idèst, omnem procùl affectionem, & amorem deponendo, tam illius, quàm sui, eam representando quasi ab alio directam, & nihil ad se pertinentem: In hoc enim examine, aut judicio, ad vitandam deceptionem magnâ opus est integritate mentis, ut non conceptum formet, quinimò, quantâlibet integritate sibi fidat, sed se semper fallibilem esse cognoscat. Et promptus sit aliorum judicio se submittere, si vel ex factis, & operibus, vel aliquo alio argumento contrarium constet de personâ directâ. Quod si observet, certè non perveniet ad tertium gradum.

758. *Si autèm ad tertium us*que gradum lapsus fuerit, jam *non* potest periculum ponderari, tum Illusionis in credendo favores Dei extraordinarios; tum Erroris in diseredendo culpas pœnitentis. Propterea unicum remedium est, libertatem facere pœnitenti, ut cum aliis bonæ famæ viris confiteatur *in*tegrè suæ conscientiæ remorsus: quòd si detractet, ad hoc ipsum etiã eam obligare; quod præsertìm observandum est, ubi motus illi sensualitatis increverint, ut ad quartum labendi gradum non deveniatur. Si verò incautè deventum sit ad quartum illum gradum, in quo, non tam periculum ingens, sed peccatum apertè detegitur, obligatio est quàm maxima totalis separationis, & fugæ, nè in quintum erroris pertinacis gradum, & baratrum deveniatur. Nèc frivola illa motiva *non* discendi, quæ in quinto gradu al-

le-

Digitized by Google

legantur, debet fugam impedire. Nam in primis non levis videtur præsumptio existimare, raros, vel nullos esse, qui viam illam Spiritus intelligant. Demus enim, quòd rari sint! Illos Discipula inquirat. Quid faciendum esset, si Director è vivis discederet? Hoc igitùr modò faciat: non deerit Deus. Deindè, licèt plures quærere Consultores, ubi tuta via est, imperfectorum sit; secùs tamèn ubi anfractibus periculosissimis intercepta; tum enim eidem viæ, eidemque Directori unico inhærere, temeritas potiùs est, quàm perfectio. Demùm, si Diabolus, eas sensualitatis suggessisset actiones, ut suum Directorem dimitteret, cur non á principio? Imò potiùs expectavit, ut vinculum amoris redderetur indissolubile, ut talia suggereret, dum remedium unicum fugæ præclusum videretur? Timor etiam, quòd alii, velutì ignorantes scandalizabuntur, vanus est, & præsumptuosus: præterquàm quòd multominùs est detrimentum, quòd hic, vel ille Confessarius scandalizetur, quàm tota scandalizetur Ecclesia, ut sæpè demonstravit experientia.

759. Quinimò censeo, quòd quandò periculum ita increvit usque ad illam doctrinam suadendam cum secreto illo, & modo clandestino: quisquis id scierit, ad Judices fidei deferre debet; nè tam pestiferus error serpat, & diffundatur. Propterea, ante quàm eousquè pervenerit, remedium est adhibendum fugæ, & separationis, nulloque motivo, quantumvis urgenti, perseverandum in tali directione, noduſque ille non tam solvendus, quàm scindendus est quantociùs, & si opus fuerit, terra interponenda, & nèc per literas communicatio conservanda; sed omninò præcidenda; nam viscus ille contractus nullâ non violentiâ eget, ut qui semèl eò fuerit irretitus, liberetur; alioquìn ad ultimum erroris abyssum perveniet, in quo sub prætextu violentiæ, nihil non turpe committere audebunt: Si enim actiones illæ, & tactus, titulo violentiæ, semèl admiserint; Cur si aliquandò occasio se obtulerit, non poterunt violentiæ etiam imputare, quòd ad Carnalem Concubitum coacti fuerint sinè culpâ? Certè hoc possibile asserebat Molinosius damnatus, intèr personas utriusque sexus, etiam altissimæ perfectionis. Quòd si dicas: Occasionem illam vitari posse, vel ab eâ fugere quùm instet periculum. Et cur non poterit etiam alius dicere, quòd violentèr ad illam ductus, quòd violentèr in illa detentus, & coactus fuit? Semèl enim concesso, Dæmonem posse cogere manus ad impuros tactus; cur non poterit concedi, posse movere pedes ad occasionem quærendam, & illâ inventâ, ad non fugiendam? Vide, in quam, Errorum voraginem ea via perducat, nisi quantociùs deseratur. Cave igitùr in illâ securitatem, &, ut inquit Bernardus: *Si vis esse securus, fuge securitatem*: hinc enim timor, & pavor præ omni securitate approbandus est.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX III.

Ad hujus Ævi Pseudo-Mysticos.

Ex Epistolis B. Pauli Apostoli.

760. O (1) Insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati, antè quorum oculos Jesus Christus præscriptus est in vobis Crucifixus? Hoc solùm à vobis volo discere: ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis, ut quùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini? (2) Evacuati estis à Christo, à gratiâ excidistis. Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire? (3) Imbecilles facti estis ad audiendum. Etenim quùm debueratis Magistri esse propter tempus: rursùs indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei: & facti estis, quibus, lacte opus est, non solido cibo. (4) Hoc igitùr dico, & testificor in Domino, ut non ambuletis, sicùt & Gentes ambulant in vanitate sensus sui. Tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum. Qui desperantes semetipsos crediderunt impudicitiæ. Vos autèm non ità didicistis Christum. Si tamèn illum audistis, & in ipso edocti estis, sicùt est veritas in Jesu. Deponere vos secundùm pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris. Propter quòd deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniàm sumus invicem membra. Nolite locum dare Diabolo. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. (5) Jesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci; optimum est enim gratiâ stabilire cor. (6) *Voluntariè enim peccantibus nobis* post acceptam notitiam veritatis, jàm non relinquitur pro peccatis hostia. Terribilis autèm quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio: Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

(7) Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. (8) Et si contristavi vos in Epistolâ, non me pœnitet: non quiâ contristati estis, sed quiâ contristati estis ad pœnitentiam. Igitùr scripsi vobis ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis. (9) Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus

(1) Ad Galat. 3. (2) Ad Galat. 5. (3) Ad Hebr. 5. (4) Ad Ephes. 4. (5) Ad Hebr. 13. (6) Ad Hebr. 10. (7) 1. Cor. 4. (8) 2. ad Cor. 7. (9) Ad Hebr. 4.

Digitized by Google

mus in auxilio opportuno. (10) Christus Jesus venit in hunc Mundum peccatores salvos facere: (11) Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. (12) Implete gaudium meum, ut idem sapiatis. (13) Deus autèm pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram se per Jesum Christum: cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

---

(10) 1. Timot. 1. (11) 1. Timot. 2. (12) Ad Philip. 2. (13) Ad Hebr. 13.

PROTESTATIO AUCTORIS.

IN his Dissertationibus Mystico-Scholasticis adversùs Pseudo-Mysticos istius ævi: *Si in aliquo defecerim ob defectum Intellectus, meus animus nunquàm est, segregari à sano sensu, ac doctrinâ S. M. Ecclesiæ Catholicæ. Tùne enim penitùs me subjicio, nedùm luci indefectibili, & Ecclesiæ ordinationi: verùm etiàm dictamini cujuscumque, qui melius de his judicaverit.* Hæc, quæ ex Divo Joanne à Cruce [in prolog. ad opusc. de Ascens.] Mysticæ Magistro exscribo, ultroneus sentio, & in istâ præclarâ, ac nobili subjectione vivere volo, & mori.

Digitized by Google

TEXTUS SACRÆ SCRIPTURÆ QUI IN HOC OPERE CONTINENTUR.

Littera P. Paginam, C. Columnam, N. Numerum designant marginalem.

GENESIS.

Cap. III. v. 1. SEd & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ. p. 82. c. 1. n. 104. p. 234. c. 1. n. 398.

v. 5. Eritis sicut Dii. p. 24. c. 1. n. 43.

v. 15. Ipsa conteret caput tuum. p. 141. c. 1. n. 184. p. 414. c. 2. n. 682.

Cap. IV. v. 7. Statim in foribus peccatum aderit, p. 141. c. 1. n. 184.

Ibi. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. p. 187. c. 1. n. 277. p. 188. c. 1. n. 277. p. 440. c. 2. n. 729.

Cap. VI. v. 12. Omnis caro corruperat viam suam. p. 27. c. 1. n. 53.

v. 13. Serpens decepit me. p. 40. c. 1. n. 664.

Cap. XI. v. 4. Faciamus nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur. p. 24. c. 1. n. 43.

Cap. XIV. v. 21. Da mihi animas, cætera tolle tibi. p. 324. c. 1. n. 544.

Cap. XXII. v. 1. Deus tentavit Abraham. p. 5. c. 2. n. 4.

Cap. XXVIII. v. 17. Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli. p. 411. c. 1. n. 677.

Cap. XXXI. v. 29. Valet manus mea reddere tibi malum: Sed Deus patris tui heri dixit mihi: cave ne loquaris contrà Jacob quidquam durius. p. 40. c. 1. n. 74.

Cap. XXXII. v. 24. Mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè. p. 94. c. 1. n. 117.

Cap. XLII. v. 1. & seq. Quare negligitis? Discedite, & emite nobis necessaria. p. 26. c. 2. n. 50.

Cap. XLVIII. v. 13. Cum in honore esset, non intellexit: Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. p. 192. c. 2. n. 285.

Cap. L. v. 20. Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos. p. 112. c. 2. n. 140.

EXODI.

Cap. IX. v. 16. Idcircò autem posui te, *ut ostendam in te* fortitudinem meam, & narretur *nomen meum in* omni terrâ. p. 101. c. 1. n. 124.

Cap. XII. v. 12. Percutiam omne primogenitum in terrâ Ægypti. p. 142. c. 2. n. 184.

Cap. XIV. v. 4. Et indurabo cor ejus. p. 407. c. 1. n. 670.

Cap. XXIII. v. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies. p. 177. c. 1. n. 250.

v. 12. Sex diebus operaberis, septimâ die cessabis, & requiescet Bos, & Asinus tuus. p. 43. c. 1. n. 75.

LEVITICI.

Cap. XV. v. 2. Vir, qui patitur fluxum seminis, immundus erit. p. 299. c. 1. n. 508.

v. 31. Docebitis ergò filios Israel, ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis. p. 218. c. 1. n. 341.

NUMERI.

Cap. XX. v. 10. Audite rebelles, & increduli: numquid de petrâ hac poterimus aquam ejicere. p. 8. c. 1. n. 13.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XXI. v. 4. Tædere cœpit populum itineris, ac laboris. p. 26. c. 2. n. 50.
Cap. XXIII. v. 19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. p. 213. c. 2. n. 333.
v. 20. Ad benedictionem adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. p. 347. c. 2. n. 583.
Cap. XXIV. v. 1. Cumque vidisset Balaam, quòd placeret Domino, ut benediceret Israeli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum. p. 348. c. 2. n. 584.

DEUTERONOMII.

Cap. XIII. v. 3. Tentat vos Dominus Deus noster, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in totâ animâ vestrâ, p. 5. c. 2. n. 4.
Cap. XXII. v. 23. & seq. Si Virginem puellam desponderit Vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum eâ, &c. p. 157. c. 1. n. 220.
Cap. XXXII. v. 29. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. p. 82. c. 2. n. 104.

JUDICUM.

Cap. III. v. 1. Hæ sunt generationes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, &c. p. 7. c. 2. n. 11.

I. REGUM.

Cap. II. v. 9. Pedes Sanctorum suorum servabit. p. 292. c. 2. n. 496.
Ibi. Et impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine suâ roborabitur Vir. p. 150. c. 1. n. 202. p. 292. c. 2. n. 496.
Cap. V. v. 6. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures. p. 283. c. 2. n. 474.
Cap. XVI. v. 7. Homo videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor. p. 344. c. 1. n. 578.
v. 15. Ecce Spiritus Dei malus exagitat te. p. 252. c. 1. n. 437.
Cap. XVII. v. 35. Apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos. p. 314. c. 1. n. 535.
v. 39. Non possum sic incedere, quia usum non habeo. p. 200. c. 1. n. 306.
Cap. XXI. v. 4. & seq. Non habeo laicos panes, . . . Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus. p. 299. c. 2. n. 509.

III. REGUM.

Cap. XI. v. 4. Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per Mulieres. p. 27. c. 2. n. 53. p. 200. c. 1. n. 306.
v. 14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni. p. 125. c. 2. n. 158.
Cap. XIII. v. 18. & seq. Et ego Prophæta sum. . . comedit ergo panes in domo ejus, & bibit aquam. p. 14. c. 1. n. 23.

IV. REGUM.

Cap. VI. v. 16. Noli timere. plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. p. 92. c. 1. n. 116.
Cap. XVII. v. 39. Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum. p. 321. c. 2. n. 542.

I. PARALIPOMENON.

Cap. V. v. 18. Viri bellatores, scuta portantes, & gladios. p. 129. c. 1. n. 160.

II. PARAL.

Cap. XX. v. 17. Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos. p. 93. c. 1. n. 117. p. 163. c. 2. n. 227.
Cap. XXXII. v. 31. Dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus. p. 5. c. 1. n. 4.

TOBIÆ.

Cap. II. v. 12. Hanc tentationem ideò permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus. p. 104. c. 1. n. 129. p. 359. c. 1. n. 601.
Cap. XII. v. 13. Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te. p. 5. c. 1. n. 3. p. 104. c. 2. n. 129.

JUDITH.

Cap. XIII. v. 20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus. . . . Et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari; sed sine pollutione peccati revocavit me Dominus gaudentem in victoriâ suâ, in oratione meâ, & in liberatione vestrâ. p. 88. c. 1. n. 116. p. 114. c. 1. n. 141.

ESTHER.

Cap. XIV. v. 11. Ne tradas sceptrum his, qui non sunt. p. 284. c. 2. n. 474.

JOB.

Digitized by Google

JOB.

Cap. I. v. 7. Circuivi terram, & perambulavi eam. p. 271. c. 1. n. 461.
Cap. II. v. 6. Ecce in manu tuâ est, verumtamèn animam illius serva. p. 114. c. 2. n. 141. p. 236. c. 1. n. 398. p. 324. c. 1. n. 544. p. 378. c. 1. n. 631.
v. 10. Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus. p. 359. c. 1. n. 601.
Cap. III. v. 24. Sicut inundantes aquæ, sic rugitus meus. p. 411. c. 1. n. 677.
Cap. IV. v. 21. Nunquid pones circulum in naribus ejus: aut armilla perforabis in maxillam ejus? p. 386. c. 1. n. 640.
Cap. V. v. 12. Qui dissipat cogitationes malignorum ne possint implere manus eorum quod ceperant. p. 322. c. 1. n. 542.
v. 15. Porrò salvum faciet egenum à gladiis eorum, & de manu violenti pauperem. p. 322. c. 1. n. 543.
v. 19. In sex tentationibus liberabit te, & in septimâ non tanget te malum. p. 384. c. 1. n. 638.
v. 20. Eruet te in bello de manu gladii. p. 386. c. 1. n. 640.
v. 22. & seq. Bestias terræ non formidabis: sed cum lapidibus regionem pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. p. 323. c. 1. n. 543.
Cap. VII. v. 1. Tentatio est vita hominis super terram. p. 4. c. 1. n. 1. p. 312. c. 1. n. 531.
v. 20. Quid faciam tibi o custos hominum. p. 96. c. 1. n. 117.
Cap. IX. v. 7. Qui præcipit Soli, & non oritur: & Stellas claudit quasi sub signaculo. p. 301. c. 1. n. 512.
v. 12. Quis dicere potest: cur ita facis? p. 21. c. 1. n. 62. p. 99. c. 1. n. 117.
Cap. XV. v. 5. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium. p. 239. c. 1. n. 404.
Cap. XVI. v. 12. Concluſit me Deus apud iniquum, & manus impiorum me tradidit. p. 323. c. 2. n. 543.
v. 14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terrâ viscera mea. p. 323. c. 2. n. 543.
v. 15. Irruit in me quasi gigas. p. 323. c. 2. n. 543.
v. 18. Hæc passus sum, absque iniquitate manus meæ: cum haberem mundas ad Deum preces. p. 323. c. 2. n. 543.
Cap. XVII. v. 9. Tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. p. 245. c. 1. n. 415.
Cap. XXI. v. 14. Dixerunt Deo: recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. p. 388. c. 2. n. 641.
Cap. XXII. v. 13. Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem indicat: nubes latibulum ejus, nec nostra considerat: & circa cardines Cœli ambulat. p. 43. c. 2. n. 74.
v. 17. Qui dicebant Deo: recede à nobis: & quasi nihil potest facere Omnipotens estimabant eum. p. 43. c. 2. n. 74.
Cap. XXIV. v. 13. Ipsi fuerunt rebelles lumini. p. 388. c. 2. n. 641.
Cap. XXIX. v. 17. Conteram molas iniqui, & de dentibus illius auferam prædam. p. 278. c. 1. n. 472.
Cap. XXX. v. 14. Quasi rupto muro, & aperta januâ irruerunt super me. p. 13. c. 1. n. 21.
Cap. XXXI. v. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. p. 160. c. 2. n. 222.
v. 12. Ignis est usque ad consumptionem devorans, & omnia eradicans p. 166. c. 1. n. 232.
Cap. XXXIV. v. 27. Qui quasi de industriâ recesserunt à Deo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. p. 500. c. 1. n. 643.
Cap. XXXVIII. v. 10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi: usque huc venies, & non procedes amplius: & hic confringes tumentes fluctus tuos. p. 39. c. 1. n. 74.
v. 24. Per quam viam spargitur lux, & dividitur æstus super terram. p. 40. c. 1. n. 74.
Cap. XL. v. 16. Sub umbrâ dormit in secreto calami, & in locis humentibus. p. 281. c. 1. n. 474. p. 412. c. 2. n. 677.
v. 17. Prosegunt umbræ umbram ejus. p. 401. c. 1. n. 664.
Cap. XLI. v. 23. Post eum lucebit semita. p. 267. c. 1. n. 462.
v. 24. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est, ut nullum timeret. p. 82. c. 1. n. 142. p. 91. c. 2. n. 116. p. 110. c. 1. n. 135. p. 270. c. 1. n. 464. p. 891. c. 2. n. 496.

Digitized by Google

n. 496. p. 307. c. 2. n. 525. p. 310. c. 1. n. 529. p. 319. c. 1. n. 538. p. 352. c. 2. n. 590. p. 367. c. 1. n. 615. p. 390 c. 2. n. 644.

EX PSALMIS.

V. v. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. p. 445. c. 2. n. 739.

v. 11. Non est in ore eorum veritas. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. p. 148. c. 1. n. 197.

VII. v. 11. Justum adjutorium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde. p. 93. c. 1. n. 117.

v. 16. Incidit in foveam, quam fecit. p. 245. c. 1. n. 415.

XI. v. 3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt. p. 292. c. 2. n. 496.

v. 9. In circuitu impii ambulant. p. 271. c. 1. n. 465.

XIV. v. 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. p. 261. c. 1. n. 458.

v. 5. Qui facit hæc non movebitur in æternum. p. 178. c. 2. n. 252.

XVI. v. 3. Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas. p. 114. c. 2. n. 141.

v. 11. Oculos suos statuerunt declinare in terram. p. 367. c. 2. n. 615.

XVII. Per totum. p. 52. c. 1. n. 83. p. 164. c. 1. n. 227. p. 213. c. 2. n. 333. p. 286. c. 1. n. 479. p. 321. c. 1. n. 542. p. 387. c. 2. n. 641.

XXI. v. 21. & seq. Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. p. 261. c. 1. n. 458.

XXIII. v. 1. Domini est terra, & plenitudo ejus: Orbis terrarum, & qui habitant in eo. p. 248. c. 1. n. 424.

v. 8. Dominus fortis, & potens in prælio. p. 276. c. 2. n. 471.

XXIV. v. 4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacuè. p. 429. c. 1. n. 706.

XXV. v. 2. Proba me Domine, & tenta me. p. 5. c. 2. n. 4.

XXVI. v. 1. & seqq. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo. p. 278. c. 2. n. 472. p. 436. c. 1. n. 717.

XXIX. v. 7. & seq. Ego autem dixi in abundantiâ meâ: non movebor in æternum. Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. p. 52. c. 1. n. 83. p. 150. c. 1. n. 202.

XXX. v. 9. & seq. Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam. Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos. p. 262. c. 1. n. 458.

XXXI. v. 3. Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea. p. 430. c. 1. n. 709.

v. 9. Sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. p. 386. c. 2. n. 640. p. 425. c. 2. n. 701.

XXXIII. v. 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. p. 88. c. 1. n. 116.

XXXV. v. 4. Noluit intelligere, ut benè ageret. Iniquitatem meditatus est, in cubili suo: adstitit omni viæ non bonæ: Malitiam autem non odivit. p. 339. c. 2. n. 568.

v. 7. Judicia ejus abyssus multa. p. 31. c. 1. n. 62.

XXXVI. v. 9. Qui malignantur, exterminabuntur: Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram. p. 250. c. 2. n. 431.

v. 24. Cum ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam. p. 57. c. 2. n. 85.

v. 27. & seq. Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi. Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet Sanctos suos: in æternum conservabuntur. p. 57. c. 2. n. 85.

v. 33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus. p. 57. c. 2. n. 85.

XXXVII. v. 9. Rugiebam à gemitu cordis mei. p. 411. c. 1. n. 677.

XXXVIII. v. 8. Universa vanitas omnis homo vivens. p. 367. c. 1. n. 615.

XXXIX. v. 15. & seq. Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: euge, euge. Convertantur retrorsum, & revereantur, qui volunt mihi mala. p. 345. c. 2. n. 580.

XLIV. v. 4. Accingere gladio tuo super fe-

femur tuum potentissimè. p. 129 c. 2. n. 160.

v. 13. & seqq. Fidelis Deus in omnibus verbis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis, voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet. p. 343. c. 1. n. 575.

XLV. v. 2. Deus refugium nostrum, & virtus: Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. p. 308. c. 2. n. 527.

v. 10. Arcum contrivit, & confregit arma, & scuta comburet igni. p. 277. c. 1. n. 470.

XLIX. v. 15. Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. p. 321. c. 1. n. 542. p. 351. c. 1. n. 588.

v. 19. Os tuum abundavit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos. p. 182. c. 2. n. 261.

LI. Quid gloriaris in malitiâ &c. per totum. p. 245 c. 2. n. 415.

LIV. v. 9. Salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate. p. 12. c. 1. n. 20.

LVII. v. 9. Supercecidit ignis, & non viderunt Solem. p. 307. c. 2. n. 525.

LVIII. v. 4. Irruerunt in me fortes. p. 13. c. 1. n. 21.

LIX. v. 14. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos. p. 367. c. 2. n. 615.

LXI. v. 10. Mendaces filii hominum in stateris; ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. p. 435. c. 2. n. 716.

LXII. v. 12. Obstructum est os loquentium iniqua. p. 177. c. 2. n. 250.

LXVIII. v. 10. Zelus domus Dei comedit me. p. 435. c. 2. n. 717.

v. 28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam. p. 407 c. 2. n. 671.

LXXI. v. 4. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. p. 408. c. 2. n. 675.

LXXII. v. 12. Dejecisti eos dum allevarentur. p. 296. c. 2. n. 491.

v. 19. Facti sunt in desolationem subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam. p. 418. c. 2. n. 687.

v. 21. Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi. Ut jumentum factus sum. p. 139. c. 1. n. 184.

LXXVII. v. 21. Ignis accensus est in Jacob. p. 166. c. 1. n. 232.

v. 49. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos. p. 271. c. 1. n. 465.

LXXIX. v. 6. Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ. p. 45. c. 2. n. 75. p. 311. c. 1. n. 529.

LXXXI. v. 5. Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant. p. 199. c. 2. n. 303.

LXXXIV. v. 1. Avertisti captivitatem Jacob. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum. p. 412. c. 1. n. 678.

LXXXVIII. v. 10. Tu dominaberis potestati maris: motum autem fluctuũ ejus, tu mitigas. p. 39. c. 2. n. 74.

v. 14. Justitia, & judicium præparatio sedis tuæ. p. 409. c. 1. n. 675.

XC. Per totum. p. 83. c. 1. n. 104. p. 88. c. 2. n. 116. p. 89. c. 1. n. 116. p. 111. c. 1. n. 138. p. 129. c. 1. n. 160. p. 152. c. 2. n. 208. p. 214. c. 2. n. 335. p. 237. c. 1. n. 399. p. 270. c. 1. n. 464. p. 305. c. 2. n. 524. p. 313. c. 2. n. 534.

v. 13. Et conculcabis Leonem, & Draconem. p. 282. c. 1. n. 474.

XCIII. v. 18. Si dicebam: motus est pes meus: misericordia tua Domine adjuvabat me. p. 129. c. 1. n. 160.

CII. v. 13. & seq. Quomodo *miseretur* Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est quoniam pulvis sumus. p. 442. c. 1. n. 733.

CIII. v. 20. Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsâ pertransibunt omnes bestiæ silvæ. p. 219. c. 1. n. 343. p. 267. c. 1. n. 461.

v. 26. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei. p. 82. c. 2. n. 104. p. 106. c. 2. n. 132.

CIV. v. 15. Nolite tangere Christos meos, &c. p. 379. c. 1. n. 631.

CXIV. v. 6. Custodiens Parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me. p. 321. c. 1. n. 542.

CXV. v. 11. Omnis homo mendax. p. 366. c. 1. n. 613.

Digitized by Google

CXVII. v. 7. Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos. p. 93. c. 1. n. 117.
v. 13. Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me. p. 52. c. 1. n. 83. p. 216. c. 2. n. 337.
v. 30. In te eripiar à tentatione. p. 52. c. 1. n. 83.
CXVIII. v. 67. Priusquam humiliarer ego deliqui. p. 290. c. 2. n. 491.
CXX. v. 4. & seqq. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel, &c. p. 96. c. 1. n. 117.
CXXIII. v. 6. & seqq. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum: anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. p. 245. c. 1. n. 415.
CXXVIII. v. 1. & seq. Sæpè expugnaverunt me à juventute meâ &c. p. 145. c. 1. n. 189. p. 281. c. 1. n. 474.
CXXXVI. v. 9. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram. p. 145. c. 1. n. 189.
CXLI. v. 4. In viâ hac, quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi. p. 275. c. 2. n. 471.
CXLIII. v. 15. Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. p. 126. c. 1. n. 158.
CXLIV. v. 9. Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus. p. 442. c. 1. n. 158.
v. 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. p. 35. c. 1. n. 52.
v. 18. & seqq. Propè est Dominus omnibus invocantibus eum: invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & salvos faciet eos. p. 215. c. 1. n. 336.

PROVERBIORUM.

Cap. I. v. 20. usque ad v. 26. Sapientia foris prædicat, &c. p. 62. c. 1. n. 89.
Cap. II. v. 14. Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. p. 335. c. 2. n. 562.
Cap. III. v. 32. Cum simplicibus sermocinatio ejus. p. 420. c. 2. n. 689.
Cap. IV. v. 23. Omni custodiâ serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. p. 138. c. 1. n. 184.
Cap. VI. v. 26. & seqq. Mulier autem Viri pretiosam animam rapit. Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? aut ambulare super prunas, & non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad Mulierem, &c. p. 166. c. 1. n. 232. p. 346. c. 2. n. 581.
Cap. XII. v. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. p. 159. c. 2. n. 221.
Cap. XIII. v. 4. Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. p. 321. c. 1. n. 542.
Cap. XVI. v. 30. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum. p. 139. c. 1. n. 184.
Cap. XVIII. v. 3. Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. p. 413. c. 1. n. 679.
Cap. XXII. v. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. p. 20. c. 1. n. 37.
Cap. XXIII. v. 31. & seq. Ingredietur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. p. 123. c. 2. n. 158.
Cap. XXVIII. v. 1. Fugit impius nemine persequente. p. 284. c. 1. n. 474.
v. 26. Qui confidit in corde suo stultus est. p. 150. c. 1. n. 202. p. 159. c. 2. n. 222.
Cap. XXIX. v. 21. Qui à pueritiâ delicatè nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem. p. 200. c. 1. n. 306.
Cap. XXX. v. 16. Tria sunt insaturabilia: Infernus, & os vulvæ, &c. p. 417. c. 1. n. 686.
Cap. XXXI. v. 10. Mulierem fortem, quis inveniet. p. 374. c. 1. n. 626. p. 423. c. 1. n. 696.

ECCLESIASTES.

Cap. I. v. 9. & seq. Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est: Quid est, quod factum est? ipsum, quod faciendum est. Nihil sub Sole novum; nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; Jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos. p. 350. c. 1. n. 586.
v. 15. Perversi difficilè corriguntur. p. 79. c. 1. n. 10.
Cap. IV. v. 12. Etsi quisquam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei. p. 93. c. 1. n. 117.
Cap. VII. v. 11. Ne dicas: quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? Stulta enim est hujusmodi interrogatio. p. 19. c. 1. n. 37.

v. 14.

Digitized by Google

v. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. p. 79. c. 1. n. 100.

v. 29 Virum de mille unum reperi: Mulierem ex omnibus non inveni. p. 166. c. 2. n. 232.

v. 40. Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. p. 145. c. 1. n. 189.

Cap. VIII. v. 11. Quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala. p. 335. c. 1. n. 561.

Cap. IX. v. 9. Concupiscentia quasi ignis exardescit. p. 145. c. 1. n. 189.

Cap. X. v. 4. Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. p. 351. c. 1. n. 288.

EX CANTICIS CANTICORUM.

Cap. III. v. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. p. 88. c. 1. n. 116.

Cap. VI. v. 9. Terribilis ut castrorum acies ordinatà. p. 285. c. 1. n. 477.

Cap. VII. v. 1. Quid videtis in Sulamite, nisi choros castrorum. p. 88. c. 2. n. 116. p. 387. c. 2. n. 641.

SAPIENTIÆ.

Cap. I. v. 3. Perversæ enim cogitationes separant à Deo. p. 139. c. 1. n. 184.

Cap. II. v. 21. & seqq. Excœcavit illos malitia eorum: & nescierunt Sacramenta Dei: neque mercedem speraverunt justitiæ: nec judicaverunt honorem animarum Sanctarum... Invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. p. 28. c. 1. n. 55. p. 316. c. 2. n. 536.

Cap. III. v. 1. Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum malitiæ. p. 324. c. 1. n. 544. p. 378. c. 1. n. 631.

v. 5. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se. p. 5. c. 2. n. 4.

Cap. VIII. v. 21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det: & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset hoc donum. p. 140. c. 1. n. 184. p. 213. c. 1. n. 331.

Cap. IX. v. 15. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. p. 314. c. 2. n. 335.

Cap. X. v. 11. & seqq. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret. &c. p. 32. c. 1. n. 66. p. 114. c. 2. n. 141. p. 320. c. 2. n. 541. p. 426. c. 1. n. 702.

Cap. XI. v. 21. Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti. p. 330. c. 1. n. 550.

v. 24. Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam, &c. p. 62. c. 1. n. 89.

Cap. XII. v. 1. & seq. O' quàm bonus, & suavis est Domine *Spiritus tuus* in omnibus. Ideoque eos, qui *exerrant* partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: ut relictâ malitiâ, credant in te Domine. p. 62. c. 2. n. 89.

v. 13. Non enim est alius Deus, quàm tu: cui cura est de omnibus, ut ostendas, quoniam non injustè judicas judicium. p. 62. c. 2. n. 89.

v. 20. *Si enim inimicos servorum tuorum, & deditos morti, cum tantâ cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitiâ*: cum quanta diligentia judicasti filios tuos. p. 62. c. 2. n. 89.

Cap. XIV. v. 9. Similiter autèm odio sunt Deo impius, & impietas ejus. p. 445. c. 2. n. 739.

Cap. XVII. v. 2. Dum enim persuasum habent iniqui, posse *dominari* nationi sanctæ, vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi subtectis, &c. p. 292. c. 2. n. 496.

ECCLESIASTICI.

Cap. II. v. 11. Respicite filii nationes hominum, & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum? p. 213. c. 2. n. 332.

v. 12. Quis permansit in mandatis ejus, & derelictus est. p. 57. c. 2. n. 85.

Cap. III. v. 27. Qui amat periculum, in illo peribit. p. 135. c. 1. n. 174.

Cap. IV. v. 33. Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ, & usque ad mortem certa pro justitiâ, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. p. 158. c. 1. n. 220. p. 164. c. 1. n. 227. p. 426. c. 1. n. 702.

Cap.

Digitized by Google

Cap. V. v. 2. Nè sequaris in fortitudine tuâ concupiscentias cordis tui. p. 187. c. 2. n. 277.
v. 4. Peccavi, & quid mihi accidit tristè. p. 335. c. 2. n. 562. p. 443. c. 2. n. 736.
Cap. IX. v. 9. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. p. 123. c. 1. n. 158.
Cap. XIII. v. 1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab eâ. p. 140. c. 2. n. 184. p. 297. c. 2. n. 503.
Cap. XV. v. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. p. 86. c. 2. n. 112. p. 245. c. 1. n. 415. p. 257. c. 1. n. 451. p. 320. c. 2. n. 541. p. 346. c. 1. n. 582. p. 352. c. 2. n. 590.
Cap. XVIII. v. 30. & seq. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tuâ avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis. p. 188. c. 1. n. 277. p. 206. c. 2. n. 323.
Cap. XXI. v. 2. Quasi à facie colubri fuge peccata; & si accesseris ad illa suscipient te. p. 160, c. 2. n. 222.
Cap. XXV. v. 26. Brevis omnis malitia super malitiam Mulieris. p. 14. c. 2. n. 25. p. 374. c. 2. n. 626.
Cap. XXVI. v 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. p. 379. c. 2. n. 633.
Cap. XXVII. v. 6. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio. p. 43. c. 1. n. 76. p. 103. c. 1. n. 129.
v. 19. Si denudaveris absconsa illius, non persequeris post eum. p. 431. c. 2. n. 709.
Cap. XXVIII. v. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit; & si expueris super illam, extinguetur. p. 200. c. 1. n. 306.
Cap. XXXI. v. 10. Beatus, qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit. p. 61. c. 1. n. 86.
Cap. XXXII. v. 28. Qui confidit in illo non minorabitur. p. 150. c. 2. n. 202. p. 342. c. 2. n. 575.
Cap. XXXIII. v. 1. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in Tentatione Deus illum conservabit, & liberabit à malis. p. 93. c. 1. n. 117. p. 150. c. 2. n. 202. p. 343. c. 2. n. 576. p. 384. c. 1. n. 638.
Cap. XXXIV. v. 4. Ab immundo quid mundabitur? p. 382. c. 1. n. 636.
v. 6. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur ... Ne dederis in illis cor tuum. p. 374. c. 1. n. 626.
v. 9. Qui non est tentatus quid scit? p. 103. c. 1. n. 129.
v. 19. Oculi Domini super timentes eum. Protector potentiæ, & firmamentum virtutis. p. 57. c. 2. n. 85.
Cap. XXXVI. v. 22. Cor pravum dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi. p. 188. c. 1. n. 277.
Cap. XXXVII. v. 32. & seq. Non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas. p. 200. c. 2. n. 626.
Cap. XLII. v. 14. Melior est iniquitas Viri, quàm Mulier benefaciens. p. 374. c. 2. n. 626.
Cap. LI. v. 4. Liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam, &c. p. 267. c. 1. n. 460.

ISAIÆ.

Cap. I. v. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, &c. p. 140. c. 1. n. 184.
v. 25. Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omnem stannum tuum. p. 107. c. 1. n. 134.
Cap. V. v. 5. Auferam sepem ejus, & erit in direptionem. p. 84. c. 2. n. 108.
Cap. XI. v. 8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis; & in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. p. 267. c. 2. n. 461.
Cap. XXI. v. 8. Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: & super custodiam meam Ego sum, stans totis noctibus. p. 138. c. 2. n. 184.
Cap. XXVII. v. 10. Civitas enim munita desolata erit. p. 93. c. 1. n. 117.
Cap. XXVIII. v. 7. Verùm hi quoque præ vino nescierunt, &c. p. 24. c. 2. n. 44.
Cap. XXXIV. v. 13. Orientur in domibus ejus spinæ, &c. Et occurrent Dæmonia, &c. p. 401. c. 2. n. 664.
Cap. XXXV. v. 7. In cubilibus, in quibus

Digitized by Google

Dracones habitabunt orietur viror calami. p. 403. c. 2. n. 665.

Cap. XXXVII. v. 29. Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frœnum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti. p. 279. c. 2. n. 474. p. 386. c. 2. n. 640.

Cap. XL. v. 13. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? p. 221. c. 1. n. 349.

v. 29. Qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt fortitudinem. p. 307. c. 2. n. 525.

v. 31. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient. p. 367. c. 2. n. 615.

Cap. XLI. v. 12. Peribunt illi, qui contradicunt tibi; quæres eos, & non invenies viros rebelles tuos. Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: ne timeas, ego adjuvi te. p. 158. c. 2. n. 221.

Cap. XLIII. v. 2. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; quum ambulaveris in igne, non consumeris, & flamma non ardebit in te. p. 47. c. 2. n. 75.

Cap. XLIX. v. 15. Numquid oblivisci potest Mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Etsi illa oblita fuerit, Ego tamen non oblivisear tui. Ecce in manibus meis descripsi te. p. 379. c. 1. n. 631.

Cap. L. v. 7. Dominus Deus auxiliator meus: ideò non sum confusus. p. 93. c. 1. n. 117.

Cap. LI. v. 12. Ego, ego ipse consolabor vos. p. 37. c. 2. n. 73. p. 94. c. 1. n. 117.

v. 23. Dixerunt animæ tuæ: incurvare ut transeamus: & posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus. p. 385. c. 1. n. 639.

Cap. LVII. v. 20. Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundat fluctus ejus in conculcationem, & lutum. p. 39. c. 1. n. 74.

Cap. LXII. v. 6. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt. p. 88. c. 2. n. 116.

JEREMIÆ.

Cap. I. v. 19. Bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum dicit Dominus, ut liberem te. p. 47. c. 2. n. 75.

Cap. II. v. 20. Confregisti jugum meum, & dixisti; non serviam. p. 38. c. 2. n. 73.

Cap. IV. v. 14. Lava à malitiâ cor tuum Jerusalem. Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ. p. 140. c. 1. n. 184. p. 200. c. 1. n. 306.

Cap. V. v. 26. Inventi sunt in populo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos Viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo. p. 309. c. 2. n. 529.

Cap. VII. v. 14. & seq. Dicentes: pax, pax: & non erat pax. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt: quam ob rem cadent inter ruentes: in tempore Visitationis suæ corruent, dicit Dominus. p. 427. c. 2. n. 705.

Cap. IX. v. 21. Mors ascendit per fenestras nostras. p. 200. c. 1. n. 306.

Cap. X. v. 15. Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore Visitationis suæ peribunt. p. 284. c. 1. n. 474.

Cap. XIII. v. 23. Quomodo vos potestis benefacere cum didiceritis mala. p. 78. c. 1. n. 99.

Cap. XX. v. 11. Quod nobiscum sit tamquam bellator fortis. p. 129. c. 1. n. 160.

Cap. L. v. 1. & seq. Verbum, quod loquutus est Dominus, annuntiate in gentibus, & auditum facite; levate signum, prædicate, & nolite cœlare. p. 199. c. 1. n. 303.

v. 23. Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ. p. 262. c. 1. n. 458.

Cap. LI. v. 9. Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. p. 84. c. 2. n. 108.

THRENI.

Cap. II. v. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas, & ejectiones. p. 14. c. 2. n. 24. p. 98. c. 2. n. 117.

Cap.

Digitized by Google

Cap. V. v. 10. Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt. p. 244. c. 1. n. 413.

EZECHIELIS.

Cap. I. v. 9. Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. p. 251. c. 2. n. 435.

Cap. III. v. 20. Ponam offendiculum coram eo. p. 407. c. 1. n. 670.

Cap. VIII. v. 3. Et miſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei: & elevavit me ſpiritus, &c. p. 229. c. 2. n. 379. p. 347. c. 2. n. 583.

Cap. XVI. v. 8. & ſeqq. Eras nuda, & confuſione plena, & tranſivi per te, & vidi te &c. p. 412. c. 1. n. 678.

v. 27. Dabo te in manus Philiſtinorum, qui etiam erubeſcunt de viâ tuâ ſceleratâ. p. 375. c. 1. n. 629.

v. 49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ: Superbia, ſaturitas, abundantia, otium. p. 24. c. 1. n. 43. p. 200. c. 1. n. 306.

Cap. XXVIII. v. 19. Nihil factus es, & non eris in perpetuum. p. 284. c. 2. n. 474.

Cap. XXXIII. v. 11. & ſeq. Sic locuti eſtis dicentes; iniquitates noſtræ, & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis non tabeſcimus: quomodò ergò vivere poterimus? dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a viâ ſuâ &c. p. 62. c. 2. n. 89. p. 406. c. 2. n. 670.

DANIELIS.

Cap. III. v. 91. Nonne tres viros miſimus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes Regi dixerunt: verè Rex. Reſpondit Rex, & ait: ecce video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei. p. 94. c. 2. n. 117.

Cap. V. v. 27. Appenſus es in ſtaterâ, inventus es minus habens. p. 334. c. 2. n. 715.

Cap. XIII. v. 9. Et everterunt ſenſum ſuum, ut non recordentur judiciorum juſtorum. p. 297. c. 1. n. 501.

Cap. XIV. v. 35. Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis ſui. Et clamavit Habacuc dicens: Daniel ſerve Dei; tolle prandium. p. 347. c. 2. n. 583.

OSEÆ.

Cap. II. v. 18. & ſeqq. Percutiam cum eis fœdus in die illâ, cum beſtiâ agri, & cum volucre cœli & reptili terræ. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in juſtitiâ, & judicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies: quia ego Dominus. p. 480. c. 1. n. 674.

Cap. VII. v. 4. Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente. p. 244. c. 1. n. 413.

Cap. XI. v. 3. Ego quaſi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis. p. 378. c. 2. n. 631.

Cap. XIII. v. 9. Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. p. 97. c. 2. n. 117. p. 213. c. 2. n. 333.

AMOS.

Cap. VII. v. 9. Demolientur excelſa idoli. p. 284. c. 1. n. 474.

NAHUM.

Cap. I. v. 15. Celebra Juda feſtivitates tuas: redde vota tua; quia non adjiciet ultra, ut pertranſeat in te Belial: Univerſus interiit. p. 263. c. 1. n. 458.

SOPHONIÆ.

Cap. I. v. 12. Viſitabo ſuper Viros defixos in fœcibus ſuis. p. 429. c. 1. n. 707.

ZACHARIÆ.

Cap. II. v. 8. & ſeq. Qui enim tetigerit Vos, tangit pupillam oculi mei. Quia ecce ego levo manum meam ſuper vos. p. 379. c. 1. n. 631.

Cap. IX. v. 8. Circumdabo domum meam, ex his, qui militant mihi. p. 89. c. 1. n. 116.

Cap. XIII. v. 1. Erit fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. p. 412. c. 2. n. 678.

II. MACHABÆORUM.

Cap. IX. v. 13. Orabat hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. p. 79. c. 1. n. 100.

EX EVANGELIIS.

MATTHÆI.

Cap. IV. v. 3. & ſeqq. Et accedens tentator dixit ei: ſi Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant, &c. p. 6. c. 2. n. 8. p. 9. c. 1. n. 16. p. 237. c. 1. n. 399.

v. 10. & ſeq. Vade Satana. Tunc reliquit eum Diabolus. p. 245. c. 2. n. 415.

Cap.

Digitized by Google

Cap. V. v. 25. Esto consentiens adversario tuo, citò dum es in viâ cum eo: nè fortè tradat te adversarius Judici, & Judex tradat te ministro, &c. p. 248. c. 1. n. 425.

v. 29. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te. p. 135. c. 1. n. 184.

v. 45. Qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos. p. 85. c. 2. n. 103.

Cap. VII. v. 15. Attendite à falsis Prophætis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. p. 14. c. 1. n. 23.

v. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. p. 198. c. 2. n. 301.

Cap. VIII. v. 24. Ecce motus magnus factus est in mari, itaut navicula operiretur fluctibus: ipse verò dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, & suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: quid timidi estis modicæ fidei? tunc imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna. p. 44. c. 1. n. 75.

v. 28. Occurrerunt ei duo homines habentes Dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ità ut nemo posset transire per viam illam, & clamaverunt dicentes: quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei. p. 95. c. 1. n. 117.

Cap. IX. v. 8. Glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. p. 247. c. 1. n. 420.

Cap. X. v. 17. Cavete autèm ab hominibus. p. 286. c. 1. n. 481.

v. 27. Quod in aure auditis prædicate super tecta. p. 199. c. 2. n. 303. p. 351. c. 2. n. 589.

Cap. XI. v. 12. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. p. 145. c. 1. n. 189.

v. 27. & seq. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. p. 37. c. 1. n. 73. p. 128. c. 2. n. 160. p. 214. c. 2. n. 335.

Cap. XII. v. 14. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? Ex abundantiâ enim cordis os loquitur. p. 34. c. 2. n. 69.

v. 32. Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. p. 80. c. 1. n. 102.

v. 43. & seq. Quum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit ..... Revertar in Domum meam unde exivi. p. 289. c. 1. n. 488. p. 417. c. 1. n. 687.

Cap. XIII. v. 13. Videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. p. 177. c. 2. n. 250.

v. 25. Quum dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. p. 243. c. 2. n. 413. p. 278. c. 1. n. 472.

v. 28. Malus homo, inimicus homo. p. 6. c. 1. n. 5.

v. 52. Scriba Doctus in Regno Cœlorum, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. p. 17. c. 2. n. 32.

Cap. XVII. v. 19. Dicetis monti huic transi, & transibit. p. 368. c. 1. n. 616.

Cap. XVIII. v. 7. Væ autem homini illi, per quem scandalum venit. p. 66. c. 2. n. 91.

Cap. XIX. v. 11. & seq. Non omnes capiunt verbum istud .... Qui potest capere capiat. p. 177. c. 1. n. 250. p. 212. c. 1. n. 330.

Cap. XX. v. 2. Conventione autem factâ cum operariis ex denario diurno, misit illos in vineam suam. p. 213. c. 1. n. 332.

Cap. XXII. v. 17. Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Dic nobis, quid tibi videtur: licet censum dare Cæsari, an non? Hoc autem dicebant tentantes eum, volentes accusare eum. p. 9. c. 1. n. 16.

Cap. XXIII. v. 27. Similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. p. 147. c. 1. n. 197.

v. 32. Et vos implete mensuram Patrum vestrorum. p. 101. c. 2. n. 125.

Cap. XXIV. v. 15. Qui legit, intelligat. p. 367. c. 1. n. 614.

v. 35. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non præteribunt. p. 317. c. 2. n. 537.

v. 43. Si sciret Paterfamilias qua horâ fur venturus esset, vigilaret utique, &c. p. 140. c. 2. n. 184.

Cap. XXVI. v. 35. Etiamsi oportuerit me mo-

Digitized by Google

mori tecum, non te negabo. p. 160. c. 1. n. 222.
v. 41. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. p. 52. c. 1. n. 83. p. 140. c. 1. n. 184. p. 218. c. 1. n. 342. p. 427. c. 2. n. 705.
Cap. XXVIII. v. 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. p. 95. c. 1. n. 117.

L U C Æ.

Cap. I. v. 37. Non est impossibile apud Deum omne verbum. p. 392. c. 2. n. 646.
v. 68. & seqq. Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ, &c. p. 260. c. 1. n. 457.
Cap. IV. v. 13. Consummata omni tentatione, Diabolus recessit ab illo usque ad tempus. p. 7. c. 1. n. 8. p. 289. c. 2. n. 489.
Cap. X. v. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcãdi supra Serpentes, & Scorpiones, & super omnem virtutem inimici. p. 285. c. 1. n. 477. p. 386. c. 1. n. 640.
Cap. XI. v. 21. & seq. Universa arma ejus auferet, in quibus confidebat. p. 276. c. 2. n. 471.
v. 24. Revertar in domum meam, unde exivi. p. 414. c. 2. n. 682. p. 417. c. 1. n. 687.
Cap. XIII. v. 11. Ecce Mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis, annis decem & octo: & erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere. p. 279. c. 1. n. 474.
Cap. XIV. v. 23. Compelle intrare. p. 193. c. 1. n. 286.
Cap. XV. v. 21. Filius peregrè profectus est in regionem longinquam; & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè &c. p. 410. c. 2. n. 677.
Cap. XVIII. v. 4. Deum non timeo, nec hominem revereor. p. 335. c. 2. n. 562. p. 443. c. 2. n. 736.
v. 11. Non sum, sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri. p. 333. c. 1. n. 558.
Cap. XXI. v. 15. Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri. p. 158. c. 2. n. 221.
Cap. XXII. v. 3. Intravit in eum Satanas. p. 244. c. 2. n. 414.
v. 25. Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. p. 247. c. 1. n. 420.
Cap. XXIV. v. 9. Et coegerunt illum. p. 256. c. 2. n. 450.

M A R C I.

Cap. V. v. 9. Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio, &c. p. 279. c. 1. n. 473.
Cap. VI. v. 7. Dabat illis potestatem spirituum immundorum. p. 247. c. 1. n. 420.
Cap. XI. v. 24. Quæcumque orantes petitis, accipietis. p. 212. c. 2. n. 331.

J O A N N I S.

Cap. I. v. 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem. p. 64. c. 1. n. 89.
Cap. II. v. 19. Solvite Templum hoc. p. 101. c. 2. n. 125.
Cap. III. v. 19. Dilexerunt magis tenebras, quàm lucem. p. 199. c. 2. n. 330.
v. 20. & seq. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta. p. 180. c. 1. n. 257. p. 351. c. 2. n. 589.
v. 31. Qui de sursum venit, & super omnes est. p. 276. c. 2. n. 471.
Cap. IV. v. 23. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate. p. 261. c. 2. n. 458.
Cap. V. v. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? p. 78. c. 1. n. 99.
Cap. VI. v. 44. Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. p. 72. c. 1. n. 97. p. 318. c. 2. n. 538.
Cap. VIII. v. 36. Si ergo filius vos liberaverit, verè liberi eritis. p. 206. c. 2. n. 323.
v. 44. Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium ex propriis loquitur, quia mendax est & pater ejus. Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. p. 28. c. 1. n. 55. p. 285. c. 2. n. 478. p. 314. c. 2. n. 535. p. 349. c. 1. n. 585.
Cap. IX. v. 34. In peccatis natus es totus, & tu doces nos? p. 177. c. 2. n. 250.

Digitized by Google

v.41. Si cæci essetis non haberetis peccatum, nunc verò dicitis: quia videmus, peccatum vestrum manet. p.397. c.2. n.658.

Cap. X. v. 1. Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est, & latro. p. 14. c. 2. n. 24.

v.28. Non rapiet eas quisquam de manu meâ. p. 273. c. 2. n. 469. p. 324. c.2. n.544.

Cap. XI. v.44. Solvite eum, & sinite abire. 315. c.1. n.536.

Cap. XII. v.31. Nunc Princeps hujus Mũdi ejicietur foras. p.249. c.2. n.427. p. 408. c.2. n.675.

v.35. Qui ambulat in tenebris nescit quò vadat. p.199. c. 2. n.303.

v.40. Quoniam Deus excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde. p. 132. c. 2.n.166.

Ibi. Non poterant credere; quia dixit Isaias: excœcavit oculos eorum. p. 78. c.1. n.99.

Cap. XIII. v. 2. Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas. p.244. c.1. n.413.

v. 10. Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus: & vos mundi estis, sed non omnes. p. 70. c.1. n. 94.

v. 27. Quod facis, fac citiùs. p. 101. c.2.n.125.

v. 34. Mandatum novum do vobis. p. 17. c.2. n.32.

v. 36. Non potes me sequi modo, sequeris autem postea. p.71. c.1.n.96.

Cap. XV. v.5. Sine me nihil potestis facere. p.318. c.2. n.538.

v.16. Quodcumque petieritis Patrem, dabit vobis. p.274. c.2. n.470.

Cap. XVI. v. 23. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. p.214. c.2. n.335.

v. 33. Confidite, ego vici mundum. p. 368. c.2. n. 616.

Cap. XVIII. v. 20. Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in Synagogâ, & in Templo, quo omnes Judæi conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. p. 352. c 1. n. 589.

Cap. XIX. v.11. Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. p. 247. c.1. n.419.

Cap. XX. v. 22. Accipite Spiritum Sanctum: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinebitis, retenta sunt. p.315. c.1.n.536.

A C T.

Cap. VIII. v.30. Putasne intelligis, quæ legis? Quomodò possim, nisi aliquis ostenderit mihi? p. 308. c. 1. n. 526.

v. 39. Spiritus Domini rapuit Philippum. p.347. c.2. n.583.

Cap. XIII. v.22. Inveni David filium Jesse, Virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. p.150. c.1.n.202.

Cap. XVII. v. 18. Novorum Dæmoniorum videtur annuntiator esse. p. 349. c.1. n.585.

Cap. XIX. v. 16. Insiliens homo in eos, in quo erat Dæmonium pessimum, & amborum, invaluit contra eos &c. p.361. c.1. n. 603.

Cap. XX. v.30. Exurgent viri mendaces loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. p. 49. c. 1. n. 75. p. 277.c.1. n.471.

AD ROMANOS.

Cap. I. v.21. & seq. Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. p.360. c.1. n.602.

v.24. Propter quod tradidit illos Deus in desiderio cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. p. 359. c.2. n.601.

v.28. Dedit illos in reprobum sensum. p. 63. c.1. n.89. p.359. c.2. n.601.

Cap. III. v.5. & seqq. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? Absit. Alioquin quomodò Deus judicabit hunc Mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator judicor? Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam, nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio justa est. p. 103. c. 1. n. 128. p. 113. c.1.n.141.

Cap. V. v. 20. Ubi autèm abundavit delictum, superabundavit gratia. p. 413.c.1.n.678.

Cap. VI. v. 1. & seq. Quid ergo dicemus? Per-

Digitized by Google

Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhuc vivemus in illo, p. 113. c. 2. n. 141.

v. 11. & seqq. Existimate vos mortuos esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatū in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, &c. p. 204. c. 1. n. 323. p. 286. c. 1. n. 480. p. 327. c. 2. n. 546. p. 440. c. 2. n. 529.

v. 19. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. p. 312. c. 2. n. 532.

v. 22. Nunc verò liberati à peccato Servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam, p. 407. c. 2. n. 672.

Cap. VII. v. 17. Non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. p. 188. c. 1. n. 277.

v. 18. & seqq. Scio enim, quod non habitat in me, hoc est in carne meâ bonum: nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio, &c. p. 121. c. 1. n. 158.

v. 19. & seqq. Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum hoc ago, &c. p. 50. c. 1. n. 76. p. 179. c. 2. n. 253.

v. 23. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c. p. 122. c. 1. n. 158. p. 168. c. 2. n. 235.

v. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. p. 52. c. 2. n. 83. p. 122. c. 1. n. 158.

Cap. VIII. v. 1. Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu. p. 407. c. 2. n. 672.

v. 7. Sapientia Carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. p. 122. c. 1. n. 158.

v. 13. Si Deus pro nobis, quis contra nos? p. 285. c. 1. n. 477.

v. 18. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. p. 333. c. 1. n. 558.

v. 38. Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque fu-

tura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque Creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, p. 164. c. 1. n. 227.

Cap. IX. v. 22. & seq. Deus nolens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum. Ut ostenderet divitias gloriæ suæ, &c. p. 331. c. 2. n. 554.

Cap. X. v. 17. Fides quippe ex auditu, auditus autem per Verbum Christi. p. 74. c. 1. n. 97.

Cap. XI. v. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. p. 107. c. 1. n. 135.

Cap. XIII. v. 1. Non est potestas nisi à Deo. p. 246. c. 2. n. 418.

v. 4. Non sine causâ gladium portat: Dei enim minister est, Vindex in iram, ei, qui malum agit. p. 335. c. 1. n. 561.

Cap. XVI. v. 20. Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. p. 285. c. 1. n. 477. p. 368. c. 2. n. 616.

1. AD CORINTH.

Cap. II. v. 8. Si enim cognovissent Dominum gloriæ, nunquam crucifixissent. p. 132. c. 2. n. 166.

Cap. III. v. 2. Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. p. 43. c. 1. n. 74.

Cap. IV. v. 18. Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. p. 456. c. 2. n. 760.

Cap. VI. v. 9. Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. p. 209. c. 2. n. 323. p. 424. c. 2. n. 699.

Cap. VII. v. 1. Bonum est homini mulierem non tangere. p. 160. c. 1. n. 222. p. 380. c. 2. n. 636.

v. 6. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. p. 99. c. 1. n. 119.

Cap. IX. v. 9. Numquid de bobus cura est Deo? p. 329. c. 1. n. 549.

v. 25. & seqq. Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet ..., Ego sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo Corpus meum, & in servitutem redigo. p. 128. c. 1. n. 159. p. 130. c. 2. n. 161. p. 358. c. 1. n. 599.

Cap. X. v. 4. Petra autem erat Christus, p. 145. c. 1. n. 189.

v. 12. Qui se existimat stare, videat, ne ca-

Digitized by Google

cadat p.56 c.1.n.85.p.152.c.1.n.206.
v.13. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. p.35.c.1.n.71. p.52.c.2.n.83. p.54.c.1.n.84. p.56. c.1.n.85. p.111. c.2. n.138. p. 114. c.2. n.141. p.194. c.2. n.292. p.112. c.2. n.331. p.271. c.2. n.466. p.305. c.1. n.523. p.314. c.1. n.535. p.327. c.2. n.546. p.360. c.2. n.603. p.366. c.2. n.614. p. 384. c.1.n.638. p.400. c.2. n. 663. p.410. c.2. n.667. p.416. c.2. n. 684. p.446. c.2. n.742.
Cap. XII. v.8.& seqq. Alii quidem datur sermo Sapientiæ... Alii discretio spirituum..... Alii interpretatio Sermonum; hæc autèm omnia operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult. p. 329. c.2. n.540.
Cap. XIV. v. 28. Si autem non fuerit interpres taceat in Ecclesiâ, sibi autem loquatur; & Deo. p. 320. c. 2. n. 540.
Cap. XV. v. 10. Non ego solus, sed gratia Dei mecum. p.112. c.1.n.138.
v. 33 Corrumpunt bonos mores colloquia mala. p.200. c.1.n.306.

2. AD CORINTH.

Cap.I. v.8. Non enim volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostrâ, quæ facta est in Asiâ, quoniam supra modum gravati sumus, supra virtutem: itaut tæderet nos etiam vivere. p. 46. c.1. n.75.
v. 9. & seq. Non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet. p. 150. c.2. n. 202.
Cap. III. v. 5. Omnis sufficientia nostra ex Deo est. p. 61. c.1. n 86.
v. 6. Litera occidit. p.101. c.1. n. 124.
v. 17. Ubi Spiritus Domini, ibi libertas. p.249. c.1. n 427.
Cap. V. v.14. Charitas Christi urget nos. p 435. c.2. n. 717.
v. 15. Christus pro omnibus mortuus est. p.84. c.1. n. 107.
Cap. VI. v. 14. & seqq. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? &c. p. 114. c. 2. n. 141. p. 381. c. 1. n. 636. p. 413. c.2. n.678.
Cap. VII. v.8. & seqq. Et si contristavi vos in epistolâ, non me pœnitet... Non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam... Igitur scripsi vobis ad manifestandam solicitudinem nostram, quam habemus pro vobis. p. 456. c. 2. n. 760.
Cap. IX. v. 8. & seq. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. p. 311. c.1. n.529.
Cap. XI. v. 3. Timeo, ne sicut Serpens Hævam seduxit astutiâ suâ; ita & sensus vestri corrumpantur, & excidant a simplicitate, quæ est in Christo. p. 82. c.2. n.104.
Cap. XII. v.7. Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, &c. p.104. c. 1. n. 129. p.128. c.1. n.159. p. 312. c. 1. n. 531. p.426. c.1. n.703.
v. 9. *Sufficit tibi gratia mea.* p. 107. c.1. n. 135.

AD GALATAS.

Cap.I. v. 7. Sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi: sed licèt nos, aut Angelus evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. p.14. c. 1. n.24.
Cap. III. v.1. & seqq. O insensati, quis vos fascinavit non obedire veritati?.... Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini. p. 14. c.2. n.24.
Cap.IV. v.6. Misit Deus spiritum Filii sui in cordâ vestrâ. p.368.c.1.n.616.
Cap. V. v.4. & seq. Evacuati estis à Christo... A' gratiâ excidistis... Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire. p.456.c.1.n 760.
v. 12. & seq. Utinam & abscindantur, qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem detis carnis. p.200. c. 1.n.366. p.267.c.1. n.460. p.287.c.1. n.483.
v. 17. Caro enim concupiscit adversus Spiritum: Spiritus autem adversus carnem: ut non quæcumque vultis, illa faciatis. p.123. c.1.n.158. p.208.

c.1.

Digitized by Google

c.1.n.323.
v.19 & seqq. Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur. Fructus autem Spiritus est: Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis. p.129.c.2. n.161. p.198. c.2. n.301. p.333. c.2. n. 560.
Cap. VI. v. 1. Considerans teipsum, ne & tu tenteris. p. 434. c.1. n. 716.
AD EPHESIOS.
Cap. I. v. 3. Nos aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes Voluntatem carnis. p. 125. c.2. n.158. p.148. c.1. n.200.
v.18. & seq. Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei..... quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad Patrem. p. 266. c. 2. n. 460.
Cap. IV. v.17. & seqq. Hoc igitur dico, & testificor in Domino, ut non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, &c. p.456.c.1.n.760.
v. 27. Nolite locum dare Diabolo. p. 264. c.2. n.458. p.321. c.1. n.542.
Cap. V. v.2. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. p.249. c.1.n.427.
v.3. Fornicatio autem, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, &c. p.115.c.1.n.141. p.298.c.1.n.506. p. 333. c.2. n.560.
v.5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei. p.442. c.1.n.733.
v. 15. Videte quomodo cautè ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes. p. 427. c.2. n.705.
v.29. Nemo unquam carnem suam odio habet, sed nutrit, & fovet eam. p. 127. c.2. n.158.
Cap. VI. v. 11. & seqq. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus Carnem, & Sanguinem: sed adversus Principes, & Potestates, adversus Mundi Rectores tenebrarum harum..... Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros, &c. p 16. c.1.n.27.p.50.c.1.n.76.p.52.c.2.n.83. p.83.c.1.n.104. p.91.c.1.n.116. p. 243.c.1.n.411. p.288.c.1.n.485.p.312. c.1.n.531. p.381. c.2. n.636. p.428. c.1.n.705. p.430.c.2.n.709.
AD PHILIPPENSES.
Cap. I. v. 28. In nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo. p. 278. c.1. n.472.
Cap. II. v.2. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis. p. 457. c.1.n.760.
v. 13. Deus est enim, qui operatur in vobis, velle, & perficere, pro bonâ voluntate. p.214.c.1.n.334.
Cap. IV. v. 13. Omnia possum in eo, qui me confortat. Verumtamen non ego solus, sed gratia Dei mecum. p.112. c.1.n.138. p.212.c.2.n.331.
AD COLOSSENSES.
Cap. II. v.18. Nemo vos seducat, volens in humilitate, & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ. p.115. c.1. n.141.
Cap. III. v. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. p. 129. c.2. n. 161. p. 208. c. 1. n. 323. p.424.c.2. n.699.
v. 6. Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. p. 208. c. 1. n.323.
1. AD THESSALONICENSES.
Cap. V. v.21. & seq. Omnia autem probate; quod bonum est tenete: ab omni specie malâ abstinete vos. p. 427. c.2. n.705.
2. AD THESSALONICENSES.
Cap. II. v.9. & seq. Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. p. 249. c.2. n.428. p.259. c.2. 456.
Cap. IV. v. 3. Voluntas Dei est sanctificatio nostra. p.101. c.1.n 124.
1. AD TIMOTHEUM.
Cap. I. v.3. & seqq. Rogavi te, ut denuntiares quibusdam, nè aliter docerent, neque intenderent fabulis, &

Digitized by Google

genealogiis interminatis: quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei, quæ est in fide. A' quibus quidam aberrantes cõversi sunt in vaniloquium. Volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque, quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, &c. p. 334. c. 2. n. 560.

v. 15. Christus Jesus venit in hunc Mundum Peccatores salvos facere. p. 456. c. 1. n. 760.

Cap. II. v. 4. Deus neminem vult perire, sed vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis vẽnire. p. 84. c. 1. n. 107. p. 191. c. 1. n. 124.

Cap. IV. v. 1. Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes Spiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, &c. p. 49. c. 1. n. 78.

Cap. VI. v. 20. O' Timothee depositum custodi; devitans profanas Vocum novitates, & oppositiones falsi nominis Scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. p. 20. c. 1. n. 37. p. 200. c. 1. n. 306.

2. AD TIMOTHEUM.

Cap. II. v. 5. Non coronabitur nisi, qui legitimè certaverit. p. 291. c. 2. n. 494. p. 321. c. 2. n. 541.

v. 13. Ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. p. 320. c. 1. n. 539.

Cap. III. v. 5. Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes p. 49. c. 1. n. 75.

AD TITUM.

Cap. I. v. 15. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens, & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, Cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. p. 317. c. 1. n. 537. p. 334. c. 1. n. 560.

Cap. II. v. 12. Abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. p. 188. c. 2. n. 277.

Cap. III. v. 7. Ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ. p. 407. c. 2. n. 672.

AD HEBRÆOS.

Cap. II. v. 16. & seqq. Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari. p. 238. c. 2. n. 403.

Cap. IV. v. 12. Sermo ejus vivus est, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. p. 129. c. 1. n. 160.

v. 15. Tentatus per omnia: pro similitudine absque peccato. p. 7. c. 1. n. 8. p. 238. c. 2. n. 403.

v. 16. Adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. p. 367. c. 2. n. 616.

Cap. V. v. 12. & seqq. Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Perfectorum autem est solidus cibus eorum, qui pro consuetudine, exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali. p. 43. c. 1. n. 74.

Cap. VI. v. 16. & seqq. Homines enim per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem est jurabentum. Impossibile est mentiri Deum, &c. p. 317. c. 2. n. 537.

Cap. X. v. 16. Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis ostia: terribilis autem expectatio judicii, &c. p. 456. c. 2. n. 760.

v. 22. & seqq. Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientiâ malâ, & abluti corpus aquâ mundâ. Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit) & consideremus invicem in provocationem charitatis, & bonorum operum. p. 314. c. 2. n. 535. p. 318. c. 1. n. 537.

Cap. XI. v. 33. Obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. p. 277. c. 1. n. 472.

Cap. XII. v. 1. & seqq. Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusio-

Digitized by Google

fusione contempta .... Nè fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes, p. 153. c. 2. n. 212. p. 159. c. 1. n. 221. p. 357. c. 2. n. 599. p. 426. c. 1. n. 702.

v. 6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. p. 12. c. 2. n. 20.

v. 17. Non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. p. 79. c. 1. n. 100.

Cap. XIII. v. 8. & seq. Jesus Christus heri, & hodie: ipse in sæcula. Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci. p. 20. c. 2. n. 37. p. 430. c. 1. n. 708.

v. 21. Deus autem pacis ... aptet vos in omni bono, &c. p. 457. c. 1. n. 760.

D. JACOBI.

Cap. I. v. 2. Omne gaudium existimate fratres mei, cum tentationes varias incideritis. p. 8. c. 2. n. 12. p. 104. c. 1. n. 129. p. 307. c. 2. n. 525.

v. 5. Si quis indiget sapientiâ postulet à Deo, &c. p. 212. c. 1. n. 331. p. 311. c. 1. n. 529.

v. 13. & seq. Nemo, cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum est, unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ, &c. p. 5. c. 2. n. 4. p. 39. c. 1. n. 74. p. 117. c. 1. n. 144. p. 247. c. 1. n. 419. p. 288. c. 1. n. 485.

v. 15. Concupiscentiâ cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem. p. 243. c. 2. n. 413.

v. 17. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. p. 214. c. 1. n. 334.

Cap. II. v. 15. Si autem frater, & soror nudi sint, & indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis ipsis: ite in pace, calefacimini, & saturamini; non dederit autem eis, quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? p. 77. c. 1. n. 99.

Cap. IV. v. 1. Unde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. p. 117. c. 2. n. 146. p. 288. c. 1. n. 485.

v. 3. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. p. 215. c. 1. n. 336.

v. 5. & seqq. An putatis quia inanitèr Scriptura dicat ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis? Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. p. 151. c. 1. n. 204. p. 196. c. 1. n. 298.

v. 7. Resistite Diabolo, & fugiet à vobis. p. 38. c. 2. n. 73. p. 60. c. 2. n. 86. p. 127. c. 1. n. 158. p. 151. c. 1. n. 204. p. 206. c. 2. n. 323. p. 243. c. 1. n. 411. p. 277. c. 1. n. 472. p. 287. c. 2. n. 484. p. 314. c. 1. n. 535. p. 368. c. 2. n. 616. p. 411. c. 1. n. 677. p. 442. c. 1. n. 733. p. 446. c. 2. n. 742.

v. 17. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. p. 143. c. 2. n. 185. p. 191. c. 2. n. 281.

I. PETRI.

Cap. I. v. 6. In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ Fidei, &c. p. 104. c. 1. n. 129.

v. 16. Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum, dicit Dominus. p. 101. c. 1. n. 124.

Cap. II. v. 11. Charissimi, obsecro vos abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam. p. 188. c. 2. n. 277.

Cap. III. v. 13. Quis est, qui vobis noceat si boni ambulatores fueritis. p. 328. c. 1. n. 546.

Cap. V. v. 8. & seq. Vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret. p. 38. c. 2. n. 73. p. 39. c. 2. n. 74. p. 60. c. 2. n. 86. p. 82. c. 2. n. 104. p. 85. c. 1. n. 108. p. 110. c. 2. n. 138. p. 243. c. 1. n. 411. p. 271. c. 1. n. 464. p. 288. c. 1. n. 485. p. 314. c. 1. n. 535. p. 321. c. 1. n. 542. p. 428. c. 1. n. 705. p. 448. c. 1. n. 733.

v. 10. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. p. 310. c. 1. n. 529.

II. PETRI.

Cap. II. v. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere. p. 93. c. 2. n. 117. p. 384. c. 1. n. 638.

v. 19. A quo enim quis superatus est, hujus & servus est. p. 108. c. 2. n. 138.

Cap. III. v. 3. Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxtà

tes.

Digitized by Google

proprias concupiſcentias ambulantes. p. 180. c. 1. n. 257.

v. 9. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. p. 63 c. 2. n. 89.

I. JOANNIS.

Cap. I. v. 5. Deus lux eſt, & in eo tenebræ non ſunt ullæ. p. 381. c. 2. n. 636.

v. 8. & ſeq. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confitemur peccata noſtra: fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis, &c. p. 410. c. 1. n. 675.

Cap. II. v. 13. Scribo vobis adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum. p. 280. c. 1. n. 474.

v. 16. Omne, quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. p. 6. c. 1. n. 6. p. 23. c. 2. n. 41. p. 137. c. 1. n. 144.

Cap. III. v. 8. In hoc apparuit filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli. p. 263. c. 1. n. 458. p. 270. c. 2. n. 464.

Cap. IV. v. 1. Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint: quoniam multi Pſeudo-Prophetæ exierunt in Mundum. p. 14. c. 2. n. 25. p. 435. c. 2. n. 716.

Cap. V. v. 3. Mandata ejus gravia non ſunt. p. 37. c. 1. n. 73.

v. 14. Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum. Quia quodcumque petierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. Et ſcimus, quia audit nos quidquid petierimus. p. 214. c. 1. n. 334.

Ibi. Eſt peccatum ad mortem. p. 80. c. 1. n. 102.

v. 18. Scimus, quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat. Sed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum. p. 245. c. 1. n. 415. p. 313. c. 2. n. 52. p. 379. c. 1. n. 631. p. 409. c. 1. n. 675.

APOCALYPSIS.

Cap. II. v. 7. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei. p. 104. c. 1. n. 129.

v. 9. Blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe. & non ſunt. Sed ſunt Synagoga Satanæ. p. 356. c. 1. n. 595.

Cap. III. v. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in Templo Dei mei. p. 104. c. 1. n. 129.

v. 21. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo; ſicut ego vici, & ſedeo cum Patre meo in throno ejus. p. 104. c. 2. n. 129.

Cap. VII. v. 4. Et audivi numerum Signatorum, &c. p. 386. c. 2. n. 641.

Cap. IX. v. 17. Vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos habebant loricas. p. 280. c. 1. n. 474.

Cap. XII. v. 10. Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum: qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte, & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni. p. 108 c. 2. n. 138. p. 247. c. 2. n. 422.

v. 13. Poſtquam vidit Draco, quod projectus eſſet in terram, perſequutus eſt mulierem. p. 271. c. 2. n. 465.

v. 17. Iratus eſt Draco in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti: & ſtetit ſuper arenam maris. p. 280. c. 1. n. 474.

Cap. XIV. v. 1. Et vidi, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. p. 280. c. 1. n. 474.

Cap. XVII. v. 8. Mirabantur inhabitantes terram, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt. p. 284. c. 2. n. 474.

Cap. XX. v. 1. & ſeqq. Vidi Angelum aſcendentem de Cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ. Et apprehendit Draconem, Serpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, &c. p. 255. c. 1. n. 446. p. 339. c. 1. n. 569. p. 352. c. 2. n. 590.

ESDRÆ IV.

Cap. XII. v. 47. Eſt memoria veſtri coram Altiſſimo, & fortis non eſt oblitus veſtri in tentatione. p. 93. c. 2. n. 117.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM, ET VERBORUM.

Littera P. Paginam, C. Columnam, N. Numerum designant marginalem.

A

Actus humanus non est idem, ac actus hominis. p.202. c. 1. n.313.
Triplicitèr sumi potest. ibid. n. 314.
Procedit à voluntate, vel immediatè, & dicitur Elicitus: aut mediatè, & vocatur Imperatus. p.202. c.2.n.315.
Utrique dici solet actus moralis. ibid. n. 316.
Adam post peccatum non amisit libertatem, sed tantummodò facilitatem utendi suâ libertate. p.257. c. 2. n. 453. & p.259. c.1. n.454
Advertentia est multiplex. p. 131. c. 1. n. 164.
Quæ necessaria ad consensum. ibi. n. 165. & seqq.
Alipius etsi sanctis propositis, & animo firmo, ac constanti interfuerit spectaculis; ab eis tamen pollutus exivit. p.159. c.1. n.222.
Alligatio Dæmonis, in quo consistit. p. 255. c.2. n 448.
Dæmonis potestas dupliciter dicitur alligata: vel ex parte Dei, vel ex parte hominis. p.272. c. 1. n.467.
B. Angela de Fulginio non fuit violenter cognita à Dæmone. p.397. c.1.n.658.
Angelus bonus singulis hominibus, sive parvulis, sive adultis: Fidelibus, aut Infidelibus: prædestinatis, vel reprobis: justis, aut peccatoribus destinatur à Deo in custodiam. p. 83. c.1. n.105.
Infantibus deputatur statimac anima est infusa corpori. ibi. n.106.
Ipsemet Anti-Christus habebit Angelum Custodem. ibi. n. 107.
Non omninò deserit suum alumnum, etsi hic scelera multiplicet, ibi. n. 108.
Si à Dæmone videtur, non audet Dæmon tentare hominem. p. 86. c. 1. n. 110.
Magis est solicitus, & potentior ad adjuvandum hominem, quàm malus ad perdendum. ibi. n.111.
Non est imputandum ejus negligentiæ, quod custoditus pereat. ibi. n. 112.
Pugnat nobiscum, & pro nobis in tentationibus. p 87. c. 1. n. 113. Idque tribus modis. ibi. n. 114. 115. 116.
Potuerat peccare in primo suæ creationis instanti, sed Deus non permisit, nè occasionem præberet, ut Deo tribueretur peccatum illius. p. 543. c.1. n.576.
Non infert vim ad bonum faciendum, p. 347. c. 1. n. 583.
Anima in homine est tantùm una, quæ sensitiva simul est, & rationalis, p.180. c.2. n. 258.
Appetitus Sensitivus quid sit. p.117. c. 1. n. 145.
Quotuplex, ibi. c.2. n.146.
Subjicitur rationi, sed politicè. p.183. c. 1. n. 263.
Ducitur à Phantasiâ. ibi. n.264.
Habet suum organum: ejus autem sedes est in corde. p.196.c.1. n.297.
Magnum est discrimen inter appetitum sensitivum hominis, ac Bruti. p.217 c.1. n.339.
Rationalis ducitur ab intellectu. p.183. c.1. n.264.
Argumentum negativum est magnum in re de facto. p.349. c.2. n. 586.

B

Blasphemi excusari nequeunt, quòd fuerint compulsi à Dæmone ad blasphemandum. p. 233. c.1. n. 392. & p.363.

Digitized by Google

p. 363. c. 1. n. 608. & ſeqq.
Bonitas Dei, ejuſque Providentia quid importent. p. 329. c. 1. à n. 548. ad n. 551.
Bonum delectabile magis movet, quàm bonum rationis: p. 165. c. 2. n. 231. Quibus de cauſis. ibi.
Commune ſervatur juſtitia. p. 334. c. 2. n. 561.
Per ſe, ſi Deus permitteret Dæmoni vim nobis inferre ad turpia. ibi. n. 562.

C

CEnſura Theologica adhiberi debet ſumma cautela. p. 435. c. 2. n. 717. Quid ſit. ibi. n. 718. 719. Quotuplex ſit. ibi. n. 720.
Chriſtus Jeſus pugnat nobiſcum, & pro nobis in tentationibus. p. 93. c. 1. n. 117. & ſeqq.
Nos eripuit à poteſtate Diaboli. p. 249. c. 2. n. 428.
Ejecit foras Diabolum. p. 250. c. 1. n. 430.
Coactio, & Violentia, alia Abſoluta, & Præciſa: alia ſecundùm quid, & Conditionalis. p. 155. c. 1. n. 217. & ſeqq.
Dari nequit in voluntate. p. 191. c. 1. n. 278. & ſeqq.
Quæ tollit voluntarium p. 203. c. 2. n. 331.
Alia Phyſica, alia Moralis. p. 256. c. 2. n. 450.
Phyſica eſt multò efficacior, quàm Moralis. p. 340. c. 2. n. 570.
Cogitatio venerea eſt cauſa per ſe determinans ad commotionem ſpirituum inſervientium generationi. p. 148. c. 1. n. 198. & ſeq.
Conatus ad reſiſtendum tentationi, ſufficit ad non conſentiendum. p. 144. c. 1. n. 187. & p. 169. c. 2. n. 236.
Concupiſcentia carnis, poſt peccatum originale ſemper æquè fuit rebellis rationi. p. 26. c. 1. à n. 51. uſque ad 54.
Plura ſortitur nomina. p. 116. c. 2. n. 144. p. 199. c. 2. n. 305.
Ejus paſſiones. p. 117. c. 2. n. 147. & ſeq.
Quantumvis vehemens nequit cogere hominem ad actus ex ſe turpes. p. 204. c. 1. n. 323. p. 216. c. 1. n. 337.
In quo ſenſu dicitur Lex peccati p. 194. c. 2. n. 291.
Hic concupiſcentiæ nomine intelligimus concupiſcentiam malam. p. 199. c. 2. n. 304.
Non omnibus eſt æquè moleſtior. p. 200. c. 1. n. 306.
Eſt triplex: Antecedens, Concomitans, & Conſequens. p. 200. c. 2. n. 307.
Antecedens ordinariè, ſub diverſo reſpectu, auget, & minuit voluntarium. ibi. n. 308. & ſeqq.
Conſequens auget voluntarium. p. 201. c. 1. n. 311.
Aliquando tollit uſum libertatis. ibi. n. 312.
Conſcientia, mala, & tranquilla. p. 197. c. 1. n. 300.
Conſenſus, quid ſit, & quæ ad eum concurrunt. p. 130. c. 2. n. 163.
Quotuplex ſit. p. 134. c. 1. n. 169. & ſeqq.
Ejus cauſa eſt, aut poſitiva, aut negativa. ibi. n. 178.
Sentire, paſſionis eſt: conſentire, eſt liberi arbitrii. p. 196. c. 2. n. 298.
Dici poteſt Exercitus, ſed non Coactus. p. 422. c. 1. n. 693.
Credulitas nimia ducit ad inſaniam viros etiam celeberrimos. p. 434. c. 1. n. 716.
Cor durum involvit duo: unum ex parte creaturæ, alterum ex parte Dei. p. 61. c. 2. n. 88.
Quodnam ſit. ibi. n. 89.
Ex induratione ſequitur Impotentia benè agendi: quæ conſequens eſt, & voluntaria. p. 80. c. 1. n. 101.

D

DÆmon, ex quo fuit è Cœlo præcipitatus, cunctis modis tentavit hominem. p. 28. c. 1. n. 55. & ſeq.
Non permittitur à Deo debachari in homines, prout vellet, & quantum poſſet. p. 30. c. 2. n. 61.
Dæmones omnes, quicumque ſint, & cujuſlibet ordinis, nunc ratione ſtatus, inferiores ſunt minimo Angelo bono. p. 85. c. 2. n. 109.
Quid naturaliter poſſint, nil nobis certò conſtat. p. 221. c. 1. n. 349.
Eorum naturalia poſt peccatum remanſerunt integra. ibi. n. 350. & ſeqq.
Non poſſunt creare. p. 222. c. 2. n. 354.
Producere nequeunt qualitates materiales in corpora. ibi. n. 355.
Non poſſunt illabi animæ hominis ibi. n. 356.
Immutare nequeunt immediatè intellectum, aut voluntatem, aut appetitum ſenſitivum hominis. p. 224. c. 1.

Digitized by Google

c. 1. n. 359. & seqq.
Non possunt imprimere per se phantasmata in homine: sed possunt tantùm movere humores, & spiritus vitales. p. 226. c. 1. n. 364.
Facere possunt in homine quidquid fieri potest per motum localem humorum, & spirituum vitalium. p. 226. c. 2. n. 368. & quidèm ordinatè. n. 369.
Eorum virtus est physica, & efficiens. p. 227. c. 1. n. 371.
Invertere nequeunt ordinem Universi. p. 228. c. 2. n. 377.
Viribus suis, & per modum causæ propriæ, producere nequeunt formam substantialem materialem, nec compositum materiale, nec accidentia corporea, aut spiritualia, realia, vel intentionalia. ibi. n. 378.
Assumere possunt corpora. p. 229. c. 1. n. 379.
Sæpè deludunt in corporibus assumptis. ibi. n. 380.
Organizare nequeunt cadavera assumpta. p. 230. c. 1. n. 381.
Non assumunt corpora eorum, qui justi mortui sunt. ibi. n. 382.
Ea assumunt corpora, quæ repræsentant eorum malitiam. ibi. n. 383.
Se ostendunt hominibus corpore atro, tetro, &c. ut dignoscatur eorum pravitas. ibi. n. 384.
Non uniuntur corporibus, quæ assumunt, sed solùm assistunt illis per intimam substantialem presentiam, tamquam motores ad mobilia. p. 231. c. 1. n. 385.
In corporibus assumptis exercere nequeunt vera opera vitæ. p. ibi. n. 386. & seqq. Possunt tamen efficere aliquas actiones reales habentes terminos similes illis, qui fieri solent per actiones viventium. p. 232. c. 1. n. 389.
Eorum motus in corporibus assumptis non est vitalis. ibi. n. 390.
Non possunt propriè loqui per corpus assumptum. ibi. n. 391.
Applicando activa passivis facere possunt mirabilia. p. 233. c. 2. n. 393. & seqq.
Totâ eorum virtute naturali tentare nequeunt physicè, sed tantùm moraliter. p. 234. c. 1. n. 398. per totum.
Non sunt auctores malorum, sed tantùm incensores, & quomodo. p. 242. c. 1. n. 410. & seqq.
Non adjuvantur à Deo in tentatione hominis. p. 246. c. 2. n. 419.
Nunquam habuerunt, nec habere possunt dominium in hominem. p. 247. c. 1. n. 421.
Quomodo dicatur, quòd habent jus in hominem. ibi. n. 422. & seqq.
Quoties tentant, toties peccant. p. 251. c. 1. n. 435.
Eorum potestas ad tentandum non semper est æqualis. p. 254. c. 2. n. 444. & seqq.
Adhuc soluti, nunquam habuerunt, nec habere possunt potestatem physicam, aut moralem inferendi homini violentiam absolutam, & cogendi physicè ad malum. p. 257. c. 1. n. 451. & seqq. p. 306. c. 1. n. 525. per totum.
Habebant manum aliam Attrahentem, aliam Impellentem, ante Christi adventum. p. 255. c. 1. n. 447. & p. 261. c. 1. n. 458.
Assimilantur canibus ligatis. p. 261. c. 1. n. 458. & p. 266. c. 2. n. 460.
Illudi possunt etiam à parvulis, & fœmellis. p. 267. c. 1. n. 461.
Ita sunt alligati, ut nequeant sic fallere homines, quin facilè dignoscatur eorum fraus. ibi. n. 462. & seqq.
Dicuntur ex parte soluti, quatenus permittuntur aliquam exercere tentationem, majorem, vel minorem, ubi, quando, & quomodo placuerit Deo. p. 271. c. 2. n. 465.
Sunt alligati, sed non totaliter exterminati. p. 272. c. 2. n. 468.
Transformati in Angelos lucis adorari nequeunt sine peccato. p. 274. c. 2. n. 470.
In prœlio tentationum sunt imbecilliores homine: tum in pugnando, tum in resistendo. p. 277. c. 1. n. 472. ad 483.
Faciunt per homines, quod non possunt per seipsos. p. 287. c. 1. n. 483.
Vim inferre nequeunt ad amandum. p. 354. c. 2. n. 593.
Non permittitur sine malefico malefica homines. p. 355. c. 2. n. 595.
Permittuntur vexare hominis corpus; sed non violenter movere ad turpia corporis membra. p. 358. n. 600. & seq.
Potuerunt mulierem incurvare cor-

po-

Digitized by Google

poraliter; sed non spiritualiter, p. 385. c. 1. n. 640. c. 1. n. 642.
Possunt immittere semen in mulierem, & ipsam fœcundare, Deus autem non permittit. p. 388. c. 1. n. 643.
Incubant mulieribus, non palam, sed in abscondito. p. 390. c. 1. n. 644.
Fugiunt à nobis statimac resistimus eis; si tamen obsistimus quantum possumus, ac debemus. p. 287. c. 1. n. 484.
Redeunt ad tentandum, p. 289. c. 2. n. 489.
Quomodò eis resistere debemus, ut fugiant a nobis. p. 291. c. 1. n. 494.
Nostra erit ignavia, si eis succumbimus. p. 292. c. 1. n. 495.
Immutare nequeunt rerum ordinem, &c. p. 301. c. 1. n. 513.
Impedire nequeunt bonum publicum. ibi. n. 514.
Eorum opera distingui debent ab operibus Dei, & hominum. p. 343. c. 1. n. 576. & seqq.
Possent continuò offerre homini nefanda; sed Deus non permittit. p. 356. c. 2. n. 596.
Minorem habent potestatem in hominem, quàm ipse homo in alium. p. 352. c. 1. n. 590. & 595.
Limitatum habent usum libertatis. p. 354. c. 1. n. 592.
Deus permittit hominem, & Dæmonem desiderare quodcumque voluerint; non autem patrare quodlibet. p. 100. c. 2. n. 123.
Justissimè, ac sapientissimè permittit nos tentari. p. 103. c. 1. n. 129.
Cur permittat tentationes. p. 106. c. 1. n. 120. & seqq.
Non est causa moralis peccati, dum permittit tentationes, & peccata. p. 112. c. 1. n. 139.
Non solùm non permittit nos tentari supra vires nostras; sed neque reduci ad extremas tentationum angustias. p. 195. c. 2. n. 296.
Non adjuvat Dæmones, ut tentent; sed tantùm concurrit concursu generali. p. 246. c. 2. n. 419. & p. 252. c. 2. n. 429.
Non est auctor peccati, quamvis dederit Dæmonibus potestatem physicam tentandi. p. 252. c. 1. n. 437. & seq.
Non tribuit Dæmonibus potestatem moralem positivam, sed tantùm permissivam. p. 253. c. 2. n. 441. & seqq.
Se accommodat rebus creatis, ita ut necessariis necessaria, liberis verò libera subministret media ad assequendum finem sibi debitum. p. 300. c. 2. n. 512.
Non permittit Dæmonibus vim inferre hominibus ad actiones contra seipsos, aut contra proximum, aut contra Deum. p. 302. c. 1. n. 515.
Non permittit malum, nisi per aliquod bonum, p. 331. c. 1. n. 554.
Est puritatis amator. p. 383. c. 2. n. 559.
Non permittit Dæmonibus adjuvare maleficos, ut hi à carceribus evadent. p. 336. c. 2. n. 564.
Non permittit Dæmonibus cognoscere cordis arcana. p. 337. c. 1. n. 565.
Non permisit Angelis peccare in primo instanti creationis, ne ipse diceretur auctor peccati. p. 343. c. 1. n. 576.
Ut Provisor universalis, permittit in aliquibus defectum. p. 350. c. 1. n. 587.
Non permittit Dæmoni, sine maleficio, maleficare hominem. p. 355. c. 2. n. 595.
Permittit aliquoties malum culpæ in pœnam peccati præteriti; sed non vi præcisâ Dæmonis. p. 359. c. 2. n. 602.
Non permittit Dæmonem Incubum, Viro, aut Mulieri omninò renuente. p. 376. c. 1. n. 631. & seqq.
In pœnam coitus cum Dæmone voluntariè patrati à Muliere, non permittit ipsam verè pœnitentem, & prorsùs renuentem compelli vi præcisâ Dæmonis ad eumdem concubitum. p. 408. c. 1. n. 674. & seqq.
Non deserit, ni deseratur. p. 414. c. 2. n. 681.
Director non citò credat filiis, & filiabus spiritualibus. p. 14. c. 2. n. 25.
Esse debet Scholasticus, & Mysticus. p. 34. c. 1. n. 69.
Sit cautus in usu opinionum. p. 178. c. 1. n. 252.
Aliquando fascinatur quasi incantamento muliebri. p. 369. c. 1. n. 617.
Qualis esse debeat. p. 177. c. 1. n. 251.
Non sit umbra protegens mulierum impudicitiam. p. 401. c. 1. n. 664.

Digitized by Google

Si detegit pœnitentis consensum interpretativum ad turpia, ipsum lucratus erit. ibi. n.665.
Ex amoris vinculo ergà pœnitentem trahitur ad profundum malorum. Et quibus gradibus. p.449. c.1.n. 746. & seqq.
Cautela observanda in directione pœnitentis. p.452.c.1.n.753. & seqq.
Displicentia non quælibet est sufficiens ad excludendum consensum. p.146.c.1. n.194. & seqq.

F

Fidelitas Dei v. Veritas Dei. p.306. c.1. n.525.
Fiducia in Deum in tentationibus, est magna victoriæ pars. p. 367. c. 1. n. 615.

G

Gratia Dei est necessaria ad superandas tentationes graves. p. 52. c. 1.n. 83.
Sine speciali Dei auxilio superare possumus leviores aliquas tentationes, quantum ad substantiam operis moralis ordinis naturalis.p.54.c.1.n.84.
Omnibus justis confertur gratia verè sufficiens, quâ superare possint tentationes graves. Aut saltèm uberius per orationem impetrare auxilium, quo superare queant tentationes. p. 56. c.1.n.85.
Debetur,non quidèm operibus naturæ, sed ex fidelitate Dei. p 59.c.2.n.86.
Tribuitur etiam scelestissimis, & induratis auxilium gratiæ sufficientis, quo possint, saltèm remotè, gravi resistere tentationi. p.61. c.1. n.87. & seqq. Ac etiam Gentilibus. p.80. c. 2. n. 103.
Auxilium speciale ad vincendam tentationem, est antecedens, seu præveniens voluntatem, ut non consentiat. p.69. c.1. n.93.
In statu innocentiæ sola necessaria fuit, & concessa gratia sufficiens Intellectus, seu Illustrationis. Natura lapsa indiget gratia Voluntatis, seu Actionis. Quæ duplex est: Efficax, & Sufficiens. p.75. c.1. n. 99. & seq.
Quod unus accipiat gratiam tantummodò sufficientem, alius verò etiam efficacem, oritur ex justo, & occulto Dei judicio. p.78. c. 2.n.100.
Quantumvis minima, potest resistere cuicumque tentationi, & toti Inferno. p.81. c. 1. n.104.

H

Hæretici extorquere solent Sacram Scripturam. p. 179. c. 1. n.253. & p. 246. c.1. n.416. & alibi.
Manichæi docuerunt, dari in homine duas animas. p. 179. c.2. n.254.
Illiricus Lutheranus ait, quòd Interior homo est Anima, & Spiritus Dei. Exterior est peccatum originale. ibi. n.255.
Calvinus putavit, quod interior homo est superior pars Animæ consentiens legi Dei: Exterior est eadem, quatenus concupiscit mala. ibi. n.256.
Pseudo-Mystici docent, concupiscentiam vehementissimam trahere violenter voluntatem ad consensum: p. 180. c.1. n.257.
Docent in abscondito. ibi. & p. 351. c.2. n. 589.
Pluribus gradibus descendunt in profundum malorum. p 318.c.2.n.342.
Homo Interior, & Exterior qualis revera sit. p. 180 c.2. n.259.& seqq.
Majorem, quàm Dæmon, potestatem habet in alium hominem. p. 352. c.2. n.590.
Humilitas perfectiùs obtinetur, & exercetur, ex perfecto lumine, & cognitione, quam ab experientiâ alicujus peccati. p.333. c.2. n.559.

I

Illapsus quid sit, & quotuplex. p.223. c.2. n.356. & seq.
Illusio multiplex est in viâ spirituali. p. 275. c.1. n.471.
Alia naturalis, alia Dæmoniaca.p.371. c.1. n.622. & seqq.
Facilius contingit in Mulieribus,quàm in Viris. p.374. c.1. n.626.
Imperium voluntatis aliud est Dispoticum, aliud Politicum. p. 183. c. 1. n.262.
Impossibile frequenter dicitur illud, quod sine difficultate fieri nequit. p.195. c.1. n.293.
Respectu Dei dicitur dupliciter. p. 304. c.1.n.521. & seq.
Impotentia alia physica, alia moralis. p. 66. c. 1. n. 91. p. 256. c.1. n. 449. p. 295. c.2. n.499.
Alia antecedens, alia consequens: p.

Digitized by Google

194. c. 3. n. 292.
Indifferentia voluntatis alia est ad inclinationem, alia ad elicientiam. p. 193. c. 2. n. 287.
Involuntarium distinguitur à Violento, Coacto, & Necessario. p. 203. c. 1. n. 317. & seqq.
Job non blasphemavit. p. 236. c. 1. n. 398. & seq.
Ex violentiâ Dæmonis non se polluit. p. 323. c. 2. n. 544.
Judicium practicum non prærequiritur, ut homo sit proximè potens ad orandum. p. 72. c. 1. n. 97.

L

LApsus in venerea fit gradatim. p. 275. c. 1. n. 471. & p. 449. c. 1. n. 746. & seqq.
Laurentius Aponte citò credens fœmellis, fuit levis corde. p. 418. c. 1. n. 687.
Exemplum ab eo allatum de puellâ pollutionem passâ à Dæmonibus, examinatur. p. 420. c. 1. n. 689. & seqq.
Ejus doctrina vocatur ad trutinam. p. 422. c. 1. n. 693. & seqq
Lex repugnans legi mentis, quænam sit. p. 182. c. 1. n. 261.

M

MAlum intrinsecè, est multiplex. p. 297. c. 2. n. 504. & seq.
Manus in Sacrâ Scripturâ significat arbitrium, libertatem &c. p. 257. c. 1. n. 452.
In Dæmone est duplex: Attrahens, & Impellens. p. 255. c. 1. n. 447. & p. 261. c. 1. n. 458.
Maria ab Agrida non fuit vi oppressa à Dæmone. p. 396. c. 2. n. 657.
Maritus tenetur impedire, nedum illas Uxoris actiones, in quibus ipsa verè peccat; sed etiam actiones turpes, in quibus non peccat; utpotè amens. p. 164. c. 2. n. 228.
Martyres Molinosii toto Cœlo differunt à Martyribus Christi. p. 31. c. 1. n. 64. & seqq. p. 434. c. 2. n. 715.
Mortificatio carnis est necessaria in militiâ spirituali. p. 128. c. 1. n. 159.
Motus pravi proveniunt à naturâ corruptâ. Et licet non possimus coercere omnes, possumus tamen reprimere singulos, & quidem facillimè. p. 168. c. 2. n. 235. & seq.
Eos non reprimere ex causâ legitimâ, non est peccatum. ibi. n. 238. & seqq.
Interni, & Externi ad actus turpes, multùm inter se differunt. p. 357. c. 1. n. 597.
Mulier caveat à Directore illo, qui aliquam sibi vendicat libertatem inhonestam. p. 14. c. 1. n. 24.
Non excusatur à peccato, si non resistit adhuc exterius, quantum potest, aggressori; eo quia invasor prævalidus est, & ipsa imbellis; ac proindè frustranea foret ejus resistentia. p. 158. c. 1. n. 221. & seqq.
Occidere potest, & debet suæ pudicitiæ invasorem. p. 173. c. 1. n. 244. & seqq.
Nequit occidere semetipsam ob periculum consentiendi in stuprum vi illatum. Ex communi DD. Ac S. Hieronymus, & alii laudant Mulieres interficientes semetipsas, ne violarentur à Tyrannis. p. 176. c. 1. n. 249. & seq.
Sæpissimè decipitur, & decipit. p. 374. c. 1. n. 626.
Describitur quid sit. ibi n. 627.
Quo sensu dicitur intacta. p. 380. c. 2. n. 636.
Solet proprias excusare culpas, prætextu violentiæ ipsi illatæ. p. 400. c. 1. n. 664.
Sæpè decipit falsis lachrymis. p. 423. c. 2. n. 696.
Mundus non est deterior hac nostrâ ætate, ac priscis temporibus. p. 23. c. 1. à n. 42. ad 50.

N

NEcessitas alia naturalis, alia moralis. p. 295. c. 2. n. 494.
Novitas perniciosa. p. 16. c. 1. n. 28. & seqq.
Sola Novitas non inducit censuram. p. 17. c. 1. n. 32.
Novum ab Antiquorum mente abhorrere debemus, & radicitus evellere. ibi. n. 33.
In materiâ morum, nil perniciosius Novitate. p. 18. c. 1. n. 34. & seqq.
Nova Sacræ Scripturæ declaratio non est rejicienda. ibi. n. 35. & p. 29. c. 2. n. 60.

Ob-

Digitized by Google

O

Obsessi dum sunt mente expediti, non compelluntur à Dæmone ad blasphemandum. p. 362. c. 1. n. 607.
Non debet fieri extensio de Obsessis ad non Obsessos. p. 362. c. 1. n. 606. & p. 398. c. 2. n. 660.
Non legimus, vi præcisâ Dæmonis ipsos prorupisse in actus impudicos. p. 362. c. 2. n. 607.
SS. Officium Inquisitionis declaravit erroneam, scandalosam, & molinosiam propositionem asserentem, Dæmonem compellere ad turpia. p. 447. c. 2. n. 744.
Ejus judicium est magnum argumentum certitudinis. ibi. n. 745.
Opera Carnis quænam sint. Quæ opera Spiritus. p. 198. c. 2. n. 301.
Oratio obligat, dum urget tentatio gravis. p. 152. c. 1. n. 207. & seq.
Mentalis, non cadit sub præcepto. ibi. n. 209.
Vocalis sine mente, est infructuosa. p. 153. c. 1. n. 210.
Ordo causarum naturalium à solo Deo immutari potest. p. 300. c. 2. n. 512.

P

Patientia alia est ex concupiscentiâ, alia ex Gratiâ Dei. p. 68. c. 2. n. 92.
Peccatum nullum est tam grave, ut in hac vita remitti nequeat. p. 80. c. 1. n. 102.
Confert per accidens ad ordinem Universi. p. 101. c. 2. n. 126.
Quo sensu unum esse queat pœna alterius. p. 406. c. 1. n. 669.
Periculum peccandi quid sit, & quotuplex. p. 135. c. 2. n. 175. & seqq.
Non desumendum tantùmodo ex propriâ experientiâ. p. 151. c. 1. n. 205.
Qui advertit periculum probabile consensus, aut pollutionis, tenetur, si potest, vitare illud. p. 148. c. 2. n. 200. & seq.
Proximum quomodo fieri possit remotum. p. 150. c. 2. n. 203.
D. Petrus desertus à Deo, quia prius deseruit Deum. p. 70. c. 2. n. 95. & seqq.
Habuit potentiam sufficientem, & proximam ad orandum, ne caderet. ibi.
Permissio differt à Præcepto, & Concessione. p. 99. c. 1. n. 118.
Quid proprie sit. ibi. n. 119.
Alia Juris, alia Facti. ibi. n. 120.
Non est libertas hominis. p. 100. c. 1. n. 121.
Cadit sub Decreto Dei. ibi. n. 122.
Multoties dicitur Actio, & Præceptum. p. 161. c. 2. n. 125.
Cadendi in peccatum non est appetenda. p. 103. c. 1. n. 128.
In permissione tentationum elucent Divina Attributa. p. 106. c. 1. à n. 130. ad 136.
Implicat Deum permittere Dæmoni inferre vim absolutam corporibus nostris ad turpia. p. 305. c. 1. n. 523.
Permissio faciendi aliquid supponit potentiam faciendi, sed impeditam. p. 308. c. 2. n. 528.
Phantasmata recepta per sensus externos conservantur in sensu interno, vel ejus organo. p. 226. c. 1. n. 365.
Sic conservata, possunt ab extrinseco ita moveri, ut excitent phantasiam ad plura repræsentanda, quæ nec exterius tunc apparent, nec ullo modo à sensibus percepta sunt. ibi. n. 366.
Quod fieri nequit per transmigrationem. ibi. n. 367.
Philtrum cogere nequit ad amorem, aut odium. p. 354. c. 2. n. 593. & seqq.
Potentia, & Potestas distinguuntur ad invicem. p. 246. c. 1. n. 416. & seq.
Non est potestas, nisi à Deo. ibi. n. 418.
Potestas duas habet significationes. p. 247. c. 1. n. 420.
Potestas tentandi, alia physica, alia moralis. p. 251. c. 2. n. 436.
Usus Potestatis distinguitur à Potestate. ibi. 437.
Potestas moralis dividitur in Positivam, & Negativam. p. 253. c. 2. n. 441.
Potentia Divina alia est Ordinaria, alia Extraordinaria. p. 303. c. 1. n. 516.
Objectum Divinæ Omnipotentiæ est omne id, quod non repugnat. p. 304. c. 1. n. 520.
Præceptum differt à Concessione, & Permissione. p. 99. c. 1. n. 118.
Non concupisces, quomodo intelligitur. p. 166. c. 1. n. 233.
Propositio Temeraria quid sit, & quotuplex. p. 2. c. 1. n. 38. & seqq.
Præcisa à circumstantiis, potest apparere tuta, quæ talis non erit in praxi. p. 178.

Digitized by Google

p. 178. c. 1. n. 252.
An valeat à Speculativa ad Practicam. p. 440. c. 1. n. 727.
Asserens, vehementissimam carnis tentationem cogere ad actus turpes, est hæretica. p. 440. c. 1. n. 729.
Affirmans, Deum permittere Dæmonem violentiam inferre ad actus carnales; Esse Incubum Viro, aut Muliere omninò renuente: Verè pœnitentem compelli ad concubitum Dæmoniacum, in pœnam peccati præteriti: est Impia, Scandalosa, in praxi Perniciosissima, & magnâ ex parte, ut minimum, Proxima erroribus Molinos. p. 741. c. 1. n. 730.
Pruritus pudendorum quid sit. p. 421. c. 2. n. 692.
An liceat confricare pudenda. p. 427. c. 1. n. 704.
Pudicitia importat duo: integritatem Corporis, & virtutem pudicitiæ. p. 173. c. 1. n. 245.
Est pupilla Sponsi, & Sponsæ. p. 379. c. 1. n. 633. & seq.
Alia Corporalis, alia Spiritualis. p. 392. c. 2. n. 647.
Purgatio Passiva Animæ inventa à Molinosiis, est putida. p. 331. c. 2. n. 555.
Quænam sit vera Purgatio passiva Animæ. p. 332. c. 2. n. 556. & seq.

R

Resistentia positiva est necessaria in tentationibus, in quibus est periculum proximum consentiendi. p. 135. c. 1. n. 174.
Quid sit resistere positivè? Quid negativè. p. 137. c. 1. n. 183.
Qui non resistit positivè tentationibus venereis, consentit. p. 138. c. 1. n. 184. & seqq.
Ab initio resistendum tentationibus. p. 144. c. 2. n. 189.
Qui resistit tentationibus, sed non tam intensè, peccat venialiter. p. 153. c. 1. n. 211. & n. 215.
Ad resistendum tentationibus carnis non semper tenemur adhibere remedia extraordinaria. p. 153. c. 2. n. 212.
Resistere non oportet gestu, & exteriori corporis motu tentationi internæ. p. 154. c. 1. n. 214.
In gravi carnis tentatione extrinsecâ, tenemur resistere positivè, nedum corde, sed ore, & opere, omnique conatu. p. 155. c. 1. n. 216. & seqq.
Quomodo resistere debemus Diabolo, ut fugiet à nobis. p. 291. c. 1. n. 494. & p. 321. c. 1. n. 542.

S

Sacra Scriptura est liber signatus sigillis septem. p. 308. c. 1. n. 526.
Intelligi debet literaliter, quando sic potest accipi. p. 315. c. 1. n. 536.
Sensus literalis est validior ad veritatem adstruendam, & ad falsitatem destruendam. ibi. c. 2.
Extorqueri non debet ex arbitrio. p. 316. c. 1. n. 536.
Sensus Externi subduntur imperio dispotico voluntatis. p. 209. c. 1. n. 324.
Simulatio magis nocet, quàm malitia apertâ. p. 199. c. 1. n. 302.
Spiritus probandi, an ex Deo sint. p. 434. c. 1. n. 716.
Stuprum vix credi potest evenire ex violentiâ præcisâ. p. 156. c. 1. n. 220.
Succubæ sunt triplicis generis. p. 369. c. 1. n. 618. & seqq.
Deus non permittit, Dæmonem Incubum, Viro, aut Muliere omninò renuente. p. 376. c. 1. n. 631.
Saltem interpretativè consentiunt sceleri; & desperant liberationem. p. 391. c. 1. n. 644.
Exempla Succubæ Involuntariæ refelluntur. ibi. à n. 646. ad 663.
Sympathia, in quo sensu excitet delectationem veneream. p. 119. c. 2. n. 153. & seq.

T

Tangere quid importet. p. 380. c. 1. n. 635.
Tentatio quid sit. p. 4. c. 1. n. 1.
Quotuplex sit. ibi. n. 2. & seq.
Unde ejus distinctio. ibi. n. 3.
Quo sensu dicatur, Deum tentare homines. ibi. n. 4.
Quo sunt tentationis species. *ibi.* n. 5.
Ex parte objecti tentamur à concupiscentiâ carnis, à concupiscentiâ oculorum, & à superbiâ vitæ. ibi. n. 6. 7. 8.
Diabolus nullam habet materiam peculiarem, in qua possit tentare. p. 7. c. 1. n. 9.
Ex parte modi septem distinguuntur tentationum genera. ibi. n. 10.

Sm-

Digitized by Google

Importuna, ejusque exemplum. ibi. n. 11. & seq.
Dubia, ejusque exemplum. p. 8. c. 1. n. 13. & seq.
Subita, ejusque exemplum. p. 9. c. 1. n. 15.
Occulta, ejusque exemplum. ibi. n. 16.
Ejusmodi tentatio est valdè periculosa, nedum incipientibus, aut proficientibus, sed & perfectis. ibi. n. 17.
Perplexa, ejusque causæ, & exemplum. p. 11. c. 1. n. 18. & seqq.
Violenta, ejusque exemplum. p. 13. c. 1. n. 21. & seq.
Fraudolenta, ejusque exemplum. p. 14. c. 1. n. 23. & seqq.
Tentationes novi generis, quæ non fuerint priscis temporibus, sunt commentitiæ. p. 19. c. 1. n. 37. & alibi passim.
Opinio eas admittens, est Temeraria positivè. p. 22. c. 2. n. 40. & seq.
Irresistibiles non dantur. p. 19 c. 1. n. 37. & p. 30. c. 2. n. 62.
Repugnant Divinæ Bonitati, Fidelitati, Providentiæ, &c. ibi. n. 63. & alibi passim.
Tentationes permittuntur à Deo in Pondere, Numero, & Mensurâ. p. 34. per totam Sectionem.
Tentatio alia humana, alia diabolica. p. 35. c. 1. n. 72. & alibi.
Alia gravis, alia levis. p. 50. c. 1. n. 77. & seqq.
Tribus modis superari potest. p. 51. c. 1. n. 80.
Tentationes leves, collectivè sumptæ, vinci nequeunt solis naturæ viribus. p. 69. c. 2. n. 94.
Tentationi levi jugiter resistere nequimus, nisi Divinum adsit auxilium. p. 70. c. 2. n. 94.
Tentatio Carnis est gravior omni alia; & in quo sensu. p. 121. c. 1. n. 158. usque ad finem Sectionis.
Statim resistendum. p. 145. c. 1. n. 189. & alibi.
In quo sensu intelligi debet, quòd debet contemni. p. 147. c. 2. n. 197.
Quantumvis vehemens, ac etiam causata à Dæmone, nequit esse consummativa operis mali, sed tantùm inchoativa. p. 384. c. 2. n. 639.
Tentationes debent manifestari Directori p. 430. c. 1. n. 708. & seqq.
Toletus Abulensis est quidem venerandus, sed non audiendus in omnibus, quæ docuit. p. 365. c. 1. n. 612. & seq.
Transformatio in Deum non est illa, quam fingunt Molinosii. p. 333. c. 2. n. 560.

V

Veneris causæ extrinsecæ, efficaciores fuerunt antiquitùs, quàm nunc. p. 29. c. 1. n. 57. & seq.
Delectatio venerea, alia est rationalis, alia sensibilis. p. 118. c. 2. n. 149. & seq.
In Morosa, novem solent concurrere actus. p. 119. c. 1. n. 151.
Causa delectationis externæ, alia est Efficiens, alia Determinans. ibi. n. 152. & 153.
Est mala intrinsecè, & ex objecto. p. 143. c. 1. n. 186.
Omnis est mortaliter mala: non solum ea, quæ fit in corpore cum commotione Spirituum Genitalium, quæ dicitur Carnalis: Sed etiam illa, quæ est in sola voluntate circa objectum turpe, absque motione in corpore, & dicitur Spiritualis. p. 151. c. 2. n. 206.
Non tenemur amovere causam, ex qua oritur tentatio venerea; si tamen adest causa rationabilis non amovendi. p. 153. c. 2. n. 213.
Quænam sint causæ per se influentes ad Venerem. p. 170. c. 1. n. 238.
Delectatio venerea oritur necessariò, necessitate naturali, ex confricatione pudendorum. p. 295. c. 1 n. 498.
Ex quolibet actu obsceno, octo oriuntur effectus. p. 296. c. 2. n. 500. & seqq.
Quilibet tactus venereus est intrinsecè malus. p. 297. c. 2. n. 504. & seqq.
Pollutione involuntaria non decet accedere ad SS. Eucharistiam. p. 299. c. 1. n. 508. & seq.
Non licet delectari de opere ex se malo, quamvis sine culpâ patrato. p. 300. c. 1. n. 511.
Numquam licet procurare pollutionem, quamvis mediis licitis. p. 337. c. 2. n. 566.
Non datur casus, etsi rarus, quo Deus permittat Dæmoni vim inferre ad turpia. ibi. n. 567. & seq.

Digitized by Google

Actus turpis exercitus ab homine, vel in homine, vi præcisâ Dæmonis, esset vitalis, & non vitalis. p. 344. c. 1. n. 579. & seq.
v. Lapsus in Venerea.
Veritas Dei. *v.* Fidelitas Dei.
Virgo est Templum Dei vivi, & Sponsa Christi. p. 381. c. 1. n. 636.
Estò violenter corrupta, privatur ab Ecclesiâ Virginitatis velo. p. 383. c. 2. n. 638.
Dæmonibus bellum infert, eosque depellit. p. 387. c. 1. n. 641.
Non dantur Virginitatis notæ infallibiles. p. 393. c. 1. n. 650. *v.* Lapsus in venerea.
Voluntas in usu libertatis, multum pendet à consideratione, & attentione intellectus: atque ex affectione appetitus inferioris. p. 165. c. 2. n. 230.
Tenetur regere, nedum suos actus, sed & aliarum potentiarum, quibus præest. p. 167. c. 2. n. 234.
Imperat appetitui sensitivo, ac phantasiæ: & quomodò. p. 183. c. 2. n. 265. & seqq.
Quantumcumque crescat passio, potest voluntas semper resistere. p. 195. c. 2. n. 295.
Coacta est simpliciter voluntas. p. 422. c. 2. n. 694.
Voluntarium dividitur in Elicitum, Imperatum, & Impetratum. p. 186. c. 2. n. 276.
Vulgus dicitur à volvendo, quatenus stultè huc, illucque volvitur. p. 404. c. 1. n. 666.

FINIS.

Digitized by Google

ERRORUM CORRECTIO.

In Præfatione ad Lectorem. Linea ultima.	Calcographii.	*lege*: Calcographis.
In prima Approbatione fol. XI. circa finem.	Fides.	*lege*: Fidei.
In Approbatione fol. XIII. circa finem.	exomologesis.	*lege*: exhomologesis.

P. Paginam, C. Columnam, L. Lineam designat.

ERRORES.	CORRECTIO.
P. 20.c.1.l.16.Prophana.	profanas.
c.2.l.26.Prophetas.	profanas.
P. 53.c.1.l.28.velnerata.	vulnerata.
c.1.l.33.afflictione.	affectione.
P. 59.c.2.l.13.Debitis.	Debetis.
P. 61.c.1.l. 3.sufficieutia.	sufficientia.
P. 74.c.2.l.20.Difpolitanum.	Dioſpolitanum.
P. 84.c.1.l.45.ad fidem.	ad finem.
P. 85.c.2.l.37.inhæramus.	inhæreamus.
P.111.c.2.l.14. Angeli multum.	Angeli non fuere multum.
P.113.c.2.l.42.demeritiam.	dementiam.
P.179.c.1.l.37.Scruptura.	Scriptura.
P.182.c.2.l.40.*abundabit.*	*abundavit.*
P.194 c.2.l.23.recenſiores.	recentiores.
P.2c4 c.1.l.40.exhibite.	exhibete.
P.244.c.2.l.22.de Divino Nomine.	de Divinis Nominibus.
P.246.c.2.l.12.habet à ſe.	non habet à ſe.
P.247.c.2.l.29.peccat.	peccet.
P.253.c.2.l 5.alius.	aliàs.
P.256.c.2.l. 8.undè.	nudè.
P.257.c.1.l. 1.Divinæ.	Dinæ.
P.262 c.1.l.38.paſſus eſt.	paſſus es.
P.269.c.1.l. 4.fortis.	foris.
l.26.Sed alligationem.	Sed ante alligationem.
c.2.l.21.ſublimatum.	ſublimatam.
P.277.c.1.l.46.effugaverunt.	effugerunt.
P.278.c.1.l.15.concurſi.	incurſi.
P.279.c.1.l.25.Non fuit.	Non fuit auſus.
c.2.l.20 ſollicitatores.	ſollicitiores.
P.284.c.1.l.17.*demoliuntur.*	*demolientur.*
l.21.*riſu digna.*	riſu dignum.
l.22.*diſperibunt.*	*peribunt.*
P.287.c.2.l.20 ut vita.	ut ità.
P.295.c.2.l. 4.moraliter.	mortaliter.
P.296.c.1.l.19.videantur.	videatur.
P.297.c.1.l. 9.*Adverterunt.*	*everterunt.*
P.306.c.2.l. 6.attribuit.	attribui.
P.319.c.1.l. 7.vim inferens.	qui vim inferés.
P.323.c.2.l.20.*irruit me.*	*irruit in me.*
P.324.c.1.l.14.*ſenſum.*	*ſervum.*
P.330.c.2.l. 2.evenerit.	eveniret.
P.332.c.1.l. 3.SS.Virorum.	SS. Virorum Exemplis.
P.348.c.1.l. 1.invitati.	inviti.
P.362.c.1.l.12.*actus carnales.*	*ad actus carnales.*
c.2.l 23.Republica.	Reſpublica.
P.363.c.1.l.16.honoſtate.	honeſtate.
P.368 c.2.l.11.operatar.	operatur.
P.372.c.2.l.23.*Ab interiori.*	*Ab exteriori.*
P.373.c.2 l.25 *pavor.*	*vapor.*
P.379.c.1.l.28.dux vitæ.	dux viæ.
P.380.c.2.l. 5.præmittit.	promittit.
P.384.c.2.l.30.*Totum.*	*Tatum.*
P.404.c.2.l. 3.Job.	Iob.
P.406.c.2.l. 1.Spoſe.	poſſe.
P.415.c.1.l. 2.Contiprato.	Cantiprato.
P.453.c.2.l. 5.extimationem.	æſtimationem.


Alii non pauci irrepſerunt Ortographiæ errores, quos prudens Lector facilè corriget. Quamplurimi S. Scripturæ textus citantur alibi, ac in propriis locis; ſed videri poſſunt in Indice in calce operis; Cæterùm Lector benevolus lynceus ſit in rebus, non in verbis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google